
3 1761 07833909 0

THESAURUS RESOLUTIONUM

Sacræ Congregationis

CONCILII

Quæ conſentanee ad Tridentinorum PP. Decreta aliaſque Canonici Juris Sanctiones,

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SACRÆ CONGREGATIONIS

OBEUNTIBUS

Uſque ad diem 9. *Septembris* 1743.

Emo, & Rmo D. Card. CAVALCHINO

DEINCEPS VERO

R. P. D. FURIETTO

PRODIERUNT

In Cauſis ſub annum 1743. *propoſitis*,

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico Foro verſantibus apprime utilis, & neceſſarius.

TOMUS DUODECIMUS

TRIPLICI INDICE

A DOMINICO MAINARDI

Locupletatus.

ROMÆ, MDCCXLIII.

Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi in Platea Agonali

Superiorum facultate.

INDEX
TITULORUM CAUSARUM OMNIUM,
Quæ anno 1743. in Sacra Congregatione Concilii fuerunt propositæ.

Litte-

Die Sabbathi 12. Januarii 1743.

DUbia utriusque Causæ priori loco mox indicandæ, ac descriptæ in folio novissimæ Congregationis habitæ sub diem 15. Decembris proxime elapsi anni ad preces Episcopi Juvenacensis dilationem tunc postulantis fuerunt hodiernæ discussioni reservatę. Dignentur itaque Eminentissimi PP. perpensis juribus utrinque adferendis singulare eorum omnium examen operoso labore aggredi.

JUVENACEN. *Sess.24. c.12. de ref.*

I. An modernus Episcopus teneatur restituere Ecclesiæ Cathedrali Juvenacen. ducata 7:6. provenien. ex Spoliis bon. mem. Chyurliæ Episcopi Prædecessoris.

II. An ipse teneatur rastituere paramenta Sacra per dictum Episcopum Chyurlia relict. præfatæ Ecclesiæ Cathedrali.

III. An teneatur d. Ecclesiæ Cathedrali reficere damna ei illata per deteriorationem eorumdem Paramentorum.

IV. An teneatur restituere d. Cathedrali mobilia provenientia ex Spoliis d. Episcopi Chyurliæ, & reficere damna pro consumptis.

V. An teneatur restituere duas Vineas, & Stabulum vulgo Lamione provenien. ex dictis Spoliis una cum fructibus a d. Episcopo perceptis.

VI. An teneatur restituere duas Mulas pertinentes ad dicta Spolia.

VII. An insuper teneatur restituere omnes pecunias dictorum Spoliorum erogatas in Fabricis, seu Ædificiis, *& quatenus negative*.

VIII. An ex dictis Fabricis, seu Ædificiis sint auferenda, seu abolenda Stemmata dicti Episcopi.

IX. An dicta Stemmata sint abradenda a Lampadibus, aliisque Supellectilibus factis cum pecuniis dictorum Spoliorum.

X. An pecuniæ erogatæ in constructionem Altaris marmorei in Ecclesia Cathedrali cedere debeant ad damnum Episcopi, sive potius substineatur annuus Census scut. 24 impositus super Bonis Spoliorum Episcopi Chyurliæ.

XI. An Annualitates dicti Census decursæ ab anno 1739. usque, & per totum annum 1741. ac persolutæ ex pecuniis dd. Spoliorum sint restituendæ.

XII. An Domus per d. Episcopum assignata ad usum Scholæ, & altera per ipsum titulo Eleemosynæ tradita Joanni Turturi sint restituendæ dictæ Ecclesiæ Cathedrali.

XIII. An fructus, seu pensiones dictorum Domorum hucusque decursæ sint solvendæ per d. Episcopum.

XIV. An, & a quo sit reddenda ratio administrationis dictorum Spoliorum gestæ de tempore Sedis Episcopalis vacantis per obitum d. Episcopi Chyurliæ.

XV. An Æconomus, seu Exactor præfati Episcopi tamquam Sacerdos Consortialis, atque participans, lucretur distributiones quotidianas, quando est absens, & d. Cathedrali Ecclesiæ non inservit.

XVI. An memoratus Episcopus habeat Jus exigendi quotannis a Capitulo d. Ecclesiæ Cathedralis ducatos Centum.

XVII. An ipse in Causis Criminalibus valeat exigere mulctas, seu pœnas pecuniarias, non obstante Decreto d. Episcopi Chyurliæ illarum exactionem interdicente, *& quatenus affirmative*.

XVIII. An teneatur restituere d. Ecclesiæ Cathedrali Bona sibi relicta in compensationem dictarum pænarum.

XIX. An Capitulo, & Canonicis d. Ecclesiæ Cathedralis sit concedenda exemptio in casu &c.

Ad I. Affirmative. Ad II. cum ſequentibus uſque ad XIV. incluſive ad Metropolitanum, qui procedat prout de jure. Ad XVI. Negative. In reliquis dilata, & proponatur in prima poſt Cineres citatis omnibus intereſſe habentibus.

Seſſ. 24. c. 12. de Ref.

JUVENACEN DECRETORUM.

I. An Decreta Epiſcopi Juvenacen. edita die 31. Maii 1739. in Sac. Viſitatione, nempe decimum ſeptimum, vigeſimum, & vigeſimum primum ſint exequenda, & obſervanda, *& quatenus negative*.

II. An liceat Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Juvenacen. eligere in Procuratorem unum ex dictis Canonicis, vel potius teneatur eligere unum ex Presbyteris participantibus.

III. An idem Procurator legitime electus poſſit nuncupari Prior, juxta diſpoſitionem Statuti dictæ Eccleſiæ Cathedralis.

IV. An Spolia bo. me. Epiſcopi Chyurlia Prædeceſſoris poſſint applicari in Honorarium Concionatoris, & ſtipendium Cappellani pro tempore Eccleſiæ SS. Crucifixi.

V. An item applicari poſſint in uſum Fabricæ dictæ Eccleſiæ Cathedralis.

VI. An applicatio dictorum Spoliorum fieri poſſit ab Epiſcopo cum ſola ſcientia Capituli dictæ Eccleſiæ Cathedralis, vel potius requiratur expreſſus conſenſus ejuſdem Capituli.

VII. An, & ad quem ſpectet electio Procuratoris, ſeu Adminiſtratoris dictorum Spoliorum in caſu &c.

Dilata, & proponatur in prima poſt Cineres.

Seſſ. 24. c. 7. de Ref.

SPALATEN. IRREGULARITATIS. Cauſa hæc, ita efflagitante Clerico Hieronymo Sintronich alias Alvevich, ſub duobus Dubiis inferius adnotandis deſcripta fuit in folio diſtributo pro Congregatione diei 24. Novembris mox effluxi anni, ſed ea die ob aliarum cauſarum copiam nequivit proponi. Quum autem poſita iterum fuerit in folio inſequentis Congregationis habitæ die 15. Decembris, præfatus Hieronymus fortaſſe veritus, ne cauſæ deciſio votis ſuis reſponderet, demiſſe ſupplicavit reſolutionem differri, novum aliquod ſpondens interea exhibere monumentum, quo nomen ſuum a quacumque nota uberius vindicaretur: Ejus vero precibus annuentes EE. PP. examen cauſæ ad hodiernam rejecere Congregationem, in qua propterea reſumpto folio memoratæ diei 24. Novembris deliberandum eſt.

I. *An conſtet de irregularitate in caſu &c.* & quatenus affirmative.

II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.*

Ad primum Affirmative. Ad ſecundum Negative.

Seſſ. 24. c. 12. de ref.

LEODIEN. CONCORDIÆ. Diſputata fuerunt duo hæc dubia in Congr. habita ſub diem 2. præteriti menſis Junii I. ſcilicet *An concordia inita inter Decanum ex una, & Capitulum S. Petri Leodienſis ex altera ſit confirmanda in caſu &c.* Et quatenus negative. II. *An, & quomodo ſit providendum ſuper pia fundatione Canonici Franciſci Roſſi de Libois in caſu &c.* atque Eminentiſſimi Patres reſcripſerunt *ad* I. *Affirmative. Ad* II. *Proviſum in primo.* Nomine autem Vice Decani, & aliorum quorumdam Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri quum impetratum poſtea fuerit novæ audientiæ beneficium, oportet hodie ſtatuere.

An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis in caſu &c.

Ad Epiſcopum qui curet partes devenire ad æquiorem concordiam, & ad mentem.

MA-

MAZARIEN. JURIUM CAPITULARIUM. Plurimæ fuerunt inter Cantorem, & Decanum cum reliquis Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ S. Laurentii Oppidi Drepani excitatæ controversiæ, eæque sub annum 1741. ad hanc Sacram Congregationem delatæ; Hæc porro sub diem 12. Augusti ejusdem anni satius fore censuit earum omnium determinationem remittere: *Al Eminentissimum Præfectum cum facultatibus S. Congr. etiam concordandi.* Sess.22. Decret. de obser. & evit. in celebr. Miss.

Sed Iam dedit operam laudatus Eminentissimus D. Cardinalis Præfectus dirimendis hisce quæstionibus, decretaque edidit singulis propositis dubiis respondentia: Verum indecisa reliquit, jussitque iterum coram hac Sac. Congreg. disceptari tria dubia inferius subnectenda, quæ tunc in ordine descripta erant sub numeris XIV. XV. & XVI.

Placeat itaque Eminentissimis Patribus resumpto folio prædictæ diei 12. Augusti 1741. perspectisque juribus partium decernere.

I. *An cura habitualis spectet, ac resideat penes Dignitates, seu potius penes Capitulum.* Et quatenus negative ad primam partem.

II. *An in casu remotionis, suspensionis, aut alterius impedimenti, liceat Dignitatibus, seu potius Capitulo eligere substitutos pro exercenda actuali cura animarum.*

III. *An decedente aliqua ex dd. Dignitatibus, liceat Capitulo, prævia approbatione Ordinarii deputare substitutum pro exercitio dictæ curæ, donec dignitas vacans provideatur in casu &c.*

Ad Primum negative ad primam partem, & affirmative ad secundam. Ad secundum, & tertium electionem spectare ad Capitulum, & amplius.

BONONIEN LEGATI MISSARUM. In postrema Congregatione superioris anni habita die 15. Mensis Decembris ad preces Sororum, quæ nuncupantur Tertiariæ Servorum B. M. V. propositum fuit dubium: *An Missæ de quibus agitur, celebrandæ sint in Ecclesia omnium Sanctorum, vel potius in Ecclesia benevisa Hæredibus Testatoris in casu &c.* cui EE. PP. quamquam Comes, & Senator Julius Gambalonga Blanchettus illius decisionem suspendi postularet, respondendum esse censuerunt. *Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam.*

Adversus hanc resolutionem petiit illico audiri idem Comes Julius, suique voti compos est factus ea tamen sub lege, ut in hodierno Senatu, quippe quia agitur de Missarum celebratione diutius non detinenda, proponeretur Dubium, quod modo sapienti EE PP. judicio subjicitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius. Reliquæ non propositæ.

ALEXANEN CELEBRATIONIS MISSARUM. Clerus Ecclesiæ Parochialis Oppidi Filiani in precibus huic Sacræ Congregationi porrectis exposuit, plurima in eadem Ecclesia reperiri Missarum onera, quorum adimplementum, licet commode præstari posset a Sacerdotibus continuo ipsius Ecclesiæ Parochialis servitio addictis, plerumque tamen ab iis, quibus ejusmodi Missarum onera incumbunt, aliis exteris Sacerdotibus committitur, minori etiam uno Caroleno, qui de cetero pro qualibet Missa juxta Decretum Episcopi deberet persolvi, tributa illis eleemosyna, quod porro quum ab omni jure devium arbitretur, supplicavit proinde ab EE. PP. decerni, ut Sacerdotibus exteris, qui ad memoratam Parochialem Ecclesiam pro adimplendis prædictis Missarum oneribus vellent imposterum accedere, pœna suspensionis ad eos inde avertendos infligeretur, ii vero, qui eleemosynam caroleno minorem pro unaquaque Missa auderent persolvere, excommunicationis gladio plecterentur. Sess.22.de obser. & evit. in celebratione Miss.

Super his Cleri precibus excitatus Episcopus, ut Sacram Congregationem instrueret, retulit se in primo ad eam Diœcesim adventu detestabile mercimonium in ejusmodi beneficiorum, Cappellaniarum, & Legatorum persolvendis oneribus invenisse, quum eorum satisfactio unicuique Sacerdoti etiam extero, qui minori pretio paratus esset sacrificium offerre, committeretur, proptereaque editum ab ipso fuisse generale decretum, ne summa minor uno Caroleno posset ab ullo Presbytero pro eleemosyna cujuslibet Missæ imposterum recipi.

Hac relatione accepta rescriptum statim fuit Episcopo, ut ad formam Decretorum generalium super celebratione Missarum adversus illorum violatores prout de jure procederet; Quia vero supplicationibus Cleri Tiliani postulantis exteros Sacerdotes ab implendis controversarum Missarum oneribus arceri, contradictores se præbuere Baro Ignatius, & Orontius de Seraphinis, necnon Sacerdos Alexander Arcella tum ratione Beneficiorum jurispatronatus, tum ex piis quibusdam legatis annua obligatione plurium Missarum in memorata Parochiali Ecclesia persolvendarum gravati, opportuit idcirco dubium, quod in calce præsentis Restrictus apponetur, disceptandum subscribere.

Contendunt scilicet præfati de Seraphinis, & Sacerdos Arcella nullam rationem esse, cur ipsis adimi, vel coerceri debeat facultas eligendi unum potius, quam alterum Presbyterum etiam exterum, qui Missas, de quibus agitur, celebret; præsertim vero quum hactenus plena usi fuerint libertate, quemadmodum constare asserunt ex libris Ecclesiæ Parochialis, in quibus & Missarum onera, & celebrantium nomina adnotantur.

Subdunt præterea jus istud electionis libere ipsis competens agnitum reipsa fuisse ab Archipresbytero, pluribusque ejusdem Parochialis Ecclesiæ Clericis participantibus, qui proinde ab hac prius instructa lite recesserunt, adeoque paucos quosdam Sacerdotes istius Oppidi Tiliani, qui eam adhuc sustinentes veluti non legitimos contradictores in hoc negocio censendos esse.

Contra vero nonnulli Sacerdotes Oppidi Tiliani, tam proprio, quam Ecclesiæ nomine id, quod semel postularunt, se jure tueri existimant. Inquiunt enim sibi fas esse, communi virium suarum studio adlaborare, ut decernatur, indigenas potius quam exteros Sacerdotes eligi debere, qui onera Missarum in propria Parochiali Ecclesia adimplenda persolvant, quum id & æquitati, & honestati consonum videatur potissime ex verisimili Fundatorum, aliorumque piorum legantium voluntante, quos ejusdem Ecclesiæ Clericis, potius quam extraneis favere voluisse, nemo potest ambigere. Sique voluntas ista præsumi debet generatim in omnibus, qui Missas in hac Parochiali Ecclesia celebrandas reliquere, id eo magis conjecturare liceat in Angelo Carolo, ex cujus dispositione præfatus Alexander Arcella perpetuo subest plurium Missarum oneri; Quippe quia idem pius Testator peculiari quadam dilectione Cives Tiliani se prosequutum ostenderit, dum certa eveniente conditione annuam sexdecim ducatorum summam Universitati ejusdem Oppidi legavit.

Ceterum vel ex eo potissimum putant Cives Tiliani, vetandum esse, quam Sacerdotibus Indigenis committantur, ut pravum scilicet mercimonium ea in re prorsus amoveatur; Nihil enim aliud in caussa esse inquiunt, cur tanta contentione sæpedicti de Seraphinis, & Alexander Arcella seligant Presbyteros Cives, nisi quod ex alienigenis facile sit reperiri nòn paucos inopia pressos, qui minori eleemosyna, quam quæ in Edicto Episcopi statuta fuit contenti sint: idque uberrime conjici etiam ajunt ex acri oppositione, quam ipsi sæpedicto Episcopi Decreto idem sunt adversati.

De ista prælatione Sacerdotum, sive Sæcularium, sive Regularium Ecclesiæ, in qua ex fundatorum voluntate Sacrosancta Missæ Sacrificia sint peragenda, pertractant *Card. de Luca de Legat. disc.* 25. *Capon. discept.* 169. *n.* 10. & 11. *Monacell. formul.* 19. *n.* 18. *tit.* 10. *tom.* 1. & de ea pariter actum sæpius fuit coram hac Sac. Congregatione, ut videre est in *Romana eleemosynæ Missarum* 5. *Septembris* 1716. *in Regien.* 5. *Augusti* 1719. *in Bituntina Missarum* 24.

Septem-

Septembris & 19. Novembris 1719. in Romana Oneris Missarum 12. Januarii 1732. in Papien. Oneris Missarum 28. Novembris & 12. Decembris 1733. in Tyburtina celebrationis Missarum 10. & 24. Septembris 1735. in Camerin. Cappellaniæ 19. Novembris ejusdem anni, & in Mediolanen. celebrationis Missarum 28. Aprilis, & 12. Maii 1736.

De quantitate autem eleemosynæ tradendæ pro unaquaque Missa, & unde ejus taxa desumenda sit, tradunt *Suarez in 3. par. S. Th. tom. 3. quæst. 86. sect. 2. in prim. & secund. conclus. Rosignol. de Euchar. tom. 15. quæst. 12. de stipendio Missæ art. 3. num. 5. Tamburin. de Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 1. num. 2.* & alii communiter docentes justam eleemosynæ taxam desumi debere vel a communi consuetudine, quæ vigeat in Diæcesi, vel a lege in Synodo præscripta, vel demum ab Episcopi decreto, & idipsum declaravit Sacra hæc Congregatio die 15. Novembris 1699. in Causa *Aprutina*, dum propositis ad preces Episcopi duobus hisce dubiis: Primo, *quanta esse debeat eleemosyna Missarum manualium*: Secundo, *quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a Fundatoribus &c.* respondit: *Attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit, sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio, ut in lib. Decret. 48. pag. 584.*

Num vero Episcopus statuere possit, ne Sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata, disputant pariter Doctores, quorum aliqui sententiam negativam tenent, & præsertim *Giballin. de Simon. quæst. 18. consect. 7. sub num. 5. Azzor. Institut. moral. par. 3. lib. 12. cap. 6. in fine* alii vero affirmativam tuentur, quos inter late rem pertractant *Pasqualig. de Sacrif. Missæ quæst. 928. num. 3. & seq.* Hæc autem posterior sententia magis probatur ab hac Sac. Congregatione, in cujus regestis hæc habentur sub titulo *S. Severini Eleemosynæ Missarum 16. Julii 1697.* Episcopus narrat Sacrosanctum Missæ Sacrificium quodammodo vilescere, dum Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosinæ dimidii Julii pro qualibet Missa; unde supplicat declarari, an ipse possit statuere eleemosinam manualem unius integri Julii pro qualibet Missa, imponendo pœnam celebrantibus pro minori quantitate? Sacra &c. respondit affirmative quoad eleemosinam manualem.

His itaque perpensis una cum juribus Partium ac relatione Episcopi, deliberandum erit.

An celebratio Missarum adimplenda per Alexandrum Arcella, & Ignatium Seraphinum in Ecclesia Parochiali Tiliani Sacerdotibus exteris eisdem benevisis committi valeat in casu &c.

BISUNTINA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Juditha Amata Francisca *Dusaix* preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro pro impetranda in integrum restitutione adversus lapsum quinquennii, qua posset irritæ suæ religiosæ Professionis caussas in medium proferre: Precibus autem ad hanc Sacram Congregationem rejectis jussus fuit Archiepiscopus Bisuntinus processum audita Monasterii Antistite servatis servandis conficere, eumdemque Processum una cum animi sui sententia de more transmittere. *Sess. 25. c. 19. de ref.*

Processum diligenter construi curavit Archiepiscopus, audita siquidem primum fuit Abbatissa Monasterii, deinde Oratrix, tum ejus Mater, ac postremo excepta sunt testimonia aliarum sex Personarum, nimirum duarum ejusdem Oratricis sororum, unius dicti Monasterii Monialis, cujusdam Virginis nobilis, alterius Fæminæ ignobilioris conditionis, & demum rustici Hominis, earumque omnium nullo, ut apposite adfirmatur, titulo suspectarum.

At integer iste Processus non fuit ad Sacram Congregationem transmissus, sed tantum exhibita est ejus summa, quam proprio caractere Archiepiscopus ipse signavit, testatum præterea faciens in literis, quibus eamdem summam sociavit, nihil in ea grave ac scitu necessarium fuisse prætermissum.

Porro quod ex ista Processus summa emergit vix potest absque aliquo negocii per-

pertractandi detrimento in brevius compendium redigi, adeoque tota eadem summa oculis Eminentissimorum PP. ab Oratricis Defensore subjicietur; Ex ea autem id potissimum colligere licet, hanc Oratricem reipsa animum semper tulisse a religiosa Professione aversum, quum id, præter Monasterii Abbatissam, omnesque fere alios Testes, ingenue fassa fuerit etiam ejus Mater, quæ licet asserat se noluisse vim Filiæ afferre, ut statum Monasticum amplecteretur, non inficiatur tamen, plurimum suasionibus, imo etiam minis in id haud raro elaborasse.

Constat pariter in hoc ipsum contendisse ejus Patrem, qui vultu irato minitatus est Filiæ, quod nisi volens, & lubens ad Monasterium proficisceretur, ibique religiosa nuncuparet vota, jussurus foret, eam super curru alligari, & ita ad Monasterium traduci: Quin vero unus Testis propriis oculis vidisse suisque auribus percepisse ait, pelvim aqua plenam fuisse aliquando in Oratricem a matre projectam, eidemque acerbe dictum, quod nisi brevi ad Monasterium professura rediret, vili onusta vestitu ad custodiendum pecus amandaretur; Alii autem plures testantur unanimes eam fuisse a Parentibus male, & contemptim habitam, & sæpe etiam a matre in conclavi suo inclusam, quia nimirum, ut illa dictitabat, pati non poterat, Filiam hanc suam Domi manere, nec Monasterium velle repetere.

In idem ferme collimant Epistolæ quædam sub illa tempora a Genitoribus Oratrici datæ, & ab ista in actis exhibitæ; apertas siquidem perhibent minas vitæ miserrime per eam traducendæ, perpetuique a domo paterna exilii, ubi religiosis votis se non obstringeret. Quod autem Oratrix eodem pariter momento, quo Professionem emisit, licet ejus formulam clare pronunciaverit, suoque perscripserit caractere, animum tamen vovendi non haberet, neque postea se teneri votis unquam existimaverit, ipsa plene, ac firmiter in suo declaravit examine; illud præterea in hujus rei argumentum adjiciens ab aliis quoque Testibus comprobatum, se noluisse pridie suæ admissionis, & Professionis, uti mos illius Monasterii postulasset, singulas Moniales privatim adire, ac ab eis suffragium flagitare, imo vero post Professionem emissam Officii recitationem, & alia religiosi instituti munera consuevisse negligere, frequenterque dixisse, si ob id forte objurgaretur, se nulla horum obligatione devinctam esse, quamquam ob Patris reverentiam, donec ille viveret, secum animo proposuisset, adversus Professionem suam judiciario non reclamare,

Ex eadem vero Processus summa conjicitur Oratricis Patrem obiisse sub diem 4. Augusti 1741. illamque post duos circiter menses e domo paterna, ad quam permittente Abbatissa pridem concesserat, furtim egressam Lugdunum petiisse, ubi Monasterium incolens Monialium Ordinis S. Benedicti omnia ad reclamationem, ut ipsa inquit, necessaria paravit; novissime vero superioris jussu ad proprium Monasterium reversam supremum ibi Sacræ hujus Congregationis judicium præstolari.

Archiepiscopus, qui summam Processus, uti dictum est, ad hanc sacrum Senatum remisit, ne quidquam ad causæ notionem facile conducens lateret, aliqua de peculiari institutione Monasterii, in quo Oratrix professa est, quodque Abbatia de Miget nuncupatur, voluit hisce verbis referre: „ Illa, inquit „ Monasterium est, seu Conventus nobilium Virginum, cujusmodi in Belgio, „ & Germania, ac Diœcesi nostra non raro inveniuntur, alibi pene ignota. „ In eo Regularis observantia non plene viget; quamvis enim Abbatissæ, „ ac Præbendariæ, omnes (sic enim appellantur) tribus votis solennibus „ sint obligatæ, tamen neque Monasterium clausum est, neque vita Sororum „ communis, sed unaquęque in propria domo intra muros Abbatiæ sita, de „ fructibus præbendæ suæ, ac pensione sibi a parentibus assignata privatim „ vivit, solentque omnes cum licentia Abbatissæ non solum egredi muros „ Abbatiæ, sed etiam apud Parentes, & alibi longius commorari, quod „ propter ęgestatem Monasterii, ac favorem nobilitatis olim obtinuit, nec

„ vi-

„ videtur antiquari posse: Post annum probationis non semper incontinenti „ emittuntur vota, sed sæpe ea differri contingit, vel Abbatissæ voluntate, „ vel ad ipsius Novitiæ desiderium, quod si ultra sex menses ante emissam „ professionem post annum probationis finitum abfuerit Novitia, tenetur „ Novitiatum iterare; quæ constitutio recens est, & occasione hujus ipsius „ Sororis *Dusaix*, *ut asseritur*, *introducta*.

Suam vero animi sententiam ita aperuit: „ Metus absolute gravis censeri non „ potest quia nec de carcere, nec de infamia, nec de verberibus intentatis „ constat; respective tamen ad ætatem, conditionem, & sexum vis est, ut „ levis reputetur, propter ostentationem vitæ asperioris, iram paternam, „ & exclusionis e domo patris interminationem. Vota omnino nulla dicere „ non ausim, quia de contraria intentione Oratricis in ipso Professionis arti- „ culo non satis constat. Hoc tamen certum est, defuisse liberam non vo- „ vendi facultatem, & si electio in potestate fuisset, nunquam vota emissu- „ ram fuisse: Quare vota ut minimum dubii valoris videntur, cum nulla „ præcesserit vovendi voluntas, nulla successerit, itaut de solo profitendi ar- „ ticulo res sit incerta; non defuit omnis modus, quo posset vivente, & in- „ scio suo patre reclamare; difficillimum tamen fuit ut lateret, cum in do- „ mo patris plerumque habitaret, qui vir propter nobilitatem, & Amicos „ satis potens, hujusmodi factum impatientissime laturus prudenter existi- „ mabatur. Matris multo minor est authoritas, & quamquam ipsa magis fi- „ liam compulisse ad Religionem videtur; tamen reverentia patris recla- „ mationem potuit longe facilius impedire. Cæterum quod Oratrix ab ipso „ die professionis reclamare semper in animo habuerit, cum posset, minime „ dubium videtur, & ita Abbatissa *De miget* cum cæteris *Monialibus exi-* „ *stimant*. Id quoque res ipsa suadet, siquidem mortuo Patre sine mora, ar- „ repta occasione fugę reclamationem præposuit.

Hæc perhibent literæ super negocio isto per Archiepiscopum datæ; Num vero Processu integro non exhibito (quum de cetero idem Archiepiscopus liquido testetur nihil in transmissa Processus summa grave, ac scitu necessarium fuisse præteritum) ad causæ definitionem sit procedendum, judicium erit EE. PP., quibus deliberandum proponitur.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

ARGENTINEN. VOTORUM. Joannes Schettel oblatis Sanctissimo Domino Nostro precibus supplicavit, Apostolicæ dispensationis ope remitti sibi obligationem Votorum, sive solemnium, sive simplicium, quæ in Monasterio Altorffensi Ordinis S. Benedicti Argentinen. Diœcesis certo modo asseruit nuncupasse, ut ab iis omnino solutus libere queat ad seculum regredi, ac matrimonium contrahere.

Ejusmodi preces remissæ fuerunt huic Sacræ Congregationi, a qua datæ sunt litteræ ad Eminentissimum Dominum Cardinalem de Rohan, ut super negocio isto auditis Monachis eamdem Sacram Congregationem instrueret: Jussu proinde lau ati Eminentissimi Cardinalis confectus fuit hac super re coram ejus Vicario Generali Processus, eoque nuper ad Urbem delato rogat modo præfatus Joannes decidi Dubium inferius apponendum.

In memorato Processu habetur depositio Abbatis, aliorumque duorum Monachorum Altorffensis Cænobii qui seorsim a dicto Vicario Generali auditi sub jurisjurandi religione testati sunt quod sub annum 1734. quum Joannes Schettel professione Vietor supplicasset habitu Religioso indui in dicto Monasterio, quia viginti circiter ab hinc annos ejusdem Monasterii Capitulum decreverat nullos imposterum fratres laicos (quorum plerosque instabiles, atque incorrigibiles evadere experientia docuerat) ad habitum, & professionem solemnem esse admittendos nisi ea sub lege, ut pro libito possent ab Abbate, &

Ca-

Capitularibus dimitti, idem Joannes non ut Religiosus Laicus, sed tamquam simplex famulus fuit in Monasterio receptus.

Elapso autem biennio, quo decurrente is industrium æque ac modestum sese probaverat, precibus iterum studiosissimis egit, ut ad habitum, & professionem Monasticam admitteretur, sed jussu per annum expectare, ac interea temporis ad faciendum voluntatis indolisque periculum singulis Dominicis, & festis diebus Monachum quemdam nomine Benedictum Kaegelin frequentare, & ab eo in regulari disciplina instrui, quum legem sibi impositam toto anno adimplesset in habitu tamen mere laicali, & conversans semper, ut antea, extra clausuram inter reliquos Monasterii domesticos seculares, denuo supplex petiit ad solennem Professionem admitti. Veruntamen hac ejus postulatione rejecta Capitulares omnes, uno tantum excepto, in id tandem convenere, ut juxta eum, qui sequitur, modum Orator reciperetur.

Primo, scilicet, ut emitteret quidem vota castitatis, paupertatis, obedientiæ, & stabilitatis non solemnia, sed simplicia tantum, omissis de industria omnibus cæremoniis, & solemnitatibus requisitis, & alias consuetis. *Secundo*, ut gauderet privilegiis Ordinis, & Monasterii, quantum Canones, & Religio permitterent. *Tertio*, ut habitum quidem Religiosum aliorum Professorum instar non gestaret, sed habitum formæ mere laicalis addito nihilominus sub vestibus parvo scapulari. *Quarto*, ut vigore præmissæ obedientiæ tam intra quam extra clausuram pro Superiorum libitu debita servitia præstaret. *Quinto*, ut pro executione voti stabilitatis, pro ut præfertur, equidem simplicis familiæ Monasterii ad dies vitæ cooptaretur, itaut nec libera Monasterio discedere, nec liber a Monasterio dimitti posset.

Concordatis itaque hisce conditionibus anno 1736. quadam die Dominica summo mane intra Missam privatam, absque ulla solemnitate, absentibus Capitularibus, præter quinque eorum qui non vocati, & inscio Abbate sponte sua interfuerunt Joannes Schettel vota, ut præfertur, simplicia juxta formam a P. Priore germanice descriptam (quæ modo non reperitur, cujusque nullum in scriptis extat vestigium) emisit in manibus Patris Edmundi Hertzug ab Abbate tunc ægrotante in hunc finem delegati, ibique ab eodem accepit parvum quoddam scapulare sub vestibus Tertiariorum instar, & collare, quod inquiunt, pro aliquali distinctione gestandum, reliquis cæremoniis in solemni Professione adhiberi solitis ex Abbatis imperio penitus omissis.

Post ejusmodi receptionem quatuor, vel quinque transegit annos Joannes: At suæ libertati, vivendique licentiæ quum plus æquo indulgere videretur, capitulariter conclusum fuit, ut intra Clausuram deinceps commorari deberet, annuentibus tunc omnibus Capitularibus, quod regulari indutus veste, factoque stricte novitiatu, aliorum instar Religiosorum solemnem posthac ederet Professionem.

Libens, luqensque indictum rigidioris probationis annum exorsus est Orator, sed post novem circiter menses eam vivendi methodum, ultra quam ipse sustinere posset, duriorem causans in pleno Capitulo protestatus est, se nolle solennem emittere professionem, nisi ea sub lege ut liber sibi ingressus, & egressus e Monasterio pro suo libitu permitteretur, hanc scilicet inquiens facultatem sibi necessariam, ut artem suam religandi, stipandique vasa vinaria posset commode exercere; at ea sibi denegata illud postremo cepit consilium supplicandi pro dispensatione Apostolica super enunciatis votis modo hactenus descripto utcumque a se nuncupatis.

Hæc est rerum series, quæ eruitur ex depositione ferme concordi Abbatis, & duorum Monachorum, quorum alter est is ipse P. Edmundus Hertzog, qui sponsionem votorum ab Oratore factam in Ecclesia recepit. Eidemque depositioni pene in omnibus consonat formale examen ipsius Oratoris, nisi quod iste exponens Capitulares illius Monasterii utpote contentos ope, & industria, qua suum Victori-

munus

munus peragebat, adeoque optantes, ne Monasterii famulatum desereret, post varios in hunc finem propositos modos, in eam demum inquit confluxisse sententiam, *quod vota aliorum Religiosorum instar emitteret absque gestatione habitus Religiosi, sed pro distinctionis signo scapulare parvum cum collari portaret, ipsique liceret ad negocia Monasterii expedienda extra Clausuram commorari, hac addita solummodo conditione sibi insinuata, quod quandocumque aliquis ægrotus in Clausura ejus ope indigebit, vocatus se se promptum ad obsequia præstet, non autem ut perpetuo in ea commorari teneatur.*

Ceterum, & ipse fassus emisisse sub annum 1736. quatuor vota, castitatis, paupertatis, obedientiæ, & stabilitatis juxta formulam sibi traditam, & a se descriptam, quæ hodie non reperitur, hoc unum peculiare addit, post istam Votorum emissionem neque parvum scapulare unquam gestasse, neque ullam noctem intra Clausuram Monasterii transegisse, nisi quum Superioris jussu ad novam probationem pro emittendis solemnibus votis in ea fuit subinde admissus.

Abbas, & Monachi nedum suum præstant assensum, verum etiam vehementissime rogant, ut dispensatio ab Oratore petita super votis ab ipso emissis, quæ simplicia nuncupant, impertiatur; Eminentissimus vero Cardinalis de Rohan Episcopus Argentinensis breviter adverteens, facile ex Processu a se transmisso dignosci Professionem ab Oratore emissam debitis, & requisitis a jure solemnitatibus caruisse, existimat, postulatam dispensationem super ejusmodi simplicibus votis, a S. Sede Apostolica benigne concedi posse.

Oratoris nomine circumferentur jura, ex quibus suis precibus annuendum fore confidit, dum rogat ab Eminentissimis pp. declarari.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Die Sabbathi 26. Januarii 1743.

TRes Causæ mox describendæ, proponi non potuerunt in superiori Congregatione habita die 12. ineuntis anni. Folium itaque tunc distributum rogantur Eminentissimi PP. resumere, atque singulari, qua præstant, sapientia in hodierno Senatu, partibus earumdem Causarum decisionem postulantibus, respondere.

ALEXANEN. CELEBRATIONIS MISSARUM. *Sess. 22. Dec de observ., & evit. in celebrat. Missarum.*

An celebratio Missarum adimplenda per Alexandrum Arcella, & Ignatium Seraphinum in Ecclesia Parochiali Tiliani, Sacerdotibus exteris eisdem benevisis committi valeat in casu &c.

Affirmative, soluta tamen eleemosyna, juxta Decretum Episcopi, & amplius.

BISUNTINA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. *Sess. 25. c. 19 de Regul.*

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmative.

ARGENTINEN. VOTORUM. *Sess. 25. c. 19 de regu.*

An sit locus dispensationi in casu &c.

Negative, & amplius.

SAMOGITIEN. SEU VILNEN. MATRIMONII. Comes Joannes de Dourozyn Sollohub, Supremus Magni Ducatus Lithuaniæ Thesaurarius, & *Sess. 25. c. 1. de ref.*

 Comi-

Comitissa Constantia de Kryspin Pakouva ejusdem Magni Ducatus Lithuaniæ Vexillifera cupientes nuptiali fœdere sese intra Diæcesim Varmiensem sociare, sub mensem Januarii 1728. ab Apostolico ejus temporis Nuncio in Regni Poloniæ residente impetrarunt facultatem contrahendi matrimonii, nulla etiam præmissa denunciatione, coram Parocho memorati Comitis de Sollohub, vel alio Presbytero per eum delegato, uti constat literis hujus concessionis.

Ambo deinceps convenerunt ad Oppidum *Turburgi* Samogitiensis Diæcesis, ibique in Ecclesia, sive Cappella Arcis Kidulæ celebratæ fuerunt nuptiæ, quibus consuetam benedictionem est impartitus Thomas Lynieuski Religiosus Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ præsente etiam Sacerdote Grodzki Decano, & Parocho loci Turburgi.

Hoc ita inito Connubio uterque Conjux insimul, uti præfertur, cohabitarunt usque ad annum 1734., quo decurrente quum super istius Matrimonii viribus excitata fuisset quæstio in Curia Episcopali Samogitiensi, composita deinceps ea fuit die 11. Decembris ejusdem anni per quamdam transactionem suadentibus potissimum, & collaudantibus Vilnensi, atque Samogitiensi Episcopis de scripto exaratam, & ab utroque Conjuge proprio nomine subsignatam, in qua præ ceteris hæc leguntur -- *Nos Thesaurarii Magni Ducatus Lithuaniæ Conjuges quidquid inter nos hucusque displicentiæ in vita invenire poterat, ex nostris cordibus sincere propalatis, & christiano modo oblivioni datis pro ulteriori tempore ætatis nostræ, quamdiu Deus nos conservare dignabitur, novis fidelis confidentiæ, & veri amoris conjugalis votis, ac ligamentis nos obligando, & infortunata dissidia, & dispensiones præveniendo cavemus nobis, quia sinistrum de conjugali vita suspicionem ullam ad corda nostra ad invicem admittere non debemus, relationes malas audire, & quod magis illas inter Personas ad hoc non permittentes divulgare non debemus* -- Eademque die prolata apparet ab Episcopo Hironensi Suffraganeo, & Vicario Generali Episcopi Samogitiensis quædam declaratio, in qua recensens ille controversiam super matrimonii validitate excitatam, necnon concordiam mox inter hosce Conjuges stabilitam diserte testatur, quod ii -- *Satisfaciendo ordinationi S. Matris Ecclesiæ, evitandoque ulteriores scrupulos, & tollendo quodlibet dubium, aut dubia exinde provenientia ad cautelam conscientiæ novum consensum Matrimonii de præsenti per verba expressa, & articulata suscepti. & inter se ad invicem initi coram nobis, & testibus dignissimis habitis, & adhibitis, hic infra connotatis emiserunt, & pronunciarunt, adeoque indispensabile vinculum Matrimoniale, spondendo quoque sibi mutuam fidem, reverentiam, & ex parte Consortis obedientiam in forma Ritualis Romani solita ratificarunt, & juramento in præmissis comprobarunt* -- Huic autem actui præsentes fuisse dicuntur Episcopus Vilnensis, quidam Judex Ducatus Samogitiensis Cappellanus, qui nuncupatur ad latus Vilnensis Episcopi, & demum ejusdem Vilnensis Antistitis Notarius ad hoc testimonium, ut ipse refert, conscribendum legitime vocatus.

Verum anno 1737. Vir iterum Matrimonii nullitatem in Curia Episcopali Vilnensi proposuit contendens, illud neque ab initio ob non adhibitam proprii alterutrius contrahentium Parochi præsentiam fuisse validum, neque postea per memoratam transactionem potuisse convalidari, suamque petitionem adeo ursit, ut quamquam Mulier contracti Matrimonii firmitatem propugnaret, Officialis Generalis ejusdem Episcopalis Curiæ sub annum 1739. sententiam tulerit, qua nullum. & invalidum declaravit præfatum Matrimonium, ac liberum esse statuit Comiti de Sollohub ad alias nuptias transire, Comitissæ vero de Kryspin, veluti castitatis voto pridem obstrictæ, ne alteri Viro auderet nubere, interdixit.

Post hæc Comes d. Sollohub aliam duxit Uxorem; Comitissa autem de Kryspin sub annum 1741 supplicavit Sanctissimo, ut Causam prioris sui Matrimonii juberet retractari; cumque ejus preces fuerint ad hanc Sacram Congregationem jussu Sanctitatis suæ delatæ, rescriptum est Nuncio Apostolico, ut auditis Partibus

tibus eamdem S. Congregationem de toto negocio instrueret, illisque congruum præfigeret terminum ad jura sua in hoc Supremo Senatu deducenda, facta etiam ipsi Nuncio potestate demandandi assertorum novorum Conjugum separationem, ubi vera esse comperiret, quæ in precibus Comitissæ Constantiæ exponebantur.

Quid hisce literis responderit Apostolicus Nuncius, percipient, Eminentissimi PP. ex ejus Epistola ipsorum oculis subjicienda; Quidquid amplius vero actum fuerit in Causa, intelligent ex juribus proferendis tam a Defensoribus Collitigantium comulatissime, quam a Defensore Matrimonii juxta novissimam Constitutionem Sanctiss. D. N. feliciter regnantis deputato, quibus sedulo ponderatis rogantur pronunciare.

An constet de nullitate, seu potius de validitate Matrimonii inter Comitem Joannem de Sollohub, & Comitissam Constantiam de Kryszpin in casu &c.

Constare de validitate Matrimonii, & amplius.

VILNEN. Judiciaria disceptatio fœderis Matrimonii, quæ juxta facti seriem superius descriptam jam diu agitur inter Comitem Joannem de Sollohub Supremum Magni Ducatus Lithuaniæ Thesaurarium, & Comitissam Constantiam de Kryszpin ejusdem Magni Ducatus Vexilliferam, occasionem quoque præbuit alteri controversiæ mox enarrandæ. *S. ... de ...*

Paulo antea quam Vicarius Generalis Consistorii Vilnensis sententiam ferret super controversi Matrimonii nullitate, Comitissa Constantia in quadam syngrapha, sive litteris, quas vocat, *assecurationis*, sub diem 4. Junii 1739. conscriptis, & Comiti Ioanni datis, hanc cautionem sive sponsionem emisit -- *Quod ego pro meis expensis litis cum eodem Domino Consorte meo Supremo Thesaurario M. D. L. erogatis in variis subselliis Ecclesiasticis; & ad præsens in Consistorio Vilnensi de invaliditate Matrimonii pendentis impendi; In vim earum expensarum evitando ulteriores litigiosos processus, & prætensiones appellationis ad altiora subsellia, deposita in manibus Perillustris D. Casimiri Dereaß Thesaurarii Minskensis summa centum millium Florenorum contentam me fore exhibui, quam juxta assecurationem mutuo datam per Decretum latum Consistoriale in materia Matrimoniali receptura sum a Perillustri D. Thesaurarii Minskensi, & istæ cautionis litteræ post receptam summam ab utrinque cassari, & ad manus, quorum intererunt, ab utrinque tradi debebunt. Ego autem Suprema Thesauraria M. D. L. Consors sub vadio summæ superius expressæ centum millium Florenorum decreto Consistoriali Vilnensi, si illud in partem Illustrissimi Domini Thesaurarii M. D. L. emanaverit, acquiescere, & contenta esse debebo, nullam ad altius judicium faciendo appellationem: Et hanc meam assecurationem sub vadio centum millium Florenorum manu mea confirmo, & subscribo*

Promulgata inde fuit sub diem 10. ejusdem Mensis Junii 1739. Consistorii Vilnensis sententiam declarans irritum prorsus esse connubium, cui sese obstrinxerant Comes de Sollohub, & Comitissa de Kryszpin, simulque demandans, ut ille suppletorium juramentum præstaret; Eadem vero die Comitissa in scriptis fassa est pro suis expensis, & damnis tempore litis tam in Consistorio Samogitiensi, quam etiam in Consistorio Vilnensi factis centum millia Florenorum recepisse a Thesaurario Dereaß, penes quem ea pecunia deposita erat, promisitque se -- *non impedituram juramentum a D: Consorte meo* (sunt ejus verba) *futura die Veneris præstandum*, nec etiam provocaturam a sententia Consistorii Vilnensis:

At quum Comitissa veterem postea de sui Matrimonii viribus controversiam instaurarit coram hac Sacra Congregatione modo pendentem, Comes de Sollohub adversus eam egit coram Judicibus pro Supremo Tribunali M. D L. Deputatis, obtinuitque speciali Decreto eidem interdici, ne amplius contra Vilnen. Consistorii sententiam reclamare sibi arrogaret, quin imo, & ipsam ob violatam fidem pacti inter eos conventi, tum ad tempus proscribi, tum etiam *ad summam*

centum millium Floren. cum duplo in vim acceptæ capitalis summæ, & stipulatorum vadiorum, itidemque adulta 84. millia Floren. pro expensis condemnari.

Interea vero temporis, quo Comes de Sollohub coram prædictis Judicibus institutam actionem prosequebatur, Comitissa Constantia supplicavit Sanctissimo Domino Nostro, ut novam hanc controversiam veluti cum altera validitatis Matrimonii quoquomodo connexam Sacræ huic Congregationi cognoscendam remitteret, simulque per organum ipsius S. Congregationis inhibere dignaretur prædicto Comiti, ne super ea aliquid amplius penes alios Judices conari auderet: Cumque Summus Pontifex instantiam hujusmodi *ad Sacram Congregationem Concilii cum facultatibus necessariis, & opportunis remiserit*, jussu propterea Eminentissimorum Patrum, qui in superiori Congregatione mandarunt interim inhiberi Comiti de Sollohub, ne hanc ob rem coram alio quocumque Judice molestiam ullam Comitissæ Constantiæ inferret, disceptandum in hodierno Senatu proponitur.

An, & in qua parte sit locus exequutioni Apocæ, de qua agitur, & quæ summa sit restituenda, vel solvenda per Comitissam Constantiam de Kryspin in casu &c.

Negative, & amplius.

CARPENCTORATEN. In Cathedrali Ecclesia Carpenctoratensi duo inter alios extant Canonicatus, Pœnitentiarii scilicet, & Sacristæ, quorum uterque Præbendæ suæ adjunctos habet Prioratus quosdam, si e Beneficia; pænitentiario scilicet adhæret Prioratus Ecclesiæ Parochialis loci Carumbi, ubi ad gerendam animarum curam Vicarius præficitur: Sacristæ vero adnexi sunt gemini Prioratus, alter Rupis Henrici nuncupatus Parochialem Ecclesiam continens Vicarii pariter regimini suppositam, & alter Ecclesiæ S. Hyppoliti certam quamdam regionem complectens non longe ab Oppido Carumbi distitam, cujus Incolæ Decimas persolvunt Canonico Sacristæ tanquam ejus Ecclesiæ Priori.

Sess. 21. c. 4. de ref.

Verum an Ecclesia isthæc, & Populus eam regionem inhabitans peculiarem, ac distinctam efformet Paræciam, vel potius subsit territorio, & Ecclesiæ Parochiali Loci Carumbi, id non semel in controversiam vocatum est. Anno quippe 1616., ut Acta visitationis perhibent, Episcopus ad S. Hippoliti regionem accedens perspexit, duas ibidem Ecclesias extare temporum injuria plurimum vitiatas, quarum altera usui Cellævinariæ jam inserviebat, altera vero tribus adhuc Altaribus instructa quidem reperiebatur, sed aliqua jam ex parte collapsa erat. Ex duorum autem Civium Carumbensium testimonio accepit, semel dumtaxat per annum, die nempe S. Hippolito sacra Missæ Sacrificium peragi ea in Ecclesia consuevisse. licet olim Testes ipsi viderint, morem fuisse crebrius ibidem Divina celebrandi Altaris mysteria, festis præsertim diebus inter duas Sanctissimæ Crucis celebritates recurrentibus, qui mos postea grassantium Bellorum caussa, fuerit neglectus; sciscitanti vero Episcopo, quisnam spiritualem curam gereret Incolarum Prioratus S. Hippoliti, duo ex illis responderunt, *se vidisse tempore Quadragesimæ præteritæ Presbyterum de Albarusso Diœcesis Vasionensis deferentem Sanctissimum Viaticum Renderto D. Gerini, qui commoratur in Decimaria prædicta S. Hippoliti; Quem quidem Curatum sic viderunt circa Crucem itineris tendentis Carumbo ad locum de B. lbais*,

De hac Animarum cura (si verum est, quod exhibetur, Decretum ex actis Curiæ Episcopalis extractum, ac Notarii, & moderni Episcopi sigillo munitum) Canonicus Sacrista sub annum 1633. quæstionem movit adversus Canonicum Pænitentiarium, contenditque Vicariis Parochialis Ecclesiæ Carumbi ex antiqua consuetudine onus incumbere administrandi Sacramenta Baptismi, Pænitentiæ, Eucharistiæ, ac Extremæ Unctionis Incolis S. Hippoliti, eorumque funera, & exequias peragendi, ac Pænitentiarius ipse nomine prædictæ Parochialis Ecclesiæ ultro paratum se obtulit eam obligationem suscipere, dum tamen

Fu-

Funerum quarta, aliaque emolumenta, *juxta antiquam consuetudinem*, præcipua ipsius Ecclesiæ Vicariis manerent; Unde Vicarius, & Officialis Generalis Episcopi ex utriusque Partis consensu hanc oblationem perpetuo servari decrevit.

Sequuri autem tempore, sub annum videlicet 1692 Carpentoratensis Episcopus, dum Sacram Visitationem obiret, Presbyterum quemdam ad audiendas confessiones approbatum interea deputavit pro Sacramentis administrandis Populo Territorii S. Hippoliti *expensis cujus de jure* ita efflagitante Vicario Parochialis Ecclesiæ Carumbi, statuitque tam huic, quam Priori S. Hyppoliti unius mensis terminum, intra quem edocere deberent, quisnam hujusmodi oneri obnoxius foret; At anno 1715. quum occasione alterius visitationis Episcopus ab ejus Territorii habitatoribus exoratus fuisset, ut proprium Sacerdotem ipsis constitueret cum congruo stipendio per Canonicum Sacristam tribuendo, quia comperit, in Ecclesia S. Hippoliti per aliquod jam tempus Sacramenta administrari consuevisse a quodam Presbytero Loci Carumbi, quem ad id Canonicus Sacrista elegerat, jussit eum in hoc munere perseverare *expensis* pariter cujus *de jure*, donec aliter decerneretur.

Instaurata rursum fuit sub annum 1725. coram Episcopo visitante Locum Carumbi anteacta petitio; verum Populi desiderio restitit Canonicus Sacrista obtendens eumdem Populum a Vicario Carumbi agnosci tamquam Parochiæ suæ subjectum, præsertim ex antiqua consuetudine ab ipso Vicario, & reliquo Clero, necnon a Consulibus, & Officialibus Baronis ejusdem loci hactenus observata instituendæ quotannis publicæ supplicationis ad Ecclesiam S. Hippoliti, sumendique ibidem prandii satis laute instructi sumptibus prædicti Canonici; E diverso Vicarius, & Clerus Carumbi reposuerunt, ex ea consuetudine nullum inferi posse Parochialis subjectionis argumentum, professique insuper sunt, ultro se, quatenus opus foret, cuicumque processionis, & prandii juri cedere; Consules autem nomine Universitatis, & ipsi paratos se obtulerunt quibusque prandii expensis parcere, dum tamen illæ converterentur in usum administrationis Sacramentorum arbitrio Episcopi. Is itaque *attento consensu* Cleri, & Consulum, & quatenus accederet pariter consensus Baronis loci Carumbi, decrevit, prandii loco persolvi annuatim a Priore S. Hippoliti summam centum librarum memoratis Vicario, & Clero, qui propterea unoquoque biennio unum Presbyterum approbandum deputare tenerentur pro Sacramentis illi Populo administrandis, ibidemque pro Sacrificio Missæ celebrando, tradendisque Fidei elementis in Ecclesia S. Hippoliti singulis diebus Festis inter unum, & alterum diem Sanctæ Cruci dicatum intercedentibus.

At veteres illæ contentiones nec dum fuerunt extinctæ; renuenti namque Vicario prædictæ Parochialis Ecclesiæ Sacri Baptismatis lavacro tingere Infantes Territorii S. Hippoliti, pœnam suspensionis indixit Episcopus prædecessor, si adhuc id recusaret; anno autem 1736. modernus Antistes Sacræ visitationis tempore imperavit Canonico Sacristæ, ut Vicarium sibi adsciseeret pro munere Parochi obeundo in eo districtu: Sed Canonicus Sacrista servandæ ut ajebat pacis gratia petiit ab Episcopo, ut eosdem Incolas Parochiæ Rupis Henrici jam suo Canonicatui adnexæ subiiceret, cui petitioni annuit quidem Episcopus, sed in novi oneris retributionem jussit Vicario memoratæ Parochiæ annuam summam 150. Librarum a Canonico Sacrista præstari; Vetuitque præterea, ne amplius a Vicario, & Presbyteris Ecclesiæ Parochialis Carumbi haberentur solemnibus quibusdam diebus publicæ supplicationes, aliæve Sacræ Functiones in Ecclesia S. Hippoliti, proscripto penitus veteri more instruendi, harum celebritatum occasione, epulas præfatis Vicario, & Presbyteris, necnon cænulam quamdam nuncupatam *des fractus*, quæ habitatoribus S. Hippoliti propriis Canonici Sacristæ sumptibus præbebatur.

Hoc novæ subjectionis, sive unionis Decretum per sententiam deinceps confirmavit Episcopus sub annum 1740. additis hisce legibus; *Primo*, quod infantes Baptisma

ptiſmo initiari deberent vel in Eccleſia Parochiali Rupis Henrici, vel in altera S. Hippoliti, prout commodius ejus Territorii hominibus videretur. *Secundo*, quod Parochus, ſeu Presbyter ſingulis diebus feſtis accedens ad eam Cappellam pro conficiendo Miſſæ Sacro teneretur etiam Fidei rudimenta pueros edocere; *Tertio*, quod cuſtodia, & expenſæ *ornamentorum*, ut in ſententia exprimitur, perpetuo ad Priorem pertineant; *Quarto* declaratum fuit interdictionem illam prandiorum in Decreto Unionis comprehenſam haud quaquam afficere Officiales Baronis, aut Conſules Loci Carumbi, ac S Hippoliti,

Verum hæc ſententia neque Conſulibus Loci Carumbi, neque Populo S. Hippoliti, neque demum arriſit ipſi Canonico Sacriſtæ, qui plus æquo jura ſui Canonicatus imminuta fuiſſe exiſtimans, ſimulque prætexens, nullam antea notionem habuiſſe Decreti ſub annum 1633. a Vicario Generali Curiæ Epiſcopalis editi ſupremum hoc adiit Tribunal, oblatoque ſupplici libello poſtulavit, decretum illud perpetuo ſervandum juberi, improbarique priſcam illam conſuetudinem parandi convivii, & cænulæ ſive Incolis S. Hippoliti, ſive Clero, ſive tandem Magiſtratui, & Conſulibus loci Carumbi.

Porro ut evincat Canonicus Sacriſta ſervandum eſſe decretum, quod ſuper adminiſtratione Sacramentorum facienda Incolis commorantibus in Prioratu S. Hippoliti, latum fuiſſe adſerit anno 1633., plura congerit argumenta, quibus demonſtrare ſatagit Eccleſiam, & territorium S. Hippoliti pertinere ad Paræciam Loci Carumbi: Præcipua autem ſunt vehemens Juris præſumptio, quod unuſquiſque locus illi ſubſit Paræciæ, cui vicinior apparet, ut notant *Fagnan. in cap. nullus n.23., & ſeqq. de Paroch. Rot. cor. Dunozet. Sen. dec.309.n.4. in rec. deb.106. n.16. par.19. cor. Anſald. deciſ.266. n.15., & cor. Herrer. dec.2. n.2.* Plures enunciativæ, quæ in antiquiſſimis actibus leguntur nuncupantes. Prioratum S. Hippoliti, veluti *de Tirritorio Carumbi*, nimirum ſententia quædam Epiſcopalis Curiæ lata inter eundem Priorem, & Conſules locorum Carumbi, & Albaruffi, duplex Inventarium per Canonicum Sacriſtam in eadem Curia Epiſcopali exhibitum ſub annos 1586. & 1600., & demum gemina Paſtoralis viſitatio peracta initio ſæculi decimi ſeptimi; Ex his enim actibus unitatem Territorii perhibentibus ſicuti putat eam non poſſe in controverſiam revocar, ita eamdem unitatem inquit intelligendam eſſe de Territorio ſpirituali, ſive Parochiæ, non vero de territorio dominii temporalis, quod diſtinctum eſſe fatentur ii, qui hac in cauſa Canonico Sacriſtæ contradictores ſe præbent.

Præter hæc alias ſuggerit conjecturas depromptas ex diſcretivo loquendi modo adhibito in memorato Inventario anni 1586. vbi hæc verba leguntur -- *Dico, & juro Sacriſtiam habere Prioratum Ruralem S. Hippoliti in Territorio Carumbi, nec non alium Prioratum curam animarum habentem*, item ex eo, quod Epiſcopus anno 1616. viſitans Eccleſiam S. Hippoliti nullum ibidem repererit Sacerdotem ad Curam animarum deputatum, quin potius teſtes interrogati reſponderint, ſe vidiſſe Presbyterum de Albaruffo illuc deferentem Sanctiſſimum Viaticum, atque etiam ex pluribus antiquis viſitationum actis annum 16 6. inſequutis, in quibus de Eccleſia S. Hyppoliti edicitur, vel ut illa nunquam reſerata maneat, *niſi pro adminiſtratione Divini Servitii*, claveſque januæ detineantur a Canonico Sacriſta, aliove Presbytero, cui ipſe maluerit, vel ut Vicarius Carumbi det operam tollendo cuidam ſuperſtitioſo abuſui in eamdem Eccleſiam invecto, vel præſente duntaxat Vicario, aliiſque Presbyteris Eccleſiæ Parochialis Carumbi, ut neceſſaria ſuppeditentur ad Sacrificium Miſſæ; Quæ omnia Decreta parum apta, & congrua apparerent, niſi perſuaſus Epiſcopus fuiſſet uni eidemque Paræciæ ſubeſſe locum Carumbi, & S. Hippoliti.

His omnibus addit tum Decretum anni 1633., tum perennem morem a vetuſtiſſimo tempore obſervatum, ſecundum quem Vicarius Carumbi non modo annis ſingulis in Feſto S. Hippoliti ad ejus Eccleſiam ſolet convenire una cum Clero, Magiſtratu, & Conſulibus, ibique Miſſarum ſolemnia, & ſacras functiones explere, verum etiam actus quoque Parochiales ſemper exercuit in Populum S. Hippo-

Hippoliti. Id quod satis probatum iri autumat ex attestatione plurium eam Regionem incolentium, atque etiam ex ipso Decreto Vicarii Generalis sub annum 1633. in quo de Populo S. Hippoliti enunciatur antiqua consuetudo percipiendi Sacramenta in Ecclesia Carumbi, eique solvendi emolumenta funerum, aliaque Parochialia.

Quod si territorium S. Hippoliti ad unam, eamdemque pertineat Parochialem Ecclesiam Carumbi, jam inde consequens fit, neque ratam habendam esse unionem illius territorii cum Parochia Rupis Henrici ab Episcopo antea decretam, neque locum esse deputationi alterius peculiaris Vicarii pro exercenda cura animarum in Ecclesia S. Hippoliti, quum hæc per unum dumtaxat distet milliarium ab altera Carumbi, ad eamque sit admodum facilis via. Ceterum si pro populi commoditate alter foret instituendus Vicarius, huic inquit stipendium deberi ex reditibus ipsius Parochialis Ecclesiæ, vel ex communi ejus Populi contributione: nunquam vero ex fructibus Prioratus S. Hippoliti veluti annuam summam sc.87., subductis oneribus Præbendæ suæ adnexis, vix attingentibus: quum e contra longe uberiores sint reditus tam Canonici Pœnitentiarii, quam Vicarii Prioratus Carumbi uti ex calculo, quem exhibet, demonstrari contendit.

At qui partes sustinent sive Incolarum S. Hippoliti, sive Baronis, Vicarii, & Consulum Loci Carumbi, illud propugnant, novum constituendum esse Vicarium in Territorio S. Hippoliti, qui munus ibidem gerat Parochi, attributa ei ex Canonici Sacristæ reditibus congrua mercede, propterea quod Ecclesia illa, ac Territorium juribus Paræciæ gaudebat ab altera loci Carumbi prorsus distinctæ; hanc vero Paræciæ distinctionem probant tum ex locationibus Decimarum, quæ a Canonico Sacrista fieri solent, tum ex præstationibus homagii, quæ a Domino temporali nominatim, atque distinctim pro territorio S. Hippoliti exhibentur, ex iis enim satis colligi authumant discrimen Territorii Spiritualis, ac temporalis S. Hippoliti ab illo Carumbi, ut utriusque Populus unam Universitatem conficiat.

Aliis quoque facti momentis nituntur adstruere qualitatem Parochialem Ecclesiæ S. Hippoliti, videlicet ex jure decimarum, quo fruitur Canonicus Sacrista, ex vetustissimo Cæmeterio ipsi Ecclesiæ adjacenti, quod commemoratum legitur in visitatione facta sub annum 1616., atque in alia visitatione nuper a moderno Episcopo fuit recognitum, ex pacto itidem adjecto in geminis locationibus Decimarum sub anno 1512., & 1513., & 1593. quod propriis sumptibus Conductorum Divina peragi, ac Sacramenta administrari deberent in Ecclesia sæpedicta, ex facta per Canonicum Sacristam anno 1713. deputatione proprii in ea Presbyteri, qui officium Parochi exerceret, ac demum ex obligatione a moderno Sacrista ultro accepta solvendi annuam summam centum, & quinquaginta librarum Vicario Rupis Henrici pro spirituali cura Populi S. Hippoliti.

Decretum autem illud, quod sub annum 1633. a Vicario Generali editum esse fertur, non leviter falsi supectum esse coniiciunt, tum ex literis quibusdam in originali repertis, tum quia verosimile haud sit, latum esse Decretum super ea re, cujus nullam antea questionem motam fuisse apparet, vel istud nunc solum in apertum prodiisse, quum Canonico Sacristæ, ejusque Antecessoribus maxime interesset longe antea illud exhibere: sed etsi verum foret, obiiciunt irritum, nulliusque roboris esse, utpote a Vicario Generali sine ullo speciali mandato Episcopi, neque auditis iis, quorum intererat, neque justa ex caussa editum.

Episcopus in sua Relatione multa cumulat iis fere consona, quæ ab Oppositoribus Canonici Sacristæ proferuntur, additque gravia incommoda Populo S. Hippoliti, ob difficultatem itineris derivatura, si rata maneat illius adiectio Paræciæ Rupis Henrici, ac quidquid olim fuerit, nunc sane, & populum in dies excrescentem, ac jam ad septendecim familias adauctum, & uberiores, quas modo Canonicus Sacrista percipit, Decimas, omnino exposcere, ut novus iis Habitatoribus præficiatur Vicarius ex iisdem Decimarum reditibus sustentandus.

Omnibus itaque perpensis respondere oportet.

I. An

I. An Decretum Curiæ Episcopalis Carpentoraten. latum anno 1633. super administratione Sacramentorum Incolis commorantibus in Prioratu S. Hippoliti sit servandum, *& quatenus negative*.

II. An unio de qua agitur, facta anno 1736, sustineatur in casu &c. *& quatenus negative ad utrumque*.

III. An Canonicus Sacrista Ecclesiæ Cathedralis Carpen. Prior S. Hippoliti teneatur providere propriis sumptibus administrationi Sacramentorum dictis Incolis, retinendo ibidem Vicarium, qui functiones omnes Parochiales adimpleat, seu potius ad hujusmodi onus teneantur propriis sumptibus Prior, & Parochus Carumbi, Populus, vel Episcopus, seu aliàs quomodo sit providendum in casu &c.

IV. An Parocho, Clero, Magistratui, Consulibus Carumbi, & Habitatoribus Territorii S. Hippoliti in die Festivitatis dicti Sancti processionaliter accedentibus ad ejusdem Sancti Ecclesiam, Prior S. Hippoliti teneatur præstare prandium, seu refectionem eadem die, nec non teneatur aliud prandium in loco Carumbi iisdem Parocho, Clero, Magistratui, & Consulibus præstare die Dominica sequenti in casu &c.

Ad I., & II. Negative. Ad III. Affirmative ad primam partem. Ad IV. Negative, & amplius.

Sess. 23. c. 4. de ref.

AMERINA. Ad supplicationem Hieronymi Matthei Ducis Terræ Iovii, sa. me. Clemens XII. sub annum 1738. die quinta Junii, eidem indulsit -- *ut pro constructione novæ Ecclesiæ* (Parochialis scilicet ejus loci) *de qua in precibus, erogari valeat summa, quæ debetur Monti, sive Montibus Frumentaris ejusdem Terræ Jovii, pro eo tamen solummodo, quod superest. ultra sortem erectionis, quæ integra, & intacta reservari debeat pro Capitali, & fundo dicti Montis, seu Montium Frumentariorum quibuscumque in contrarium non obstantibus*.

Concessit pariter -- *ut pro constructione Ecclesiæ, de qua in precibus, erogari valeant annua scuta 120. assignata pro duabus puellis de Terra Jovii, quæ nubere velint in Domino, non concurrentibus de illa Terra Jovii puellis de anno in annum, quæ velint profiteri in Religione. Si autem una saltem puella concurrat ex prædictis, unum subsidium dotale tantum scutorum 60. de anno in annum erogari valeat pro constructione dictæ Ecclesiæ ad decennium quibuscumque in contrarium non obstantibus*.

At Communitate, & Populo Terræ Joviii gemina hæc Pontificia rescripta impugnantibus, oportuit unum, & alterum dubium coram hac Sacra Congregatione disputandum proponere, scilicet -- I. *An gratia, de qua agitur sit exequenda, seu potius constet de illius subreptione*, & quatenus affirmative ad primam, & negative quoad secundam partem. II. *An comprehendat, etiam ultra Montem denominatum Parca alios Montes Frumentarios Communitatis Terræ Jovii in casu &c.*, quibus die decima mensis Iunii 1741. Eminentissimi PP. rescripserunt -- *Coadjuventur probationes. & scribatur Episcopo juxta instructionem*.

Datæ itaque fuerunt ad Episcopum litteræ, quibus jussus est Sacræ Congregationi referre -- *An populus hodie assentiatur Fabricæ novæ Ecclesiæ, & an ulla spes affulgeat, quod Parochiani manus adjutrices, aliquodve subsidium pro eadem Fabrica libenter imposterum sint præstituri, itidemque exprimat, quæ summa verisimiliter exigi possit a debitoribus Montis Frumentarii a Paulo Parca instituti*.

Nuper autem renunciavit Episcopus se, ut exacta earum rerum notio, quam Sacra Congregatio exquisierat, haberi posset ad Terram Jovii misisse Carolum Geraldini Priorem Cathedralis Ecclesiæ una cum Episcopalis Curiæ Cancellario, a quibus convocato populo nempe uno pro qualibet Domo in Ecclesia Sanctissimi Suffragii, exploratoque separatim illius animo *triginta novem* (inquit) *pro Fabrica novæ Parochialis assensum præstiterunt, manusque adjutrices, ac pro*

pro viribus subsidium pro eadem Fabrica libenter præstari promiserunt septuaginta vero, & octo eidem Fabricæ dissensi fuerunt.

Deinde vero quod disquisitione facta debitorum Montis Frumentarii Pauli Parca a tribus Deputatis ad id electis -- *fuerunt adinventa* Rubra 65., & Quartar. 2.$\frac{1}{4}$ *frumenti a debitoribus restituenda, quæ ab Archipresbytero ejusdem Terræ, a Rev. Joanne Petro Baranzone, & Joanne Antonio Celsi inexigibilia prorsus existimatur. Alia vero* Rubra 77. Quart. 2., & Ottajol. 6. $\frac{1}{4}$ *frumenti, apparet fuisse tradita de anno 1738. in tot collectenis Prioribus ejusdem Terræ: Supradicta vero quantitas frumenti in Bollectenis tradita, videtur comprehensa in erectione, & dilatione erectionis ejusdem Montis, qui fuit erectus de anno 1676; cum 28. circiter rubris frumenti, & deinde auctus iuxta dispositionem eiusdem Parca, cum alio rubro frumenti quolibet anno eidem Monti tradito.*

Postremo hæc subdit idem Episcopus -- *Et licet in commissis non habeam aliud EE. VV. referre, attamen pro maiori* Dei *gloria significare proprium existimo necessitatem ædificandi novam Ecclesiam Parochialem capacem, & aptam ad recipiendum totum populum Jovii, attento quod per fides tam Archipresbyteri ejusdem Terræ, quam Religiosi* Ordinis *Minorum Reformatorum S. Francisci. qui prædicationis munus in proxima præterita Quadragesima exercuit in Parochiali Ecclesia dictæ Terræ, apparet eumdem Ecclesiam diebus Festivis præcipue solemnioribus esse incapacem ad recipiendum totum populum: Et mea complacentia esset, ut ædificaretur nova Parochialis, ad hoc ut ille Functionibus Ecclesiasticis possit interesse, & verbum Dei audire.*

Rursus igitur proponitur Eminentissimis PP. decidendum.

I. *An gratia, de qua agitur, sit exequenda, seu potius constet de illius subreptione*, Et quatenus affirmative ad primam, & negative quoad secundam partem.

II. *An comprehendat etiam ultra Montem denominatum Parca alios Montes Frumentarios Communitatis Terræ Jovii in casu &c.*

Gratiam esse exequendam etiam quoad alios Montes Frumentarios arbitrio Episcopi, qui ejus exequutioni sedulo incumbat, invigilando præsertim, ne in constructione Ecclesiæ fiant ornatus superflui, & pro ejusdem Ecclesiæ tutiori, ac celeriori absolutione; quatenus opus sit, procedat etiam prout de jure, ad formam resolutionis æditæ anno 1707., & amplius.

PAPIEN. Series quatuordecim Dubiorum, quæ mox subnectentur, patefacit controversias inter Superiores Regulares Monasterium vulgo *del Senatore*, *e della Pusterla*, & Curiam Episcopalem obortas, & ad Sacri hujus Tribunalis cognitionem delatas; Jura autem utriusque Partis una cum Relatione Episcopi circumferentur, ex quibus grave non erit EE. PP. definire. *Sess. 25. c. 12. de reg.*

I. An liceat Abbatibus Sanctissimi Salvatoris, & Sanctorum Spiritus, & Galli Ordinis Cassinensis admitti facere Puellas in Capitulo Monialium Monasteriorum SS. Mariæ, & Aureliani, & .Mariæ Theodotæ pro acceptatione ad habitum, antequam exploretur ab Episcopo illarum voluntas in casu &c.

II. An Abbates prædicti admittere possint easdem Puellas in præfatis Monasteriis ad finem visitationis, & ut in eis morentur in habitu Sæculari per Mensem, vel ad aliud tempus, etiam pro probanda illarum vera vocatione, vel pro quacumque alia causa absque licentia Sedis Apostolicæ in casu &c.

III. An Abbatibus prædictis liceat absque particulari licentia Episcopi in scriptis concedere licentias ingrediendi Clausuram dictorum Monasteriorum cuivis Personæ etiam necessario admittendæ in casu &c.

IV. Quos, & quas Personas iidem Abbates secum assumere debeant occasione eorum ingressus intra septa dictorum Monasteriorum pro explenda locali Visitatione.

V. An dicti Abbates extra casum dictæ localis Visitationis possint ingredi septa Monasteriorum, *& quatenus affirmative.*

VI. Quot, & quas Personas assumere teneantur in socios.

VII. A quo, vel quibus Personis associatus esse debeat Confessarius dd. Monialium in casibus administrandi Sacramenta Monialibus infirmis, & commendandi Animas in casu &c.

VIII. An exceptis dd. casibus administrationis Sacramentorum, & commendationis Animarum possit dictus Confessarius ingredi intra septa dd. Monasteriorum in casu &c.

IX. An Episcopus possit a Monialibus prædictis exquirere redditiones rationum in casu &c.

X. An eisdem Monialibus liceat absque licentia Episcopi exponere solemniter in eorum Ecclesiis SS. Sacramentum in casu &c.

XI. An Abbatissæ utriusque Monasterii recipere teneantur a Ministris Curiæ Episcopalis Edicta, sive mandata, quorum executio a S. Sede specialiter delegatur Episcopo in casu &c.

XII. An Abbates prædicti, inconsulto Episcopo, possint concedere licentias tam Sæcularibus, quam Regularibus ipsis benevisis, etiamsi sint propriæ Congregationis, accedendi Locutoria Monialium dd. Monasteriorum; *Et quatenus affirmative.*

XIII. In quibus tantum casibus concedere possint dictas licentias.

YIV. An Episcopus valeat supradictas licentias in casu transgressionis, vel abusus revocare, & Transgressores quoscumque coercere, & quibus pœnis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess. 24. c. 6. de Ref.

ROMANA SEU VITERBIEN. CONCESSIONIS BENEPLACITI APOSTOLICI. Nata fuit contentio inter Rectores Societatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam hujus almæ Urbis, ac Aloysium Arrighi, & Petrum Gasconum, quænam oblatio Apostolicæ Sedis auctoritate probanda esset, illa ne facta ab Aloysio Arrighi, vel potius altera Petri Gasconi, in licitatione quarumdam Ædium ad eamdem Societatem Sanctissimi Rosarii spectantium, quæ in Civitate Viterbii sunt positæ, minusque utiles existimantur.

Pro ea itaque dirimenda singuli adiere hanc Sacram Congregationem, in qua post exquisitam Eminentissimi D. Cardinalis Corsini Protectoris illius Societatis sententiam propositum fuit sub die 23. præteriti mensis Junii Dubium -- *An, quomodo, & cuius favore sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.* sed ejus Decisionem differendam esse censuerunt Eminentissimi PP., ita flagitantibus tam memorato Petro Gascono, quam Joanne Baptista Polidori, qui inter hæc tempora quum in supplici Libello Sanctissimo Domino Nostro porrecto exposuisset, conditionem quoque a se antea fuisse Societati oblatam, eamque ceteris fore anteferendam, veluti plenius in Loci pii compendium cessuram, preces suas ad eamdem Sacram Congregationem remitti obtinuerat.

Percunctari scilicet oportuit denuo Eminentissimum Societatis Protectorem, ut etiam super hac Joannis Baptistæ Polidori petitione Sac. Congregationem instruere, sensumque suum pandere dignaretur; Is enim conditionem a se oblatam ex eo potissime loco pio utiliorem fore adfirmabat, quia per ipsam potestas Societati fieret permutandi universa Bona, & nomina Debitorum, quæ ipsa possidet in Civitate Viterbii, cum totidem Bonis immobilibus hic in Urbe existentibus ea etiam optione data -- *Che volendosi dare a stima* (præfata nimirum Bona) *esibisce scudi 200. di più in tanti stabili; Seppoi alla raggione dell' annuo frutt. to promette scudi sei di più annui.*

At laudatus D. Cardinalis Protector quum rursus negocii hujus summam cum De-

putat -

putatis sive Rectoribus Societatis retractaverit, certiores nuper reddidit Eminentissimos Patres, quod iisdem Deputatis Oratoris oblatio ex pluribus non arriserit -- *Perpensum namque fuit* (sunt ejus verba) *quod licet dicta oblatio permutandi ab extrinseco videatur forsan utilis ob lucrum, quod offertur comparative ad Capitalia, & ad fructus, talis tamen non sit in rei substantia, non solum quia totum hoc lucrum absorberi, & confundi facilite possit in actu æstimationis ob inferius pretium, quod datur Bonis sitis in Partibus comparative ad illa existentia in Vrbe; Verum etiam quia Confraternitas in hoc contractu suum non consequitur finem assecurandi scilicet certum, & invariabilem fructum suorum Bonorum, prout ipsa de causa exoptarat, & incidit in illud idem præiudicium, quod a præterito edocta, evadere imposterum intenderet, difficultatum nempe exactionis, & expensarum manutentionis, quæ nedum minuunt, sed aliquando etiam integrum annuum redditum consumunt; tanto magis quia offeruntur domus vel destinatæ ad infimos, & periculosos usus, vel tenuissimæ qualitatis, & redditus, & sic verisimiliter dislocationibus, & affictuum iacturæ valde subiect. Vrgebat insuper ignota origo bonorum, & timor non remotus vinculorum, & hypothecarum, dum actu altera ex eisdem domibus a quodam Creditore hypotecario in Salviano retinetur; & non levis etiam fuit animadversio, quod huiusmodi effectus non sunt de pertinentia Oblatoris, sed eius Vxoris, adeo ut agendum esset cum fæmina, & super rebus dotalibus, qui contractus, etiam cum cauthelis, sunt parum exoptabiles. Fateor, quod eiusmodi recusationis motiva habita a Deputatis meum animum plurimum cogunt &c.*

His igitur ob oculos habitis, resumpto Folio præfatæ diei 23. Junii, collatisque juribus omnium inter se dimicantium deliberandum est.

An, quomodo, & cuius favore sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Concedendum esse beneplacitum favore Aloysii Arrighi pro scutis 810., & amplius.

Die Sabbathi 16. Februarii 1743.

PAPIEN. Una hæc Causa in Folio diei 26. mox elapsi Mensis remansit indecisa, eamque Eminentissimi Patres jusserunt in hodierna Congregatione proponi. Placeat igitur perpensis juribus diserte, uti fas est opinari, tam a Promotore Fiscali Episcopalis Curiæ, quam a Superioribus Regularibus Ordinis Cassinensis, quorum regimini subjecta sunt duo Sanctimonialium Monasteria vulgo nuncupata *del Salvatore, e della Pusterla*, nunc exponendis, respondere. *Sess.25.c.a.6.7.8.,& 9 de Regular.*

I. An liceat Abbatibus Sanctissimi Salvatoris, & Sanctorum Spiritus, & Galli Ordinis Cassinensis admitti facere Puellas in Capitulo Monialium Monasteriorum SS. Mariæ, & Aureliani, & S.Mariæ Theodotæ pro acceptatione ad habitum, antequam exploretur ab Episcopo illarum voluntas in casu &c.

II. An Abbates prædicti admittere possint easdem Puellas in præfatis Monasteriis ad finem visitationis, & ut in eis morentur in habitu Sæculari per Mensem, vel ad aliud tempus, etiam pro probanda illarum vera vocatione, vel pro quacumque alia causa absque licentia Sedis Apostolicæ in casu &c.

III. An Abbatibus prædictis liceat absque particulari licentia Episcopi in scriptis concedere licentias ingrediendi Clausuram dictorum Monasteriorum cuivis Personæ etiam necessario admittendæ in casu &c.

IV. Quos, & quas Personas iidem Abbates secum assumere debeant occasione eorum ingressus intra septa dictorum Monasteriorum pro explenda locali Visitatione.

V. An dicti Abbates extra casum dictæ localis Visitationis possint ingredi septa Monasteriorum, *& quatenus affirmative.*

VI. Quot, & quas Personas assumere teneantur in socios

VII. A quo, vel quibus Personis associatus esse debeat Confessarius dd. Monialium in casibus administrandi Sacramenta Monialibus infirmis, & commendandi Animas in casu &c.

VIII. An exceptis dd. casibus administrationis Sacramentorum, & commendationis Animarum possit dictus Confessarius ingredi intra septa dd. Monasteriorum in casu &c.

IX. An Episcopus possit a Monialibus prædictis exquirere redditiones rationum in casu &c.

X. An eisdem Monialibus liceat absque licentia Episcopi exponere solemniter in eorum Ecclesiis *SS.* Sacramentum in casu &c.

XI. An Abbatissæ utriusque Monasterii recipere teneantur a Ministris Curiæ Episcopalis Edicta, sive mandata, quorum executio a S. Sede specialiter delegatur Episcopo in casu &c.

XII. An Abbates prædicti, inconsulto Episcopo, possint concedere licentias tam Sæcularibus, quam Regularibus ipsis benevisis, etiamsi sint propriæ Congregationis, accedendi Locutoria Monialium dd. Monasteriorum; *Et quatenus affirmative.*

XIII. In quibus tantum casibus concedere possint dictas licentias.

XIV. An Episcopus valeat supradictas licentias in casu transgressionis, vel abusus revocare, & Transgressores quoscumque coercere, & quibus pœnis in casu *&c.*

Dilata, & proponatur omnino in prima post Cineres, etiam unica, & interim Abbates, & Moniales abstineant omnino ab actibus, de quorum facultate quæritur in dubiis, ac præterea Abbates prædicti non audeant deputare q empiam, sive sæcularem, sive regularem in Confessarium ordinarium, vel extraordinarium dictarum Monialium, aut alterius cujuscumque Personæ in iisdem Monaster is degentis absque præcedenti approbatione Episcopi sub pœnis in omnibus supradictarum censurarum ipso facto incurren aliisque arbitrio Sacræ Congregationis,

Sess. 22. Decret. de obser. & evit. in celebr. Miss.

SABINEN. TRANSLATIONIS LEGATI MISSARUM. Orinthia Clodia Lauret in Codicillis sub annum 1662. conscriptis legavit scuta centum Cappellæ Sanctissimæ Conceptionis erectæ a Capitaneo Francisco Corrado in Ecclesia Fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Oppidi Farani: Quæ quidem scuta centum (*sunt Codicillorum verba*) reinvestiri debeant in tot censibus, & pro illorum fructibus teneatur R. D. Cappellanus pro tempore existens, & perpetuo ad nutum nominandus a per Illustri Dom. Capitaneo Francisco Corrado, ejusque hæredibus &c. quatenus electio Cappellani fieri potuerit, quatenus vero non RR. PP. præsentes, & pro tempore existentes in dicto Conventu celebrare in dicta Ven. Cappella Missam unam qualibet hebdomada in perpetuum &c.

Margarita quoque Laureta de Corradis anno 1671. in suprema sua voluntate eidem Cappellæ elargiri voluit summam tercentum scutorum ab hæredibus præstandam in totidem hæreditariis censibus, aliisve bonis immobilibus cum onere tamen, & conditione, quod RR. PP. præsentes, & pro tempore existentes teneantur celebrare in dicta Ven. Cappella in perpetuum, & qualibet hebdomada Missas declarandas ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Suffraganeo Vicario Generali Sabinen. servata forma Constitutionis S. M. Urbani Papæ VIII. super celebratione Missarum.

Eam præterea conditionem adjecit. Quod in eventum, in quem infrascripti ejus hæredes, vel eorum alter, sive eorum hæredes voluerint tractu temporis

remo-

removere hujusmodi legatum cum dicta celebratione Missarum, & illud transferre cum dicto onere in Ven Cappella S. Nicolai in Ecclesia Parochiali Tarani, seu in alia Cappella per ipsos construenda in dicta Ven. Ecclesia Parochiali, possint, & valeant absque licentia, decreto, vel mandato dictum legatum cum dicto onere transferre, ut supra, & præfati ejus hæredes, & successores habeant electionem, nominationem, & jus nominandi ad nutum Cappellanum, illudque removendi, & alios denuo eligendi, nominandi, & præsentandi, quam facultatem voluit durare in perpetuum. Hæredes autem nuncupavit Capitaneum Joannem Corradum ejus virum, ac filiam Mariam Luciam, ipsique Joanni quandocumque decedenti substituit Nicolaum Georgeum, Mariam Liviam, Lucretiam, aliosque liberos Mariæ Luciæ suæ filiæ, & uxoris Cap. Joannis Bernardini Rodulphi.

Utriusque piæ Testatricis voluntati obsequens prædictus Franciscus Corradus Joannis pater sub annum 1676. integram summam scut. 400 scilicet 46. 90. in pecunia numerata, reliquum vero per traditionem prædiorum persolvit memoratis Religiosis Conventus S. Francisci Oppidi Tarani, istique perpetuum onus susceperunt ex decreto Provincialis Ordinis celebrandi quotannis Missas quinque supra viginti pro legato Orinthiæ, quinque vero supra octuaginta pro altero Margaritæ.

Nunc autem Antonius Ridolfi Joannis Bernardini filius, quippe qui ex hæredibus tam Orinthiæ quam Margaritæ unicus modo superfit; putat ex facultate ab una, & altera Testatrice Successoribus data, sibi jus esse non modo transferendi Cappellaniam a Margarita relictam in Ecclesia Fratrum Minorum sive a Cappella Sanctissimæ Conceptionis, quæ ibidem extat, ad alteram S. Nicolai jurispatronatus Familiæ de Rodulphis erectam in Parochiali Ecclesia Oppidi Tarani, verum etiam nominandi Cappellanum, qui Missarum onera adimpleat in recensito duplici legato comprehensa, idque postremum sibi licere contendit, sive translatio fiat alterius tantum Cappellaniæ ad Parochialem Ecclesiam, sive utraque Cappellania maneat in Ecclesia FF. Minorum.

Oblatis itaque ab Antonio ea de re precibus huic Sacræ Congregationi rogatus fuit Eminentissimus Sabinensis Episcopus eamdem Sacram Congregationem super iis instruere, suamque exponere animi sententiam: Laudatus vero Eminentissimus relationem suam transmisit, in qua facti speciem hactenus recensitam confirmans, de postulata Cappellaniæ translatione quid ipse sentiat, his verbis complectitur; „ Quidquid autem sit de jure Oratoris in meritis causæ, ipsius votis EE. VV. annuere posse reor, eo præsertim quod „ Conventus prædictorum Fratrum, cum fuerit unus ex suppressis a S. M. „ Innocentio X. & postea ex gratia restitutus, meæ ordinariæ jurisdictioni „ subest, nec Fratres in eo degentes Conservatorem juxta Constitutionem „ S. M. Gregorii XV. umquam elegerint.

Admoniti Fratres Minores prædicti Conventus nihil hactenus protulerunt adversus Antonii petitionem; isto propterea urgente disputationem, duplicis mox adnectendi dubii exorantur EE. PP. decernere.

I. *An sit locus translationi Cappellaniæ ordinatæ a quondam Margatita*, & quatenus negative.

II. *An competat Antonio Ridolfi jus nominandi Cappellanum tam pro celebratione Missarum supradictæ Cappellaniæ, quam alterius legati relicti ab Orinthia in casu &c.*

Ad I. Affirmative arbitrio Eminentissimi Episcopi, constito tamen sibi, quod Cappella sit sufficienter restaurata, & SS. Supellectilibus instructa, necnon de securitate adimplementi. Ad II. affirmative, & amplius.

BO-

Sess. 24. c. 2. de Ref.

BOBIEN. MATRIMONII. Carolus Ulmi Civis Bobiensis Sacræ huic Congregationi supplex exposuit, post contracta de futuro sponsalia inter se, ac Hieronymam Ghiliani ejusdem Civitatis Puellam, indeque peractam unam ex tribus denunciationibus a Sacro Concilio Tridentino præscriptis, quoddam fuisse ad Episcopalem Curiam ejusmodi Nuptiarum delatum impedimentum; quod tamen quale esset, Episcopus licet ab ipso exoratus significare sibi noluerit inquiens ea de re expectare se velle Sanctæ Sedis oraculum.

Super hisce precibus auditus primum fuit Episcopus, cui referenti momenta, ob quæ ambigebat de impedimento sibi denunciato, datæ sunt litteræ, ut in hac causa secundum juris normam procederet, quibus is morem gerens, judiciariam, quam antea ceperat, super ejusdem impedimenti veritate disquisitionem prosequi aggressus est; At quum interea audiverit Carolum Ulmi una cum Sponsa, ejusque Matre aliquamdiu simul cohabitasse (quod Diœcesanæ Synodi constitutione sub excommunicationis pœna ipso jure lata interdictum est Sponsis antequam nuptias inierint) ejus quoque rei explorandæ caussa varios testes, & Carolum ipsum subjecit examini, ex quo compertum habens, revera præf tos Sponsos in eadem Domo pernoctasse, sed ignorationis causa veniam posse promereri, levem quamdam cum iisdem Sponsis, tum Sponsæ Matri pænitentiam indixit, omnesque ad cautelam absolvit: De opposito tamen impedimento nihil adhuc a se definiendum tunc esse censuit, quamvis pro sententiæ prolatione vehementer instaret Carolus.

Novas itaque obtulit ille Sacro huic Consessui preces, quibus de justitia sibi a suo Præsule denegata quum valde conquereretur, oportuit iterum excitare Episcopum, ut ab impicta nota se vindicaret. Is autem sub diem 22. Septembris anni mox elapsi transmisit Processum eousque confectum, ac in literis eadem die datis varias congessit caussas, ob quas inquit abstinuisse a ferenda sententia; primo nempe, quod in priore supplici Oratoris libello, allegatus ipse fuerit suspectus, secundo quod bini adhuc Testes extra suam degentes Diœcesim forent examinandi, tertio quod recognosci nondum juridice potuisset Epistola quædam ad hanc rem plurimum conferens Canonici Augustini Ulmi; & quarto demum, quod Curia sua Fisci Procuratore careret, nec nisi ægre nimis posset ullus reperiri, qui eo munere vellet in hoc negocio defungi ob furentes Ulmorum animos unicuique sibi ut cumque adversanti metum, terroremque incutientes, ac propterea se libentissime inquit in eam abiisse sententiam d ferendi appellationi per Carolum Ulmi interjectæ, rogans enixe EE. PP. ut onus pronunciandi in hac causa sibi amplius non delegetur.

Rebus igitur in hoc statu manentibus urget modo Carolus Ulmi decisionem Dubii inferius subnectendi, quo disceptatur, num satis constet de impedimento consanguinitatis, vel affinitatis in finem vetandi, ne memorati Sponsi se se Matrimonio conjungant. Scilicet dubitationis occasio oritur ex suspicione, quod Hieronyma Sponsa genita fuerit ex adulterio per ejus Matrem cum Augustino Ulmi Fratre Sponsi commisso, quamvis in libro Parochiali Baptismatum adnoratum legatur, eamdem Hieronymam die 31. Octobris 1727. ex Carolo Ghiliano, & Angela conjugibus natam esse.

Quod autem ex damnato coitu suscepta fuerit Hieronyma, conjici posse contendebatur ex nonnullis Testibus in Episcopali Curia examinatis qui deposuerunt satis vulgatam hujus met rei famam, ac pravam consuetudinem a dicto Sponsi fratre, vivente adhuc ejusdem Angelæ Viro, cum ipsa habitam, prætereaque recensuerunt tum Epistolam quamdam verbis amatoriis plenam ab eodem conscriptam Angelæ, atque in Episcopali Curia exhibitam, in qua suam is nuncupat Hieronymam, tum plures ejus jactationes, quibus se Patrem Hieronymæ dictitabat. Verum hæc omnia, num recte probata dici queant, Eminentissimi Patres dispicient ex integro processum Summario Caroli exhibendo.

Quatenus vero satis probata videri possent ea, quæ de fama, aliisque impedimenti

menti conjecturis feruntur, dubium quidem non est ipsam impedimenti famam sicuti etiam unius testis asseverationem ex certa scientia satis esse, ne Sponsis amplius liceat Matrimonium inire, uti colligitur *ex cap. super eo de consanguin. & affin. & cap. praeterea 12. de Sponsalib.*, lateque probant cum aliis *Gonzal. in d. cap. praeterea num. 2. Vagnerech. Commentar. Exeget. in cit. cap. praeterea de Sponsal. & in cap. super eo de consang. & affin. in 1. & 2. not. Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 71. De Justis de Dispens. lib. 1. cap. 6. a n. 412. ad 438.*

At vero perpendendum erit num fama istaec cum aliis etiam adminiculis juncta aeque sufficiat ad probandum illud, de quo agitur, impedimentum, consanguinitatis scilicet Sponsi cum Sponsa veluti concepta ex adulterino concubitu fratris ipsius sponsi: Constans enim est juris praesumptio (nisi contrarium doceatur per manifesta, vel diuturnae absentiae, aut impotentiae viri, vel alterius similis caussae argumenta) sobolem ex conjugio potius, quam ex adulterio esse procreatam, quamvis certo constet Matrem saepius pollutam fuisse nefariis amplexibus, ut apertum est *Papiniani responsum in l. miles* 11. §. *Quae propter 9. ff. ad l. Juliam. de adulter.* atque alterum *Ulpiani in l. filium 6. ff. de his qui sui vel alien.* & communiter docent *Barbos. in cap. per tuas de probat. n. 3. Menoch. de arbitr. cas. 89. Guttier. Can. quaest. lib. 1. cap. 38. n. 30. Zeos. in Jus Can. lib. 4. tit. 17. n. 2. Engel. ibid. num. 2. Reinfestuel. num. 10. Smalzgrueb. num. 39.*, ac latissime *Sperel. decis. 174. num. 5. & seqq.*

Idque adeo verum est, ut neque si Mater ipsa, vel uterque etiam parens in mortis articulo adseverent quempiam ex filiis natum esse extra legitimum conjugii usum, ullatenus eis credi oporteat, ut monent *Abb. in cap. per tuas 10. de probat. n. 4.* & cum aliis *Covarruv. de Sponsalib. part. 2. cap. 8. §. 3. n. 10. Menoch. praesumpt. 53. n. 11. & 13. Sperel. in cit. dec. 174. n. 26. & 27. Gail. lib. 1. observat. 97. n. 8. Card. Paleot. de noth. cap. 24. Pont. de Matr. lib. 11. cap. 9. n. 3. Castropal. Theol. Moral. tr. 13. disp. 4. part. 1. §. 1. n. 7. Gobat. Theol. Moral. tom. 1. tract. 8. n. 432. & seq. Pontas Dictionar. Cas. Conscient. tom. 2. in verb. illegitimus cas. 7. Anaclet. Reinf. in Jus Can. lib. 4. tit. 17. §. 1. sub n. 11. & 12. Smalzgrueb. in eumd. tit. §. 1. num. 39.* Id quod praesertim obtinet, si aliae quaedam legitimitati prolis faveant praesumptiones, quarum praecipua est adnotatio in libro Parochiali baptismatum ex adductis per *Sperel. decis. 174. n. 28. & Rot. coram Coccin. dec. 7.* ubi ex hac adnotatione cum probatione Matrimonii conjuncta rejectae fuerunt plurimae contrariae praesumptiones deprômptae ex adulteri nominatione, educatione, institutione, aliisque ejusmodi actionibus.

Ad hanc speciem non parum conferre videtur resolutio edita in *Pientina Matrimonii 20. Martii* 1734. ubi agebatur de impedimento consanguinitatis, per Matrem opposito, ne filia nuptias contraheret cum Francisco Giannino Fabri, ex cujus avunculo Mater ipsa per adulterium filiam genuisse adfirmabat. Verum quum constaret Matrem cum ejus viro cohabitasse per id tempus, quo sequi poterat filiae conceptio; ad propositum dubium. *An Francisco, & Lucretiae permitti possit contrahere Matrimonium in casu &c.* Sacra Congregatio respondit - *Affirmative, & amplius*, quamvis in eo casu concurrerent, & inhonesta consuetudo matris cum avunculo Sponsi, & nuncupatio filiae per Oppidum fieri solita tamquam illegitimae.

Perpensis itaque omnibus decidendum erit.

An satis constet de impedimento consanguinitatis, seu affinitatis ad effectum impediendi Matrimonium inter Carolum Ulmi, & Hieronymam de Ghilianis in casu &c.

Negative.

BRI-

Sess.21. c. 4. de Ref.

BRIXINEN. ERECTIONIS VICARIÆ PERPETUÆ . Parochialis Ecclesia *in Colsass* nuncupata , pridem jam reperitur adnexa Monasterio Sancti Georgii . cujus proinde animarum cura per Vicarium exerceri consuevit, adsignata illi congrua redituum portione ; atque isthæc Parochialis Ecclesia intra sui limites alteram Ecclesiam complectitur S. Petro dicatam, ac positam in Monte Vverbergi, quem plures incolunt Parochianorum familiæ.

Nuper vero Brixinensis Episcopus ex caussis inferius enarrandis permotus, cogitavit alterum Sacerdotem Curatum, sive Vicarium perpetuum instituere in memorata S. Petri Ecclesia pro gerenda spirituali, ac subsidiaria, ut ipse ait, populi cura : Sed ne ob hanc caussam magna pars redituum veteris Parochialis Ecclesiæ pauperi Monasterio decederet, statuit ipse in dotem novi benefici curati florenos bismille ex proprio ære conferre, itemque florenos mille supra biscentos in eum finem traditos a pio quodam Benefactore, sub ea tamen conditione, ut beneficium istud ad liberam spectet collationem Episcopi. Vult pariter idem Antistes huic pecuniarum summæ adjungere pium quoddam legatum liberæ suæ dispensationi relictum, ac præterea jura stolæ, & nonnulla Anniversaria in Ecclesia S. Petri fundata, quorum utraque Vicarius antiquæ Parochiali Ecclesiæ præpositus, libenter cessit in caussam conficiendæ istius congruæ dotis.

Huic consilio, & deliberationi proprii vigilantissimi Pastoris responderunt vota populi Vverbergensis, jamque iste ad extruendam domum Canonicam pro habitatione novi Sacerdotis suarum Animarum curæ præficiendi manum admovit parandis necessariis cæmentis, seque promptum obtulit labores manuum, vectiones, aliasque operas impendere perficiendi Ædificii gratia.

At erectioni hujus Vicariæ perpetuæ, sive beneficii curati refragati prius sunt Abbas, & Monachi S. Georgii, qui semel, atque iterum ea de re supplices adiere hanc Sacram Congregationem, donec in precibus eidem postremo oblatis profitentur utique non detrectare se, quod alter in Ecclesia S. Petri perpetuus ad regendam Animarum curam constituatur Vicarius, quin immo paratos esse, eamdem Ecclesiam ditare ex redditibus Matricis Ecclesiæ, quippe cui satis uberes annuique saltem sint reditus florenorum 1800. verum sibi integrum esse debere contendunt jus nominandi prædictum Vicarium, propterea quod Ecclesia S, Petri dependeat ab altera Parochiali, pleno (ut asserunt) jure ipsorum Monasterio unita . Oportuit itaque super his precibus bis, & tertio audire Brixinensem Episcopum, ac locum præbere disceptationi dubii, quod ad calcem subnectetur.

Laudati Episcopi nomine proferuntur caussæ, ob quas decernendam ipse authumat erectionem Vicariæ perpetuæ, sive, ut vocant *Curatiæ*, quæ ad liberam suam collationem pertineat, nimirum multitudo populi nunc Montem Vverbergi inhabitantis, qui plusquam nongenta capita, nec etiam parvulis computatis enumerat, longa per unam, & alteram horam ejus Montis ab antiqua Ecclesia Parochiali distantia, asperitas, & difficultas itineris hyberno præsertim tempore, quæ in caussa fuerint, ut ex iis, quorum adhuc extat memoria, viginti absque Sacramentis obierint, ac denique dos novi beneficii Curati tum ex ipsius Præsulis, tum etiam alterius Benefactoris largitate constituta, ita ut nihil ex propriis reditibus depereat antiquæ Parochiali Ecclesiæ præter modica illa emolumenta, quæ *Stolæ* appellant, & quorumdam Anniversariorum sponte jam a Vicario remissa.

Consequens hinc esse dicitur, neque jus nominandi Vicarium recens instituendum in Ecclesia S. Petri ad Abbatem, sive Monasterium S. Georgei spectare posse, quum nullus hic titulus vel fundi, vel dotis, vel constructionis Ecclesiæ, patronum efficiat Monasterium, & alioquin sola existentia Ecclesiæ intra limites alicujus Paræciæ potis haud sit juripatronatus Ecclesiæ Parochialis illam subjicere, multoque minus filialem reddere, uti docent *Abb. in cap. ad audientiam n. 17. & seq. de Eccl ædific. Fagnan. in d. cap. ad audien-*

dieniiam nu 10. & 39. Lambertin. de jurep. lib.1, part.1. quæst.3. art.15. nu.3. in fin., Ferzna de jurep part.1. can.4., cas.9. nu.8. Rot. cor. Molines dec. f.590. num 3. & 4. tom.4., & in Faventina Jurium Parochialium 7. Martii 1738. nu. 7. cor. Vicecomite.

Additur etiam facilius denegandum esse Monasterio jus istud nominandi Vicarium, quoniam haud pleno jure Parochialis Ecclesia in Colsais eidem fuerit unita, proptereaque non per Vicarium Regularem, qui ad nutum Superiorum amoveri queat, ipsa regatur, sed per Vicarium perpetuum eumdemque Sacerdotem, quo consentiente erectioni alterius Vicariæ curandum minime sit de Monasterii contradictione.

Hæc omnia, quæ adducuntur pro obtinenda erectione alterius Vicariæ perpetuæ, arcendisque Monachis a jure, quod sibi adserunt nominandi Vicarium, confirmat Episcopus in triplici relatione ad Sacram Congregationem transmissa. De multitudine populi VVerbergensis, longitudine itineris a Monte VVerbergi ad Parochialem Ecclesiam, deque institutione Vicarii perpetui Sæcularis, quæ ab Episcopo fieri solet in Parochiali Ecclesia, testimonium quoque edidit Episcopus Hypsopolytanus, idemque Suffraganeus, & Vicarius Generalis Brixinensis Antistitis, necnon Præses ejus Consistorii, qui præterea refert plura extare in Brixinensi Diœcesi similia exempla erectionis alterius Beneficii Curati, seu Vicariæ intra districtum Parochialis Ecclesiæ, vel Capitulis, vel Monasteriis pleno etiam jure subjectæ; quin tamen Ecclesia, quæ in Vicariam erigitur, patronata efficiatur antiquæ.

Monasterii nomine nihil hactenus allatum est. tuendi juris sui gratia. Superest itaque, ut Eminentissimi Patres decernant.

An sit locus erectioni Vicariæ perpetuæ, sive assertæ Curatiæ in VVerberg liberæ collationis in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

MELPHICTEN. Sacram Visitationem agens Episcopus Bovius suæ Cathedrali Ecclesiæ Melphictensi sub annum 1608, cautum illud voluit, ne reditus bonorum, quæ ex pia Fidelium largitate pro sartis tectis, suppellectili, & ornamentis ejusdem Ecclesiæ servandis obvenerant, quæque vulgo nuncupantur *Procura de Benefizi*, dividi imposterum possent inter Canonicos una cum aliis Massæ communis, sed in eos dumtaxat usus: ad quos fuerant destinati, cum scientia & consensu ipsius Episcopi, deberent erogari. *Sess. 24. c. 12. de ref.*

Decretum hoc anno 1704. innovavit successor Melphictensis Antistes, dum Cathedralem Ecclesiam visitaret, statuitque præterea singulis annis reddendam sibi rationem esse a Procuratoribus prædictorum redituum, pro usque rectius custodiendis confici debere parvam quamdam capsulam cum duplici clave, quarum altera ab Episcopis pro tempore esset retinenda, altera vero penes Capitulum foret mansura; Quæ omnia rursus præcepit Modernus Præsul tum anno 1715. quo Sacram Cathedralis Ecclesiæ visitationem obivit, tum etiam in Diæcesana Synodo sub annum 1726. celebrata.

Ad hæc decreta spectare videntur controversiæ fere omnes modernum inter Episcopum, & Capitulum obortæ, atque in dubiis inferius recensendis comprehensæ, præter eas tertio, & quarto loco descriptas, in quibus agitur de onere perpetuo Missarum 55., quod ex legato annuo ducat. 10., & gran 90. pro totidem Missis relicto ab Antonio Natali Capitulum sibi adsumpserat, quodque sub annum 1728. idem modernus Episcopus redegit ad annuum numerum septem supra quadraginta Missarum propter facultatem sibi, & cæteris Episcopis, qui ad Concilium Romanum convenerant, a S M. Benedicto XIII. impartitum moderandi perpetua Missarum onera ad rationem annuæ eleemosynæ scutorum 60. cui respondere dicitur annua summa ducat 10, & gran 90. pro numero 47. Missarum, distributis scilicet unicuique Missæ assibus tribus, & viginti illius monetæ.

Oportebit itaque perpensis juribus tam Episcopi, quam Capituli (si quæ hujus nomine proferentur) examen adgredi sequentium dubiorum.

I. An reditus bonorum nuncupatorum -- *Procura dei Benefizi* -- impendi, & applicari debeant juxta mentem, & voluntatem Benefactorum, *& quatenus affirmative*.

II. An hujusmodi impensa, & applicatio fieri debeat a Capitulo independenter ab Episcopo, seu potius cum ejus scientia, & consensu.

III. An reductio Missarum facta ab Episcopo super Missis ordinatis ab Antonio Natali substineatur, seu potius locus sit novæ reductioni; & quomodo sit facienda.

IV. An, & ad quam rationem debeatur eleemosyna Capitulo pro Missis, & Anniversario celebratis, & celebrandis.

V. An retentio Clavium Capsulæ dictæ *Procuræ Beneficiorum* spectet ad Capitulum privative quoad Episcopum, seu potius retinenda sit altera ab Episcopo, & altera a Capitulo.

VI. An provisio Librorum Sacristiæ, Suppellectilis tam Sacristiæ, quam Ecclesiæ, & Sacrorum Paramentorum pro Canonicis interessentibus Pontificalibus; necnon reparatio Ecclesiæ, & restauratio Campanæ spectent ad Episcopum *& quatenus negative ad utrumque*.

VII. An, & ad quem spectet onus prædictorum omnium; *& quatenus affirmative ad utrumque*.

VIII. An pecunia desuper impensa a Capitulo tam de Bursa Capitulari; quam de *Procura Beneficiorum*, restituenda sit eidem Capitulo, & in qua summa.

IX. An, & quomodo Capitulum teneatur reddere rationem de omnibus Bonis dictæ *Procuræ Beneficiorum*.

X. An constet de ulla commixtione redituum eorumdem Bonorum in Massa Capitulari, eorumque repartitione inter Capitulares; *& quatenus affirmative*.

XI. An ipsi reditus ita commixti, & repartiti repeti modo debeant ex eadem Massa, & reintegranda sit de eisdem Capsula Capitularis eorumdem redditTuum in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

Sess. 5. c. 1. de ref.

INTERAMNEN. SUBSIDII DOTALIS. Anna Victoria Pacioni in publicis tabulis sub annum 1723. conscriptis professa est se multum devinctam esse Ferdinando Sciamanna ob singularem opem sibi ab eo præstitam in gerenda propriæ rei familiaris cura ac alia ob plura, & magna ejusdem in se merita, & officia; Hinc ut aliquam grati animi vicem rependeret quoddam ipsi Ferdinando donavit Oliveti prædium cum apotheca variis tamen adjectis oneribus, eamque donationem *inter vivos* nuncupatam, ac leges donatario indictas, tum judicis decreto, aliisve solemnitatibus in contractibus mulierum adhiberi solitis, tum etiam jurejurando donatrix æque ac donatarius firmarunt, perpetuoque servare velle dixerunt.

Inter alia vero onera hoc in ea donatione legitur donatario impositum -- *Seguita la morte di essa Signora Anna Vittoria vuole commanda ed ordina che esso Signor Ferdinando, suoi eredi, e successori, siano obligati, come l' obbliga a dovere li frutti di detto oliveto, come sopra, detratta però la porzione colonica, vendere ogn' anno i medesimi frutti ad uso di buon padre di famiglia, e depositare ogn' anno il danaro, che si ricraerà da medesimi frutti, in questo Sagro Monte di Pietà di Terni, quali dovranno restar depositati in esso Sagro Monte fino a tanto, che arrivaranno alla somma di scudi cinquecento moneta, e terminato detto deposito di dd. sc. 500., resti libero detto Oliveto a favore di detto Signor Ferdinando, e suoi eredi come sopra, di ogni peso, e con li medesimi sc. 500. moneta vuole, che sia monacata in Terni una Zitella Cittadina di Terni di buoni costumi, e di vita, ed in primo luogo sia preferita in detta dote una Zitella di casa*

casa di detto Signor Ferdinando, e non essendovi della casa di detto Signor Ferdinando vuole sia preferita una Zitella della casa della Signora Lulla Gubernari, ed in mancanza della Zitella di detta Sig. Lulla una Zitella della casa della bo. me. di Giuseppe Rocci, e non essendovi Zitelle di dette case da monacare, essa Signora Anna Vittoria vuole, che detta Zitella Cittadina di Terni sia eletta da Monsignor Vescovo pro tempore di Terni, alla cui prudenza ed autorità essa Signora Anna Vittoria rimette la nominazione col peso a detta Monaca, fino a tanto viverà di dire un' Ave Maria il giorno per l' anima di detta Sig. Anna Vittoria.

Sub annum vero 1725. memorata Anna Maria Pacioni adseverans se majoribus in dies beneficiis auctam esse a Ferdinando Sciamanna, vehementerque exoptans eum connubii foedere sociare cum Olympia de Gubernariis ipsius Annæ pronepte omnia bona sua per aliam donationem inter vivos eidem Ferdinando harum nuptiarum intuitu largita est, prætereaque ademit ei obligationem adimplendi onera in priori donatione comprehensa.

Vendidit postea Ferdinandus anno 1739. Olivetum sibi ex priori donatione quæsitum Comiti Paulano Manassei: Hic vero, quum animadvertisset ex ejus donationis præscripto fructus Oliveti erogandos esse in subsidium dotale unius puellæ, donec conficeretur summa sc.500., dubitaretque, num recte Donatrici licuerit id oneris postmodum revocare, detrectavit in complementum pretii conventi quingenta scuta libere Ferdinando venditori persolvere; sed ea Judicis authoritate in æde Sacra deposita sunt.

Interea fato cessit Ferdinandus, cui superstites fuere Augustinus Antonius, & Magdalena filii ex Olympia de Gubernariis uxore suscepti; Hæc propterea veluti eorum tutelam, & curam gerens supplicavit Sanctissimo Domino Nostro, ut Comitem Manassei Oliveti possessorem liberaret ab onere controversi subsidii dotalis, ac pro hujus subsidii cautione, domum quamdam Ferdinandi hereditariam ac satis idoneam Oliveti loco subrogare dignaretur, ita ut domus ipsa pro subsidio dotali, vel propriæ filiæ, si Monialis effici vellet, vel puellis alterius generis vocati tradi aliquando posset, quumque preces hujusmodi fuerint ad hanc Sacram Congregationem rejectæ, jussus est Episcopus auditis iis, quorum interesset, eamdem Sacram Congregationem instruere.

Hæc Præsul ille executus retulit vera esse in precibus Oratricis exposita, eamque ait paratam esse pro dote puellæ Monasterium ingressuræ scuta quingenta in pecunia numerata persolvere, ad eumque finem omnia hæreditaria Ferdinandi bona hypothecæ subiicere, si forte prædictam domum a Monasterio pro solutione dotis recusari contingeret: Puellas vero, sive personas cujusque familiæ ad subsidium vocatæ suum petitæ subrogationi consensum præbuisse quocirca „ rationabilem ipse arbitratur petitionem Oratricis: Nam nemini noceret, & „ valde prodesset filiis pupillis prædictæ Oratricis, quæ erogare vult dicta scuta „ quingenta in extinctionem aliorum debitorum dicti quondam Ferdinandi, alioquin deberent stare otiosa per decem forsan, & amplius annos, quum ejus filia prima nominata reperiatur in ætate octo circiter annorum, eo magis „ quia si interrogaretur Donatrix an esset ita contenta; verisimiliter responderet affirmative, tum ex rationabilitate petitionis, tum quia eadem Donatrix „ in duobus actibus revocavit hoc onus solutionis scutorum 500.

At simul renunciavit Episcopus, quod huic subrogationi refragatur Marta Sciamanna mater, & tutrix Barbaræ ex Stephano Sciamanna præmortuo ejus viro, & Ferdinandi fratre progenitæ: eadem namque Marta preces obtulit Episcopo una cum relatione ad Sacram Congregationem ab ipso transmissas, in quibus contendit filiam suam Barbaram præ cæteris ad subsidium dotale vocatam esse per ea verba in priori donationis instrumento apposita „ Ed in primo luogo „ vuole, che sia preferita in detta dote una Zitella di casa di detto Signor Ferdinando.

Ex his enim hoc elicit argumentum, quod sicuti vocabulum *domus* æquæ pertinet ad

ad designandam familiam, sive *effectivam* ut vocant, sive *contentivam* ad ... ta per *Mantic. de conjectur. ultim. vollunt. lib.8. tit.12. num:25.* ita Donatrix sub nomine puellæ *di casa di detto Sig. Fereinando* non modo censenda sit ad legatum dotis invitasse pariter filiam Stephani Sciamanna, immo vero nec aliam intelligere potuerit, quum idem Stephanus Ferdinandi frater tunc temporis, & uxorem haberet, & filios; Ferdinandus vero simul cum fratre cohabitans, & cœlibem vitam ageret, & nihil minus quam de nuptiis cogitaret; Adiicitque præterea multo potiori jure Barbaram Stephani filiam alteri Ferdinandi puellæ anteferri debere, quod illa ejus ætatis jam sit ad dandum Religioni nomen idoneæ, posterior vero non item.

Adversus hæc duo potissimum ex iis, quæ nomine Olympiæ matris, & Magdalenæ filiæ Sciamanna in medium proferuntur, notatu digna occurrunt. Primum quod nomen *domus* familiam dumtaxat *effectivam* significat, quando jungatur cum alio pronomine sive genitivo exprimente personam, cujus sit domus, aut familia vocata, ex iis quæ tradunt *Card. de Luc. de fideicomm. disc.33. num.11., Rot. coram Othobon. decis.17. n.2., coram Royas decis.361. nu.10., & 15., & cor. Falconer. decis.2. nu.3., & decis.15. num.22. par.7. recent.*

Alterum, quod tot tantaque singularis dilectionis, & benevolentiæ argumenta juxta facti seriem superius expositam a Donatrice Pacioni exhibita erga peculiarem Ferdinandi personam, vehemensque ipsius Donatricis desiderium, & verbis expressum, & universali omnium bonorum donatione confirmatum, percutiendi connubialis fœderis inter Olympiam ejus proneptem ac Ferdinandum, aliquem non sinant dubitandi locum, quin vel ea satis expressa dici queat donatricis voluntas, vel saltem donatrix ipsa si posset interrogari, responsura foret, velle se controversum dotale subsidium conferri omnino Ferdinandi Filiæ, quamvis aliquid expectandum adhuc sit temporis, quo hæc ad spirituales ineundas nuptias idoneæ fiat ætatis.

Restat itaque, ut Eminentissimi PP definiant.

An subsidium dotale, de quo agitur, debeatur filiæ Ferdinandi Sciamanna, vel filiæ Stephani Sciamanna. Et quatenus affirmative ad primam partem, & negative ad secundam.

An sit admittenda subrogatio ejusdem subsidii dotalis in casu &c.

Ad I. Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam. Ad II. negative.

Sess.7. c. 4. de Ref.

AQUILEJEN. CANONISTATUS. S.M. Bonifacius IX. supplicanti Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ S Mariæ Civitatis Austriæ sive Fori Julii duos ex triginta novem Canonicatibus ejusdem Ecclesiæ suppressit, statuitque ut omnes eorum reditus, atque etiam quotidianæ distributiones perpetuo cederent pro æquis partibus in stipendium unius Magistri in Theologia, atque unius Doctoris in jure Canonico; quorum uterque a Capitulo eligi deberet, atque ad ejus nutum posset removeri.

Quid vero muneris illis incumberet, edixit pariter laudatus Pontifex his verbis
„ Qui quidem Magister in Theologia pro tempore, & Doctor in jure Canonico
„ hujusmodi apud eamdem Ecclesiam, sive in scholis ipsi publice ac continue
„ horis commodis, prout ipsi Decanus, & Capitulum duxerint ordinandum,
„ legere, necnon in illis, & etiam alios in hujusmodi occurrentibus casibus di-
„ ctis Decano, Capitulo, Canonicis, Cappellanis, & Clericis suffragari, ac
„ Magister prædictus sermocinari ad hujusmodi Clerum, & populum pro tem-
„ pore in ipsa Ecclesia convenienter, prout ab antiquo fieri consuevit, ibidem
„ si expedierit, pro tempore teneantur.

Denique id etiam sanxit, ut per illud tempus, quo sive Magistrum Theologiæ, sive Doctorem Juris Canonici deesse contingeret fructus, & distributiones alterutrius Officii vacantis converterentur „ in utilitatem Fabricæ ejusdem Eccle-
„ siæ,

„ ſiæ, ac reformationem librorum, ornamentorum Paramentorum ad eumdem „ cultum peragendum in ipſa Eccleſia deputatorum.

Poſtremis hiſce temporibus Capituli nomine oblatæ fuere preces S. M. Clementi XII. pro impetranda facultate erogandi ex reditibus Officio Canoniſtæ attributis annua ſcuta 30. in ſtipendium Advocati Laici, propterea quod nulli reperirentur idonei Clerici Seculares, qui ad formam Bonifacianæ Conſtitutionis vellent Officium Canoniſtæ ſuſcipere, ac præſertim agere, tuerive in judicio lites Capituli frequentes admodum, atque complures.

Rejectis ejuſmodi precibus ad hanc Sac. Congregationem, atque accepta ſuper iis relatione Patriarchæ Aquilejenſis, eadem Sacra Congregatio ſub diem 15. Decembris 1736. illi commiſit, ut veris exiſtentibus narratis pro ejus arbitrio expetitam facultatem Capitulo impartiretur ad quinquennium tantum duraturam, ſi tamdiu perduraſſent lites Capituli, ea tamen ſub lege, ut ſi forte idoneus aliquis Clericus intra quinquennium ſeſe exhiberet perfuncturum Officio Canoniſtæ, ſtatim is a Capitulo foret eligendus ad eumque finem ſingulis annis Edictum promulgari deberet, quo ſeculares Clerici ad illud munus invitarentur.

Nuper vero Capitulum alias obtulit preces huic Sacræ Congregationi, quibus præſtolatur Eminentiſſimorum Patrum oraculum ſuper dubiis inferius deſcribendis; exquiſitaque fuit ſuper novis precibus Patriarchæ inſtructio: Interea vero Joannes Benalea utriuſque Juris Doctor, & Canonicus ipſius Collegiatæ Eccleſiæ ſupplex expoſuit Sanctiſſimo Domino Noſtro ſe anno 1741. copiam ſui feciſſe pro obtinendo Canoniſtæ munere, verum a nonnullis Canonicis excitatam fuiſſe quæſtionem, num ab uno, eodemque Clerico retineri poſſet Canonicatus, exercerique id munus; ſupplicavit propterea cauſæ cognitionem Sacro huic Conſeſſui delegari, etiam pro gratia diſpenſationis obeundi munus Canoniſtæ una cum retentione Canonicatus, atque ita Sanctiſſimus preces Sacræ Congregationi remiſit.

Hinc idem Canonicus Benalea adverſus ſupplicem libellum Capituli oppoſuit nihil fieri ſe inaudito, poſtmodum tamen eo citato neque comparente Capitulum obtinuit lacerari conſuetum *nihil tranſeat*, atque locum fieri in hodierno examine diſputationi earum quæſtionum, quas antea jam propoſuerat, quæque ad id rediguntur, num deficientibus Clericis aliis ſæcularibus, eligi queat ad munus Canoniſtæ ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, ac non ſolum fructus tam præbendæ, quam Officii, verum etiam quotidianas diſtributiones percipere, dum abſit ſui muneris cauſſa, itemque Canonicus ita electus ſive per ſe, ſive per alium queat patrocinium præbere in Cauſis Capituli, vel potius confirmandum ſit indultum illud erogandi annua ſcuta triginta in ſtipendium patroni, ſive Advocati Laici ad tempus indefinitum, donec ſcilicet Clericus aliquis ſæcularis adfuerit officium Canoniſtæ ſubiturus.

Aquilejenſis Patriarcha in duplici ſua relatione nuper ad Sacram Congregationem tranſmiſſa magis expedire cenſet, ut fructus Officii Canoniſtæ tribuantur Fabricæ Eccleſiæ veluti ſummopere indigenti Sacris ſuppellectibus, decerptis tamen annuis ſcutis 30. pro ſtipendio unius, & alterius patroni Cauſarum Capituli, quamdiu Clericus deſit ſæcularis, qui velit, valeatque recte atque integre Canoniſtæ munus exolvere.

Refert enim (ſecundum ea, quæ ſibi expoſita fuerunt a Capitulo, poſt accuratam totius rei inveſtigationem) quod etſi aliquando ſuperius laudata Bonifaciana Conſtitutio quoad electionem Doctoris in Jure Canonico ad exitum fuerit perducta, ſucceſſu tamen temporum difficilis nimium evaſerit ejus obſervatio, quum per annos quinquaginta ſupra trium ſæculorum intervallum, quinque dumtaxat ſæculares Clerici, reliqui vero, & plerique Doctores Laici ob Clericorum inopiam partes Canoniſtæ expleverint; Quod autem adeo pauci extiterint Clerici ad ip munus electi, ejus rei cauſa eſſe conjicitur, vel imperitia fori, vel muneris difficultas, vel tenue ſtipendium vix ſummam octuaginta ſcutorum pertingens

gens, vel demum infrequens consuetudo, quod Clerici penes Laicos Judices causas orent, atque forenses inter clamores versentur.

Unde illud evenisse ait, ut neque per posterius transacti jam quinquennii tempus etsi quotannis ex præscripto Sacræ Congregationis promulgarentur Edicta inventus fuerit ullus Clericus qui officium illud sibi conferri proposcerit, præterquam unus ex eisdem Ecclesiæ Canonicis Doctor quidem utriusque juris, sed qui ob inscitiam pertractandarum judicialium causarum sponte sua dixerit se consensurum, quod ex reditibus Canonistæ annua scuta 30. præberentur laico Advocato.

Verum duplici ex caussa (ut idem Patriarcha scribit) Capitulum renuit hujus Canonici postulatis morem gerere. Primo nimirum quod servitium Canonici haud recte componi queat cum muniis Canonistæ, quæ assiduam requirunt operam tum in lectione Institutionum Canonicarum, tum in agendis litibus Capituli; quod in causa fuerit, ut quamvis plures olim fuerint, & Canonicis juris utriusque Doctores, nulla tamen extet memoria ullum umquam ex iis Canonistæ officio donatum fuisse præter Decanum quemdam ante Concilii Tridentini tempora; Quin immo compertum sit Officium istud a quodam Clerico sub initium præsentis sæculi dimissum fuisse statim ac inter Canonicos cooptari obtinuit.

Altera denegatæ electionis illa fuit caussa, quoniam haud videbatur concedi posse, ut memoratus Canonicus non suam, sed alterius Causidici operam adhiberet in tractandis, & instruendis in judicio Capitularibus causis, sive quod ea res in Bonifaciana Constitutione commissa fuerit ipsi Canonistæ, ejusque generis sit, ut propriam ac personalem exposcat ipsiusmet Canonistæ industriam, sive quod potissima pars muneris Canonistæ utilis ac necessaria versetur in ejusmodi tractatione causarum, quæ in dies potius quam sperandum sit, ut cessent multiplicari videntur pro redimenda præsertim, vel tuenda censuum Mensæ Capitularis exactione a morosis debitoribus. Nam quod attinet ad aliam muneris partem tradendi Canonicis, Cappellanis, & Clericis Ecclesiæ Pontificii Juris præcepta, hanc fere inutilem, & olim fuisse, atque in posterum futuram Canonici existimant, propterea quod plerique ex iisdem Canonicis, ac etiam ex Cappellanis vel senes, vel provectam jam agentes nolint, vel nequeant, & Ecclesiæ in ætatem, vel servire, & scholas frequentare.

His ita in facto perpensis decidenda erunt ab Eminentiss. Patribus dubia.

I. An ob vigentem de præsenti, & contingibilem in futurum deficientiam habendi Clericum Secularem ad Bullæ Beneficii IX. præscriptum Capitulum possit, seu debeat unum, ex Canonicis de Gremio Lauretanum eligere in Canonistam, quatenus aliquis eorum Lauretanus Forum sequatur. *Et quatenus affirmative*.

II. An non obstant Canonici absentia a Choro, ob personale exercitium sui muneris Canonistæ, præsertim in patrocinando Causas pro Capitulo, lucretur distributiones.

III. An hujusmodi Canonicus eligendus in Canonistam, & si Laureatus, Forum tamen non exercens, possit per substitutos capaces etiam laicos supplere in defendendis dictis Causis Capituli? *Et quatenus in omnibus negative*.

IV. An Indultum provisionale per quinquennium Capitulo concessum prorogandum sit indefinite, donec duraverit deficientia dicti Clerici Secularis per Edictum tamen quotannis invitandi in casu &c.

Pro gratia prorogationis Indulti ad aliud quinquennium tantum juxta formam præcedentis.

Sess. 25. c. 8. de Ref.

TOLETANA JURIUM PAROCHIALIUM. Imperavit Sacra Congregatio sub die 21. præteriti mensis Aprilis, quo proposita fuit hæc causa, ut scriberetur *Archiepiscopo Administratori pro nova Informatione juxta instructionem*.

Instru-

Instructio autem in eo versabatur, quod Sacra Congregatio certior fieret, *ad quam summam ascendant redditus, qui debeant a Congregatione* (Sacerdotum nimirum S. Petri Villæ Matriti) „ impendi in subsidium pauperum Sacerdotum in-
„ firmorum degentium in propria domo, & eorum qui detinentur in Carceri-
„ bus, & quot sint reditus erogandi pro manutentione Hospitalis nuper erecti,
„ itidemque an reditus destinati in priorem caussam erogentur toti in eamdem, &
„ num Congregatio parata sit prosequi opera pia prius instituta, etiamsi reti-
„ neat Hospitale pro Sacerdotibus infirmis, & præsertim pro invalidis juxta
„ dispositionem Sacerdotis Blasii Rodriguez de Carion.

Interea e vivis erepto Archiepiscopo Administratore conscriptæ sunt litteræ ad Vicarium generalem, pro habenda earum rerum notione: Quum autem ille relationem suam transmiserit, postulatur iterum nomine memoratæ Congregationis Sacerdotum resolutio dubiorum, quæ mox describentur.

Ea itaque nova Relatione perspecta placeat Eminentissimis Patribus deliberare.

I. An erectio Hospitalis Sancti Petri Villæ Matriti sub Instituto Ven. Congregationis Presbyterorum sit confirmanda, vel potius sit locus illius suppressioni, & quomodo? *Et quatenus affirmative ad primam partem, & negative ad secundam.*

II. An concedendum sit prædictis Hospitali, & Congregationi Indultum respective administrandi Sacramenta Pęnitentiæ, Sanctissimæ Eucharistiæ, etiam per Viaticum, retinendi Oleum Sanctum, illudque administrandi Sacerdotibus Infirmis independenter a quovis Parocho, etiam S. Sebastiani; *Et quatenus affirmative.*

III. An sub eodem Indulto comprehendendi sint Ministri, seu Servientes, & Familiæ degentes intra septa dicti Hospitalis, & Ecclesiæ, cum eadem independentia a Parocho, sive Parochis &c.

IV. An concedendum sit Indultum administrandi Sacramentum Eucharistiæ pro satisfactione Præcepti Paschalis, tam Sacerdotibus, quam Ministris, aliisque supradictis personis, intra septa dictæ Ecclesiæ, & Hospitalis degentibus, sive Infirmis, sive non in casu &c.

V. An indulgendum sit eidem Congregationi, & Hospitali jus sepeliendi tam Confratres, Ministros, aliosque in Hospitali decedentes, quam alios decedentes in quacumque Parochia, & Sepulturam eligentes in dictis Ecclesia, & Hospitali eadem independentia a Parocho, seu Parochis eorumdem, & absque ipsorum interventu, & Cruce tam in associando, quam in sepeliendo Cadavera una cum emolumentis competentibus aliis Ecclesiis, & Hospitalibus exemptis a Jurisdictione Parochi in casu &c.

VI. An concedenda sit exemptio ab omni, & quacumque solutione cujusvis portionis, seu Quartæ Funeralis dictorum Ministrorum, Servientium, Familiæ, ac Sacerdotum in Hospitali decedentium in casu &c.

VII. An concedendum sit Hospitali, & respective Congregationi Indultum exponendi in illius Ecclesia publicæ venerationi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, celebrandi Divina Officia in Hebdomada Majori, benedicendi Candelas, Cineres, & Ramos Olivarum, ac celebrandi quamcumque Festivitatem, Missas cantatas, Prædicationes, Anniversaria, & Officia Mortuorum, & peragendi quasvis Ecclesiasticas functiones fieri consuetas in Ecclesiis aliorum Hospitalium exemptorum, fruendique omnibus privilegiis, & prærogativis pariter ad instar aliorum Hospitalium authoritate Apostolica exemptorum in casu &c.

Dilata, & scribatur novo Archiepiscopo administratori pro informatione, & voto juxta instructionem.

VAL-

Sess. 23. c. 18. de ref.

VALVEN. PAROCHIALIS. Conquestus fuerat penes hanc Sacram Congregationem Populus Civitatis Pentimæ, quod tres ex Canonicis Cathedralis Ecclesiæ ibidem erectæ moram traherent in Oppido Castri Hylaris per quinque milliaria ab ea Civitate dissito pro gerenda alternatim, sive per turnum, ut inquiunt, Animarum cura in Parochiali Ecclesia Assumptionis B. M. V.

Proponere idcirco oportuit tria hæc Dubia -- *I. An tres illi Canonici Ecclesiæ Cathedralis Valven., qui modo vacant in Castro Hylaris pro exercitio curæ Animarum, revocandi sint ad residentiam in dicta Cathedrali*, & quatenus affirmative. *II. An dicti Canonici residendo in dicta Cathedrali participare debeant de distributionibus quotidianis, legatis piis, anniversariis, aliisque emolumentis certis, & incertis, prout alii Canonici. III. An imposterum pro exercitio curæ Animarum in dicto Castro Hylaris deputandus sit Parochus perpetuus ab Ordinario servata forma Concilii, & an ei dandi sint Coadjutores in casu &c.*; quibus Eminentissimi PP. sub diem 25. Januarii 1738. rescripserunt -- *Ad I., & II. Affirmative. Ad III. Episcopus procedat, prout de jure ad formam Concilii, & interim provideat de Oeconomo expensis cujus de iure.*

Sic revocatis ad residentiam Cathedralis Ecclesiæ memoratis Canonicis, nova super electione Parochi emersit quæstio inter ejusdem Ecclesiæ Capitulum, & Universitatem Castri Hylaris, ad quam dirimendam quum disceptata fuerint tria hæc alia dubia. *I. An Ecclesia Parochialis Castri Hylaris sit liberæ collationis, seu potius eadem Ecclesia spectet ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Valven. iure unionis, Granciæ, vel iurispatronatus in casu &c.*, & quatenus affirmative ad secundam partem *II. An ad exercitium ejusdem curæ sit admittendus Vicarius, seu Parochus perpetuus deputatus a Capitulo cum approbatione Ordinarii, seu potius eadem Ecclesia sit conferenda per concursum in casu &c.*, & quatenus affirmative ad primam partem. *III. An, & quæ congrua sit a Capitulo assignanda Vicario, seu Parocho perpetuo in casu &c.* Eminentissimi PP. die 23. Septembris 1741. rescripsere -- *Ad I. Affirmative ad primam, & negative ad secundam partem. Ad II., & III. Provisum in primo, & amplius.*

Hujusmodi rescripto freti Administratores Universitatis Castri Hylaris transactis aliquot mensibus postularunt in Curia Episcopali, concursum indici, ac prætera ob multitudinem Populi prædictæ Parochiali Ecclesiæ subjecti duos Coadjutores Parocho eligendo constitui: Deinde vero, quum idem Administratores rescivissent impetratas fuisse sub diem 15 mensis Januarii 1742. a Sacerdote Camillo Paschali Apostolicas litteras eidem decernentes collationem beneficii ipsius Parochialis Ecclesiæ velut ad Apostolicam Sedem devoluti juxta præscriptum Constitutionis S. Pii V. quæ incipit: *In conferendis*, earumque litterarum executionem delegatam fuisse Vicario Generali Episcopi, rursus in ejus Curia institerunt publicari indictum pro habendo concursu, litteris vero Apostolicis si quæ ab impetrante exhiberentur, velut obreptionis vitio laborantibus executionem denegari; Eique de re curarunt etiam nonnullas protestationes ipsorum nomine editas cum quibusdam Curiæ Episcopalis decretis prædicto Sacerdoti Paschali nunciari.

Denique sub diem 31. Martii ejusdem mox elapsi anni obtinuerunt ab Episcopo decretum hoc -- „ Attentis narratis, ac visis decretis Sacræ Congregationis Concilii in caussa, de qua agitur, altero nempe sub die 25. Januarii 1738., & altero sub die 23. Septembris 1741. exhibitis in hac Episcopali Curia sub die 3. Januarii 1742., ac recept. supra caput omni, qua decet reverentia, necnon decretis per hanc Curiam latis sub diebus 28. Februarii, & 7. Martii currentis anni prædicti notificat, ut ex actis, parte exadverso minime comparen. curante, mandamus expediri solitas litteras Edictales pro concusu habendo infra legitima tempora ad formam Sacri Concilii Tridentini pro Ecclesia Parochiali Castri Hylaris, salva tamen provisione facienda prout de jure tam super deputatione Coadjutoris Curati, quam super Examinatoribus Valven

„ ven. loco Synodalium authoritate Apostolica suffectis stante suspicione in actis
„ deducta.

Recitatum Decretum commovit Sacerdotem Paschali ad exhibendum in Curia Episcopali binum exemplar, alterum scilicet literarum Apostolicarum, quas ipse a Dataria impetravit, alterum vero literarum Auditoris Cameræ, quas Monitoriales, & Inhibitoriales vocant; Verum Universitas Castri Hylaris, ne ob hanc caussam auditus præcluderetur exoptato concursui, per organum Eminentissimi Prodatarii obtinuit a Sanctissimo Domino Nostro, controversiam in dubiis mox recensendis comprehensam Sacræ huic Congregationi remitti.

Jussus propterea Episcopus sub initium mensis Aprilis de tota rerum serie in precibuus Universitatis exposita Sacram Congregationem instruere -- Audito Camillo Paschale eique præfixo termino ad deducenda jura in Sacra Congregatione, ac addito etiam Decreto, ut interim tempus, & tempora ad quatuor menses (postea opportune prorogatas) non currerent, ejusdem Sacræ Congregationis imperio obsequutus congruum præfato Camillo statuit terminum, suamque ad Eminentissimos Patres una cum aliquot documentis relationem transmisit a qua decerptum fuit quidquid hactenus est enarratum,

Pars utraque facile proferet jura sua, quibus perspectis decernendum est.

I. An ad formam Constitutionis S. Pii V. incipien. *In conferendis*, factus fuerit locus devolutioni Ecclesiæ Parochialis, de qua agitur in casu &c. *Et quatenus negative*.

II. An sit procedendum ad ulteriora in convocatione concursus in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

Die Sabbathi 16. Martii 1743.

SAMOIGITIEN. SEU VILNEN. MATRIMONII. Propositum fuit in Congregatione diei 26. Januarii proxime elapsi dubium -- *An constet de nullitate, seu potius de validitate Matrimonii inter Comitem Joannem de Sollohub, & Comitissam Constantiam de Krysoin in casu &c.* eique responsum est -- *constare de validitate Matrimonii* -- Quum autem Comes Joannes de Sollohub enixe rogaverit, ut adversus hanc resolutionem liceret sibi denuo jura sua experiri, non dedignata est Sacra Congregatio sub diem 16. superioris Mensis ejus precibus annuere, sed una simul præcepit, ut causa proponeretur omnino in hodierna Congregatione, & interim novi afferti Conjuges statim separarentur, in quem finem oportunæ darentur Literæ Apostolico Nuncio. Istæ jam missæ sunt, reliquum vero præstatur, dum rogantur Eminentissimi PP. pronunciare. *Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

VILNEN. Quemadmodum in Congregatione habita sub diem 26. mox præteriti Mensis Januarii una cum dubio super validitate, vel nullitate Matrimonii inter Comitem Joannem de Sollohub, & Comitissam Constantiam de Kryspin initi alterum quoque disceptatum est hisce verbis conceptum -- *An, & in qua parte sit locus exequtioni Apocæ, de qua agitur, & quæ summa sit restituenda, vel solvenda per Comitissam Constantiam de Kryspin in casu &c.* cui Eminentissimi PP. responderunt *Negative*, ita in Congregatione diei 16. subsequuti Mensis Februarii eadem pariter facta fuit Comiti Joanni de Sollohub potestas resolutionem hanc impugnandi; Quocirca resumto folio sub præfatam diem 26. Januarii distributo, ponderatisque juribus utrinque denuo adferendis deliberare oportet. *Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 25. ca. 6. 7. 8. & 9. de Regular.

PAPIEN. In folio diei 26. Januarii currentis anni descripta primum fuit hæc causa, cujus resolutionem differri tunc postulante utroque Abbate Ordinis S. Benedicti Superiore Monasteriorum Sanctimonialium, quæ nuncupantur *del Senatore, e della Pusterla*, Eminentissimi Patres insequenti Congregationi adsignarunt; At ea denuo relata in folio diei 16. mox elapsi Mensis Februarii, Defensor prædictorum Abbatum gravem ab se passam infirmitatem caussatus ob quam nequiverit ipsorum jura deducere, novam imploravit dilationem, quam tamen Sacer iste Senatus non censuit indulgendam nisi hoc temperatam rescripto, ut nimirum Causa -- „ proponatur in prima post Cineres etiam unica &c. „ & interim Abbates, & Moniales abstineant omnino ab actibus, de quorum „ facultate quæritur in dubiis, ac prætetea Abbates prædicti non audeant depu„ tare quempiam sive Secularem, sive Regularem in Confessarium Ordinarium, „ vel extraordinarium dictarum Monialium, aut alterius cujuscumque Personæ „ iniisdem Monasteriis degentis absque præcedenti approbatione Episcopi sub „ pænis in omnibus supradictis censurarum ipso facto incurrendarum, aliisque „ arbitrio Sacræ Congregationis.

Postremæ scilicet parti hujusce rescripti spectantis rem non prætactam in expositis dubiis occasionem dedit querela Episcopi, qui ceteros inter abusus novissime in gubernatione prædictorum Monasteriorum irrepentes hunc in sua relatione haud tolerandum recensuit „ quod quamquam prædicti Abbates recognoscant sibi non „ licere absque mea approbatione, & consensu deputare etiam temporibus a Sac Concil. Tridentino statutis Confessarium extraordinarium pro audiendis Con„ fessionibus omnium Monialium, ac Puellarum intra Monasteria sibi subjecta „ degentium, ut acta hujus Curiæ testantur, tamen, ut mihi nuperrime relatum „ fuit, (id enim antea ignorabam) aliquando contigit, quod ipsi, vel saltem „ alter illorum per literas patentes exprimentes tantummodo propriam autho„ ritatem assignent Sacerdotem quantumvis Regularem diversi Ordinis pro exci„ pienda Confessione unius, vel alterius Monialis, seu Puellæ, „ prout constat ex documento, quod idem Episcopus in forma probante transmisit.

Restat igitur, ut Eminentissimi PP. perpensis etiam juribus, quæ tandem Abbatum quoque nomine adferri continget, non graventur hodie respondere.

I. An liceat Abbatibus Sanctissimi Salvatoris, & Sanctorum Spiritus, & Galli Ordinis Cassinensis admitti facere Puellas in Capitulo Monialium Monasteriorum Ss. Mariæ, & Aureliani, & S. Mariæ Theodotæ pro acceptatione ad habitum, antequam exploretur ab Episcopo illarum voluntas in casu &c.

II. An Abbates prædicti admittere possint easdem Puellas in præfatis Monasteriis ad finem vestitionis, & ut in eis morentur in habitu Sæculari per Mensem, vel ad aliud tempus, etiam pro probanda illarum vera vocatione, vel pro quacumque alia causa absque licentia Sedis Apostolicæ in casu &c.

III. An Abbatibus prædictis liceat absque particulari licentia Episcopi in scriptis concedere licentias ingrediendi Clausuram dictorum Monasteriorum cuivis Personæ etiam necessario admittendæ in casu &c.

IV. Quot, & quas Personas iidem Abbates secum assumere debeant occasione eorum ingressus intra septa dictorum Monasteriorum pro explenda locali Visitatione.

V. An dicti Abbates extra casum dictæ localis Visitationis possint ingredi septa Monasteriorum, *& quatenus affirmative.*

VI. Quot, & quas Personas assumere teneantur in socios.

VII. A quo, vel quibus Personis associatus esse debeat Confessarius dd. Monialium in casibus administrandi Sacramenta Monialibus infirmis, & commendandi Animas in casu &c.

VIII. An exceptis dd. casibus administrationis Sacramentorum, & commendationis Animarum possit dictus Confessarius ingredi intra septa dd. Monasteriorum in casu &c.

IX. An

IX. An Episcopus possit a Monialibus prædictis exquirere redditiones rationum in casu &c.
X. An eisdem Monialibus liceat absque licentia Episcopi exponere solemniter in eorum Ecclesiis SS. Sacramentum in casu &c.
XI. An Abbatissæ utriusque Monasterii recipere teneantur a Ministris Curiæ Episcopalis Edicta, sive mandata, quorum executio a S. Sede specialiter delegatur Episcopo in casu &c.
XII. An Abbates prædicti, inconsulto Episcopo, possint concedere licentias tam Sæcularibus, quam Regularibus ipsis benevisis, etiamsi sint propriæ Congregationis, accedendi Locutoria Monialium dd. Monasteriorum; *Et quatenus affirmative*.
XIII. In quibus tantum casibus concedere possint dictas licentias.
XIV. An Episcopus valeat supradictas licentias in casu transgressionis, vel abusus revocare, & Transgressores quoscumque coercere, & quibus pœnis in casu &c.

Ad I. negative. Ad II. quoad admissionem causa educationis non posse absque licentia Sedis Apostolicæ; quoad reliquos vero casus non posse absque licentia Episcopi. Ad III. negative. Ad IV. V. VI. VII., & VIII. servandum esse omnino in omnibus Constitutionem Alexandri VII. incipien. -- *Felice* -- Ad IX. affirmative. Ad X. negative. Ad XI. affirmative. Ad XII. negative. Ad XIII. provisum in præcedenti. Ad XIV. affirmative juxta Constitutiones Gregorii XV., & Alexandri VII., & amplius in omnibus.

TRes, quæ sequuntur Causæ, ex rescripto ab Eminentissimis PP. edito sub diem 16. Februarii mox elapsi fuerunt hodiernæ Congregationi reservatæ. Facti autem species ad uniuscujusque earum Decisionem scitu necessaria repetenda est ex folio pro die illa distributo, quod Eminentiæ VV. resumere dignabuntur.

BRIXINEN. ERECTIONIS VICARIÆ PERPETUÆ.

An sit locus erectioni Vicariæ perpetuæ, sive assertæ Curatiæ in VVerberg liberæ collationis in casu &c. *Sess. 23. c. 2. de Ref.*

Affirmative servata in provisionibus forma concursus.

MELPHICTEN.

I. An redditus bonorum nuncupatorum -- *Procura dei Benefizi* -- impendi & applicari debeant juxta mentem, & voluntatem Benefactorum, *& quatenus affirmative*. *Sess. 24. c. 12. de ref.*
II. An hujusmodi impensa, & applicatio fieri debeat a Capitulo independenter ab Episcopo, seu potius cum ejus scientia, & consensu.
III. An reductio Missarum facta ab Episcopo super Missis ordinatis ab Antonio Natali substineatur, seu potius locus sit novæ reductioni; & quomodo sit facienda.
IV. An, & ad quam rationem debeatur eleemosyna Capitulo pro Missis, & Anniversario celebratis, & celebrandis.
V. An retentio Clavium Capsulæ dictæ *Procuræ Beneficiorum* spectet ad Capitulum privative quoad Episcopum, seu potius retinenda sit altera ab Episcopo, & altera a Capitulo.
VI. An provisio Librorum Sacristiæ, Supellectilis tam Sacristiæ, quam Ecclesiæ, & Sacrorum Paramentorum pro Canonicis interessentibus Pontificalibus; nec-

necnon reparatio Ecclesiæ, & restauratio Campanæ spectent ad Episcopum *& quatenus negative ad utrumque*.

VII. An, & ad quem spectet onus prædictorum omnium; *& quatenus affirmative ad utrumque*.

VIII. An pecunia desuper impensa a Capitulo tam de Bursa Capitulari; quam de *Procura Beneficiorum*, restituenda sit eidem Capitulo, & in qua summa.

IX. An, & quomodo Capitulum teneatur reddere rationem de omnibus Bonis dictæ *Procuræ Beneficiorum*.

X. An constet de ulla commixtione redditum eorumdem Bonorum in Massa Capitulari, eorumque repartitione inter Capitulares; *& quatenus affirmative*.

XI. An ipsi redditus ita commixti, & repartiti repeti modo debeant ex eadem Massa, & reintegranda sit de eisdem Capsula Capitularis eorumdem redditum in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess. 24. c. 7. de Ref.

VALVEN. PAROCHIALIS.

I. An ad formam Constitutionis S. Pii V. incipien. *In conferendis* factus fuerit locus devolutioni Ecclesiæ Parochialis, de qua agitur, in casu &c. *Et quatenus negative*.

II. An sit procedendum ad ulteriora in convocatione concursus in casu &c.

Ad I. negative. Ad II. affirmative. Reliquæ non propositæ.

Sess. 22. ca. 8. & 9. de ref.

HIERACEN. Extat in deserta, & asperrima quadam Valle Hieracensis Diæcesis Ecclesia S. Mariæ de Popsis Abbatiæ titulo insignita, cui vicinior pagus ab ea distat per terdecim milliaria: In hac vetus colitur Deiparæ Virginis Simulacrum miraculorum fama insigne, ac semel per annum peculiaris hujus Ecclesiæ festivitas agitur magna cum finitimæ gentis frequentia, & copiosa donariorum largitione.

Postquam ejus Diæcesis regimen suscepit modernus Episcopus, ad prædictam Ecclesiam visitandam perrexit sub annum 1731., atque, ut ibidem Deiparæ cultus, & decorem, & incrementum reciperet, illud brevi effecit, ut crescente in dies Fidelium Religionis caussa illuc adventantium numero, & piarum oblationum copia Sacra Virginis Ædes in ampliorem elegantioremque formam fuerit redacta, majorque ara marmoreo lapide ornata: Ministros etiam instituit ad servitium Ecclesiæ, eorumque numerum ita paulatim adauxit, ut ab anno 1738. tres Cappellani Sacerdotes, atque ad audiendas Confessiones approbati esse ceperint una cum octo Eremitis, quibus ab Episcopo ipso certa gestandi habitus præscripta est forma: Porro his omnibus legem imposuit recitandæ singulis diebus in choro Psalmodiæ, Cappellanis vero quotidie Altari Sacrificandi, administrandive Sacramenta illuc venientibus vel commorantibus.

Statuit denique tres confici, ac retineri debere in Ecclesia Codices in quorum uno distincte adnotarentur donaria, ac miracula, quæ imposterum fierent, in altero Missarum eleemosynæ, & in tertio demum earumdem Missarum celebratio, decrevitque pariter, ut quotquot pecuniarum summas offerri contingeret eædem in capsula quadam reponerentur pluribus clavibus occlusa, nec aliàs reseranda, quam semel per annum occasione Sacræ Visitationis.

Singulis idcirco annis Episcopus ad Ecclesiam S. Mariæ invisendam pergebat, cunctaque secundum ejus præscriptum agebantur: Verum anno 1739. Cl. Mem. Cardinalis Passari Abbas Commendatarius illius Ecclesiæ postulavit ab hac Sacra Congregatione declarari, quod sibi, non vero Episcopo jus esset percipiendi atque administrandi oblationes, quæ fieri solerent in Ecclesia S. Mariæ, itemque jus deputandi Eremitas, aliosve Ministros pro Ecclesiæ custodia: Sacra autem Con-

Congregatio censuit nedum super hisce precibus audiendum esse Hieracensem Antistitem, verum etiam secreto sciscitandum Præsulem Miletensem.

Hic itaque Sacræ Congregationi renunciavit, triginta circiter ab hinc annis ab Antecessore moderni Hieracensis Episcopi duos vel tres Eremitas in Ecclesia S. Mariæ deputari consuevisse, procuratoremque unum, qui oblationes colligeret, easque eum Episcopi authoritate in Ecclesiæ usus, & alendos Eremitas impenderet; illudque præterea in more positum fuisse, ut duo Cappellani Dominicis, & Festis diebus missæ Sacrum in ea Ecclesia conficerent, quibus Procurator Eminentissimi Abbatis eleemosynam præstaret, plurimum vero sollicitudini, & zelo moderni Episcopi acceptum ferri debere, quod ad eamdem Ecclesiam pertinet, incrementum divini cultus, & oblationum, ex quibus certo nunc annua referatur summa Ducatorum sexcentum.

Duo autem subdidit ex hominum peritiorum sententia maxime desiderari ad illius Ecclesiæ cultum, & decorem conservandum, augendumque: Primum nempe, ut ei præficiatur idoneus aliquis Sacerdos, qui continuo ibidem resideat ac sedulam curam gerat omnium Ecclesiæ rerum, ac ministrorum; Alterum, quod quidquid pecuniæ demptis sumtibus in alendos Cappellanos, Eremitas, & advenas, atque in missarum celebrationem necessariis reliquum fuerit, id omne non amplius Fabricæ tribui debeat, sed comparandis prædiis, aliisve annuis reditibus pro dote ipsius Ecclesiæ.

Hieracensis vero Præsul scripsit, se quum cerneret magnam construere populi multitudinem ad Ecclesiam S. Mariæ, hanc vero exiguæ molis esse, male ornatam, maleque sartam, & tectam, quæque nullos haberet Sacerdotes vel ministros inservientes, præterquam rusticos quatuor homines sub nomine Eremitarum pro Ecclesia seque ipsis eleemosynam queritantes, permotum fuisse pietatis, divinique cultus augendi studio ad ea, quæ superius commemorata sunt, opera perficienda, atque ex proprio ære non parum in eam rem contulisse.

Quidquid vero ab se actum est, id, & probatum fuisse inquit a laudato Eminentissimo Abbate Commendatario per Epistolam sibi conscriptam, quam adhuc servat, & jure pariter fecisse authumat, propterea quod ad Ordinarium spectet administratio oblationum, quæ alicui Sacræ Imagini fiant; Unde jam olim Eremitæ ad ministerium Ecclesiæ S. Mariæ deputati ex Prædecessoris sui facultate oblationes colligerent, inque pios usus erogarent.

Post duplicem hanc relationem utriusque Præsulis Miletensis, & Hieracensis ad Sacram Congregationem transmissam nihil ultra egisse apparet præfatum Cardinalem Passari: Verum novus Abbas Commendatarius S. Mariæ de Popsis R. P. D. Nicolaus Perelli Decessoris sui petitionem instaurans contendit modo sibi ab hac Sacra Congregatione decerni jus deputandi Cappellanos, & Hæremitas pro servitio ejus Ecclesiæ, necnon Procuratorem pro colligendis, atque administrandis oblationibus, quamvis, & Cappellani pro facultate administrandi Sacramenta, & Hæremitæ quo ad morum integritatem, atque gestationem habitus egeant Episcopi adprobatione, neque ipse Abbas detrectet de administrandis oblationibus rationem reddere ipsi Episcopo.

Utrumque jus ille sibi nimirum vindicat, utpote Rector, ac legitimus administrator Ecclesiæ S. Mariæ datus in Apostolicis literis, quas impetravit. Facultatem namque deputandi Capellanos, aliosque Ministros Ecclesiæ veluti quæ adnumeretur inter præcipua administrationis jura, ad Rectorem ipsius Ecclesiæ pertinere tradunt *Felin. in cap. cum accessissent num.16. in fin. de constit.*, aliique relati *per Fargn. de jurep. part.2. can.28. cas.3. nu.5.*, *& Bassi de Sodalit. in Miscellan. num.11.*, & firmavit *Rot. Decis. 455. nu.2.*, *& 3. cor. Duran.*, *Decis.176. num.4. cor. Peutinger.*, *& Decis.382. num.1.*, *& seqq. cor. Lancet.*

Sicuti pariter administrationem oblationum propriam esse Rectoris Ecclesiæ, in qua illæ fiunt excluso etiam Parocho suse probat *Eminentissimo Petra in Commentar. ad Const. Apost. tom.2. ad Const.I. Anastas.IV. sect.2. num.20.*, ubi, & plures alios Authores laudat, atque etiam refert nonnullas Resolutiones tam hujus Sacræ Congregationis, quam alterius Episcoporum, & Regularium negotiis

gotiis præpositæ; Idemque definivit tum Rotæ Auditorium *Dec*.170., *&* 206. *num*.1., *& seq. cor. Herrer.* tum recentius Sacra hæc Congregatio in Asculana Jurium, & Functionum Parochialium 29. Augusti 1733. ubi quum ad quartum dubium quæreretur *An eidem Rectori debeantur oblationes, seu eleemosynæ colligi solitæ in dicta Villa Tini, seu in Oratorio prædicto, & an valeat in illarum administratione se ingerere absque licentia, & consensu dicti Parochi* responsum fuit -- *Ad quartum affirmative quoad oblationes, & eleemosynas in Oratorio, ita tamen, ut ratio reddatur Episcopo, & dictæ eleemosynæ vel oblationes convertantur in usum, & cultum ipsius Ecclesiæ cum approbatione ejusdem Episcopi.*

Quin immo non solum Clerici Ecclesiam habentes in titulum, verum, & piæ Confraternitates, sive Congregationes laicorum, ut minori potius, quam illi gaudeant administrandæ Ecclesiæ potestate, ex generali consuetudine præsertim Italiæ jus obtinent recipiendi, administrandive oblationes, quæ fiant in earum Ecclesiis, ut pluribus adductis Sacrarum Congregationum decretis tradit *Eminentissimus Petra ad cit. Constit.I. Anastasii IV., sect.2. num.43. tom.2.*, multique alii per eum cumulati, & nuperrime firmavit *Rot.in Romana Translationis Imaginis* 25. *Junii* 1742. §.9. *cor. R. P. D. Calcagnino.*

Ad hæc censet Abbas Commendatarius potiori jure arcendum esse Episcopum a deputandis Ministris, atque administrandis oblationibus, propterea quod Ecclesia S. Mariæ olim Abbatia Regularis fuerit, sive *Monasterium Ordinis S. Benedicti, seu alterius Ordinis*, ut legitur in Apostolicis litteris hanc Abbatiam illi commendantibus, ac propterea eadem Ecclesia, quemadmodum prius erat, ita, & hodie maneat ab Episcopi jurisdictione prorsus exemta, licet ad sæcularem statum redacta, ex traditis per *Pignatel. consult.*152. *num.*3. *tom.*4., *Piton. Discept. Eccl.*160. *nu.*59. *tom.*4., *& alii per eum congesti.*

At vero, quum Miletensis Episcopus in sua Relatione testetur, duos Heremitae pro servitio Ecclesiæ, & unum Procuratorem pro colligendis, erogandisqua oblationibus constitui solitos ab Antecessore moderni Episcopi, a quo prætere Ministri, & Cappellani fuerint ab anno 1731. ad 1739. deputati, tum etiam oblationes pro ipsius arbitrio in pios usus conversæ, perpendendum erit, num consuetudo isthæc in ea re suffragari queat Episcopo, numve juris dispositioni conformis illa sit, vel saltem non adversetur, itaut etiam decennali minor sufficiat, vel potius non tantum decennalis, immo vero quadragenaria, aut vetustior requiratur præscriptio.

Sane quod spectat ad facultatem percipiendi, & administrandi oblationes, juris adsistentiam esse pro Episcopo, quoties agatur de oblationibus factis Sacræ cuipiam Imagini extra districtum alicujus Paræciæ existenti, quemadmodum ea favet Parocho pro oblationibus quæ fiant in loco suæ Paræciæ, docent *Costa de rat. quæst.*239. *num.*14. *Fagnan. in Cap. Pastoralis num.*32. *de his, quæ fiunt a Prælat.*, *Pignatel. consult.*160. *tom.*4., *& Eminentissimus Petra ad Const.* I. *Anastasii IV. sect.*2. *num.*34. *tom.*2.; Favore autem Parochi nonnisi ex decennali præscriptione jus adquiri administrandi oblationes contra specialem Rectorem Ecclesiæ docet *idem Eminentissimus Petra loco cit. num.*23.

Aliæ vero personæ Ecclesiasticæ, quæ juris adsistentia suffultæ non sint, ex quadragenaria tantum consuetudine sive præscriptione, nullo licet titulo communita, sibi possunt adquirere hanc facultatem administrandi oblationes, quippe quia contra eam præscriptionem jus non resistit vehementer, & ea videtur esse tacita offerentium voluntas, ut res Deo oblatas ille administret, qui administrare antea consuevit, uti docent *Marian. Socin. in tract. de oblat. libel.*18. *num.*3. *vers. tertio præmittendum Decian. cons.*16. *num.*15: *lib.*2. *Fagnan. in cap. Pastoralis nu.*36., *&* 37. *de his quæ fiunt a Præl.*, *& Eminentissimus Petra loco superius cit. num.*22., *&* 25., ubi verba facit de Episcopo contra Parochum præscribente.

Ob oculos itaque habitis una cum expositis facti circumstantiis receptioribus canonici juris theoricis dignentur Eminentissimi PP. decernere,

An

An, & ad quem spectet deputatio Cappellanorum, & Heremitarum pro servitio Ecclesiæ S. Mariæ de Popsis, & respective Procuratoris pro administratione eleemosynarum, & oblationum, de quibus agitur in casu &c.

JUVENACEN. Semel, iterumque, diebus nempe 15. Decembris superioris anni, & 12. Januarii nuper elapsi descripta fuerunt in Folio novemdecim hæc Dubia -- I. *An modernus Episcopus teneatur restituere Ecclesiæ Cathedrali Juvenacen. ducatos 716. provenien. ex spoliis bon. mem. Chyurliæ Episcopi Prædecessoris?* II. *An ipse teneatur restituere paramenta Sacra per dictum Episcopum Chyrurlia relict. præfatæ Ecclesiæ Cathedrali?* III. *An teneatur d. Ecclesiæ Cathedrali reficere damna ei illata per deteriorationem eorumdem Paramentorum?* IV. *An teneatur restituere d. Cathedrali mobilia provenientia ex spoliis d. Episcopi Chyurliæ, & reficere damna pro consumptis?* V. *An teneatur restituere duas Vineas, & Stabulum vulgo Lamione provenien. ex dictis spoliis una cum fructibus a d. Episcopo perceptis? An teneatur restituere duas Mulas pertinentes ad dicta spolia?* VII. *An insuper teneatur restituere omnes pecunias dictorum spoliorum erogatas in Fabricis, seu Ædificis*, & quatenus negative. VIII. *An ex dictis Fabricis, seu Ædificiis sint auferenda, seu abolenda stemmata d. Episcopi?* IX. *An dicta stemmata sint abradenda a Lampadibus, aliisque supellectilibus factis cum pecuniis dictorum spoliorum?* X. *An pecuniæ erogatæ in constructionem Altaris marmorei in Ecclesia Cathedrali cedere debeant ad damnum Episcopi, sive potiu sustineatur annuus Census scut.24. impositus super Bonis spoliorum Episcopi Chyurliæ.* XI. *An annualitates dicti Census decursæ ab anno 1739 usque, & per totum annum 1741., ac persolutæ ex pecuniis dictorum spoliorum sint restituendæ?* XII. *An Domus per Episcopum assignata ad usum Scholæ, & altera per ipsum titulo eleemosynæ tradita Joanni Turturi sint restituendæ dictæ Ecclesiæ Cathedrali?* XIII. *An fructus, seu pensiones dd. Domorum huc usque decursæ sint solvendæ per d. Episcopum.* XIV. *An, & a quo sit reddenda ratio administrationis dd. spoliorum gestæ de tempore Sedis Episcopalis vacantis per obitum dicti Episcopi Chyurliæ.* XV. *An Æconomus, seu Exactor præfati Episcopi tamquam Sacerdos Consortialis, atque participans, lucretur distributiones quotidianas, quando est absens, & d. Cathedrali Ecclesiæ non inservit.* XVI. *An memoratus Episcopus habeat jus exigendi quotannis a Capitulo d. Ecclesiæ Cathedralis ducatos centum?* XVII. *An ipse in Causis Criminalibus valeat exigere mulctas, seu pœnas pecuniarias, non obstante Decreto d. Episcopi Chyurliæ illarum exactionem interdicente*, & quatenus affirmative. XVIII. *An teneatur restituere d. Ecclesiæ Cathedrali Bona sibi relicta in compensationem dictarum pœnarum.* XIX. *An Capitulo, & Canonicis d. Ecclesiæ Cathedralis sit concedenda exemptio in casu &c* Sess.24. c.11. de reg.

Eorum autem resolutio ad preces Juvenacensis Episcopi dilationem efflagitantis primum suspensa fuit, mox vero sic ad ea responsum est, nimirum -- *Ad primum affirmative. Ad secundum cum sequentibus usque ad decimumquartum inclusive ad Metropolitanum, qui procedat prout de jure. Ad decimum sextum negative. In reliquis dilata, & proponatur in prima post Cineres, citatis omnibus interesse habentibus.*

Ab hoc rescripto reclamatum fuit Episcopi nomine, sed facta illi tantum potestate revocandi ad trutinam decisionem primi Dubii, rogantur modo Eminentissimi PP. deliberare.

I. An sit standum; vel recedendum a decisis sub diem 12. Januarii 1743. quoad primum Dubium, in casu &c.

II. An Æconomus, seu Exactor moderni Episcopi tamquam Sacerdos Consortialis, atque participans lucretur distributiones quotidianas, quando est absens, & Cathedrali Ecclesiæ non inservit.

III. An idem Episcopus in Causis Criminalibus possit exigere mulctas, seu pœnas

nas pecuniarias, non obstante decreto Episcopi Chyurliæ illarum exactionem interdicentis; *& quatenus affirmative*.

IV. An teneatur restituere Ecclesiæ Cathedrali Bona sibi relicta in compensationem dictarum pœnarum.

V. An Capitulo, & Canonicis dictæ Ecclesiæ Cathedralis concedenda sit exemptio a jurisdictione moderni Episcopi in casu &c.

JUVENACEN. DECRETORUM. Hæc eadem septem Dubia mox subiicienda descripta itidem fuere in Foliis distributis pro Congregationibus dierum 15. Decembris anni proxime exacti, & 12. Januarii currentis anni; Quum autem ipsorum discussio fuerit ad hanc diem rejecta, rursus decidendum proponitur.

I. An Decreto Episcopi Juvenacen. edita die 31. Maii 1739. in Sac. Visitatione, nempe decimum septimum, vigesimum, & vigesimum primum sint exequenda, & observanda, *& quatenus negative*?

II. An liceat Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Juvenacen. eligere in Procuratorem unum ex dictis Canonicis, vel potius teneatur eligere unum ex Presbyteris participantibus?

III. An idem Procurator legitime electus possit nuncupari Prior, juxta dispositionem Statuti dictæ Ecclesiæ Cathedralis.

IV. An Spolia bo. me. Episcopi Chyurliæ Prædecessoris possint applicari in Honorarium Concionatoris, & stipendium Cappellani pro tempore Ecclesiæ SS. Crucifixi?

V. An item applicari possint in usum Fabricæ dictæ Ecclesiæ Cathedralis?

VI. An applicatio dictorum Spoliorum fieri possit ab Episcopo cum sola scientia Capituli dictæ Ecclesiæ Cathedralis, vel potius requiratur expressus consensus ejusdem Capituli?

VII. An, & ad quem spectet electio Procuratoris, seu Administratoris dictorum Spoliorum in casu &c.

Die Sabbathi 30. Martii 1743.

EXamen quatuor sequentium Causarum fuit ab Eminentissimis PP. sub diem 16. labentis Mensis hodiernæ Congregationi reservatum. Resumpto igitur Folio ea die distributo, definiendum est.

Sess. 24. c. 2. de ref.

MELPHICTEN.

I. An reditus bonorum nuncupatorum — *Procura dei Benefizi* impendi, & applicari debeant juxta mentem, & voluntatem Benefactorum, *& quatenus affirmative*.

II. An hujusmodi impensa; & applicatio fieri debeat a Capitalo independenter ab Episcopo, seu potius cum ejus scientia, & consensu.

III. An reductio Missarum facta ab Episcopo super Missis ordinatis ab Antonio Natali substineatur, seu potius locus sit novæ reductioni; & quomodo sit facienda.

IV. An, & ad quam rationem debeatur eleemosyna Capitulo pro Missis, & Anniversario celebratis, & celebrandis.

V. An retentio Clavium Capsulæ dictæ *Procuræ Beneficiorum* spectet ad Capitulum privative quoad Episcopum, seu potius retinenda sit altera ab Episcopo, & altera a Capitulo.

VI. An provisio Librorum Sacristiæ, Supellectilis tam Sacristiæ, quam Ecclesiæ, & Sacrorum Paramentorum pro Canonicis interessentibus Pontificalibus, necnon reparatio Ecclesiæ, & restauratio Campanæ spectent ad Episcopum; *& quatenus negative ad utrumque*.

VII. An

VII. An, & ad quem spectet onus prædictorum omnium; *& quatenus affirmative ad utrumque*.

VIII. An pecunia desuper impensa a Capitulo tam de Bursa Capitulari; quam de *Procura Beneficiorum*, restituenda sit eidem Capitulo, & in qua summa.

IX. An, & quomodo Capitulum teneatur reddere rationem de omnibus Bonis dictæ *Procuræ Beneficiorum*.

X. An constet de ulla commixtione redditaum eorumdem Bonorum in Massa Capitulari, eorumque repartitione inter Capitulares; *& quatenus affirmative*.

XI. An ipsi redditus ita commixti, & repartiti repeti modo debeant ex eadem Massa, & reintegranda sit de eisdem Capsula Capitularis eorumdem redditaum in casu &c.

Dilata, & firmetur status redditaum tam Bonorum nuncupat. *Procura dei Benefizi*, quam Mensæ Episcopalis, necnon Mensæ Capitularis, & coadjuventur tunc inde probationes super consuetudine.

HIERACEN.

An, & ad quem spectet deputatio Cappellanorum, & Heremitarum pro servitio Ecclesiæ S. Mariæ de Popsis, & respective Procuratoris pro administratione eleemosynarum, oblationum, de quibus agitur in casu &c. *Sess. 22. ca. 8 & 9. de ref.*

Spectare ad Abbatem sub obligatione tamen reddendi rationem Episcopo, a quo visitari etiam possit Ecclesia Jure saltem delegato, & quoties id sibi in Domino videbitur expedire.

JUVENACEN.

Sess. 24. c. 3. & 12. de ref.

I. An sit standum; vel recedendum a decisis sub diem 12. Januarii 1743. quoad primum Dubium, in casu &c.

II. An Æconomus, seu Exactor moderni Episcopi tamquam Sacerdos Consortialis, atque participans lucretur distributiones quotidianas, quando est absens, & Cathedrali Ecclesiæ non inservit.

III. An idem Episcopus in Causis Criminalibus possit exigere mulctas, seu pœnas pecuniarias, non obstante decreto Episcopi Chyurliæ illarum exactionem interdicentis; *& quatenus affirmative*.

IV. An teneatur restituere Ecclesiæ Cathedrali Bona sibi relicta in compensationem dictarum pœnarum.

V. An Capitulo, & Canonicis dictæ Ecclesiæ Cathedralis concedenda sit exemptio a jurisdictione moderni Episcopi in casu &c.

Ad I. in decisis. Ad II. negative. Ad III. affirmative. Ad IV., & V. negative.

JUVENACEN. DECRETORUM.

Sess. 24. ca. 12. & 16. & sess. 25. cap. 6. de ref.

I. An Decreta Episcopi Juvenacen. edita die 31. Maii 1739. in Sac. Visitatione, nempe decimum septimum, vigesimum, & vigesimum primum sint exequenda, & observanda, *& quatenus negative?*

II. An liceat Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Juvenacen. eligere in Procuratorem unum ex dictis Canonicis, vel potius teneatur eligere unum ex Presbyteris participantibus?

III. An idem Procurator legitime electus possit nuncupari Prior, juxta dispositionem Statuti dictæ Ecclesiæ Cathedralis.

IV. An Spolia bo. me. Episcopi Chyurliæ Prædecessoris possint applicari in Hono-

rarium

rarium Concionatoris, & stipendium Cappellani pro tempore Ecclesiæ SS. Crucifixi?

V. An item applicari possint in usum Fabricæ dictæ Ecclesiæ Cathedralis?

VI. An applicatio dictorum Spoliorum fieri possit ab Episcopo cum sola scientia Capituli dictæ Ecclesiæ Cathedralis, vel potius requiratur expressus consensus ejusdem Capituli?

VII. An, & ad quem spectet electio Procuratoris, seu Administratoris dictorum Spoliorum in casu &c.

Ad I. provisum in sequentibus. Ad II. affirmative ad primam partem, & negative ad secundam. Ad III. & IV. negative. Ad V. affirmative ad formam Constitutionum Apostolicarum, Ad VI. applicationem faciendam esse cum scientia, & consilio Capituli. Ad VII. spectare ad Episcopum cum scientia, & consilio Capituli.

Sess. 24. c. 18. de ref.

TRIVENTINA CONCURSUS. Indictus ab Episcopo fuit concursus ad vacantem Parochialem Ecclesiam, sive Archipresbyteratum Oppidi Borelli, atque ex iis, qui ad examen convenerant, Sacerdos Nicolaus de Auro veluti cæteris dignior ab Episcopo renunciatus per Apostolicas Litteras Parochialem Ecclesiam obtinuit, eamque administrat.

Verum Sacerdos Liberator de Elisio in Curia Episcopali conquestus injuria copiam sibi factam non fuisse subeundi in eo examine propriæ aptitudinis experimenti, adversus Acta Concursus ad Sanctam Sedem provocavit; & quamquam postea fuisset ab Episcopo admonitus, ut coram eo se sisteret ad audiendam morum correctionem, is tamen iter ad Urbem arripuit, ibique post Decretum ab Eminentissimo D. Cardinali Prodatario editum, quo super nullitate actorum ab ipso proposita mandatum est, ut apud Judicem competentem jure suo uteretur, Sacram hanc Congregationem statuit adire. Cumque in supplici, quem porrexit, libello exposuerit, vetitum se fuisse a Præsule suo, ne ad examen accederet ob crimina quædam sibi per calumniam impicta, impetravit conscribi litteras Sulmonensi Episcopo pro exploranda objectorum sibi criminum soliditate, itemque decerni transmissionem actorum sive judiciariæ inquisitionis, quæ sub annum 1739. adversus ipsum in Episcopali Curia fuerat peracta.

Postmodum vero, ut hac in re facti veritas magis, magisque comperta haberetur, datæ quoque sunt literæ Apostolico Neapolis Nuncio, quibus exactam investigationem eorum omnium, quæ in precibus a Sacerdote de Elisio repetitis enarrabantur, secreto curare jussus est.

Hisce autem Relationibus jam acceptis duo, quæ mox subnectentur, dubia decidi postulat memoratus Sacerdos de Elisio, contendens, nulliter habitum fuisse concursum pro controversa Parochiali Ecclesia, quia nulla omnino fuerit caussa, cur ipse a concursu arceretur. Inquit enim, quod licet sub annum 1739. ipse fuerit de quibusdam malefactis impetitus, nimirum de illicita negotiatione, de frequenti, ac diuturno absque habitu clericali, vel minus decenti per vias publicas, & plateas incessu, deque neglecto plurimum Ecclesiæ, cui erat adscriptus, servitio hæc tamen omnia per invidiam affícta sibi fuerint, quum pravæ cujuslibet in se notæ suspicionem prorsus refellant plura, quæ profert, illibatæ suæ existimationis, & probitatis argumenta.

Docet item multos ab hinc annos datam sibi fuisse a proprio Antistite facultatem audiendi confessiones, eamque semper ad certum tempus confirmatam; pluries se, veluti ad curam animarum idoneum fuisse in concursibus Parochialium Ecclesiarum Triventinæ Diæcesis adprobatum: Præterea morum suorum integritatem, juge servitium Ecclesiæ, munus Ludi Magistri, & Coadjutoris Parochi diù, ac variis in Ecclesiis a se impensum non parum commendari tum literis olim sibi datis a Vicario Generali Episcopalis Curiæ, tum etiam pluribus testimoniis nuper editis ab Archipresbytero Loci Vastigirardi, & Rectoribus Universitatis

ejusdem Oppidi, necnon alterius Borelli suæ Patriæ, qui statim ac Parochialis hæc Ecclesia vacavit, diserte professi sunt, se vehementer optasse, ut is eidem Ecclesiæ præficeretur.

Sulmonensis Episcopus, quum per se ipsum nequiverit de moribus, & vita Sacerdotis de Elisio inquirere, id oneris commisit cuidam Diœcesis suæ Presbytero prope fines Triventinæ degenti. Hic autem retulit, septem probos, honestosque Viros ex Oppidis Roselli, & Borelli accersitos, ac sejunctim interrogatos ingenue sibi testatam fecisse integram existimationem, ac pietatem Sacerdotis de Elisio, tum etiam calumniosam accusationem inquisitionemque adversus eum pridem in Episcopali Curia confectam, cujus quidem accusationis author fuerit Dominicus Simonetti, dum ipsum inter, & Sacerdotem de Elisio civiles quædam vigebant controversiæ.

At vero Apostolicus Nuncius aliam accurate, secretoque delatam sibi relationem transmisit, ex qua liquet Rectores Universitatis Borelli, antequam concursus, de quo agitur, indiceretur, honorifica dedisse testimonia Sacerdoti de Elisio, æque ac alteri Sacerdoti de Auro; Hunc vero Parochialem Ecclesiam nuper adeptum sese acceptissimum universo Populo jam reddidisse, Sacerdotem de Elisio fuisse quidem in concursu ad Curam Animarum pluries probatum, nunquam tamen potiore inter idoneos oppositores loco donari meruisse. Ac demum Triventinum Antistitem, non ob aliquam privati odii caussam, sed jure, ac merito eum a concursu nuper habito rejecisse, utpote per Episcopalis Curiæ inquisitionem de criminibus superius commemoratis notatum.

Hæc præcipua sunt, quæ oportuit Eminentissimos PP. non latere, dum jura Sacerdotis de Auro ad hanc Parochialem electi nondum fuerunt exhibita. Placeat igitur iis quoque, si proferentur, inspectis deliberare.

I. *An constet de nullitate concursus Ecclesiæ Parochialis, de qua agitur*, & quatenus affirmative.

II. *An sit locus coactioni novi concursus cum admissione Sacerdotis de Elisio in casu &c.*

Ad primum negative. Ad secundum provisum in primo, & amplius.

NEAPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Frater Philippus del Sole, qui in sæculo Joannes nuncupabatur, post emissam usque ab anno 1709. solemnem Professionem in Conventu S. Laurentii Ordinis Minorum Conventualium Neapolis, contendens eam fuisse irritam ob morbum epilepticum, quo se a primis infantiæ annis affectum eo adhuc tempore laborasset affirmabat, præviis remissione suarum precum a f. m. Benedicto XIII. ad hanc Sac. Congregationem de more impetrata, ac exhibitione Processus jussu ejusdem Sacræ Congregationis in Curia Neapolitana deinde confecti, curavit demum subscribi consuetum Dubium -- *An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.*, quo proposito die 18. Novembris 1741. rescriptum prodiit *Negative*. Huic autem resolutioni quum non adquieverit Frater Philippus dolens jura sua non fuisse sub illam diem ad Eminentissimos PP. delata, obtinuit ejusdem resolutionis pondus ad trutinam revocari, discussoque sub diem 23. Junii 1742. Dubio -- *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*, responsum est -- *In decisis, & amplius*. *Sess. 25. c. 19. de reg.*

Veruntamen a geminis hisce decisionibus contra se editis denuo reclamat Orator nuperrime ad Urbem perventus, ac sub præsidio Pontificii rescripti, quo nova ejus postulatio fuit iterum ad hanc S. Congregationem rejecta, demisse rogat Eminentissimos PP., ut rationum momenta, quæ ad impetrandam restitutionem in integrum satis valida arbitratur, quæque reipsa sive ob sui defensoris absentiam, incuriamve, sive ob aliud qualecumque infortunium non fuerunt hactenus in binis Causæ propositionibus Eminentiis VV. distributa, modo ponderare non dedignentur.

Placeat igitur iis perpensis, & resumpto Folio prædictæ diei 18 Novembris 1741., in quo tum actorum omnium series, quæ in causa hac præcessere, tum summa eorum, quæ ex Processu Neapoli confecto eruuntur, tum demum illa, quæ ad ejusdem Causæ resolutionem sive in facto, sive in jure conferre possunt, descripta fuerunt, rursus deliberare.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. c. 8. de Ref.

ARIMINEN. ERECTIONIS COLLEGII. Modernus Ariminensis Episcopus, flagitantibus Parochis ejus Civitatis, Ecclesiastici Collegii erectionem paraverat, quum id intelligentes Canonici Cathedralis Ecclesiæ statim contradictores sese præbuerunt, obtinueruntque per literas inhibitoriales Curiæ Eminen. D. Cardinalis Legati Romandiolæ Parochis interdici, ne super ea erectione quidquam innovare auderent.

Supplicem propterea libellum curarunt iidem Parochi Sacræ huic Congregationi exhiberi, quo efflagitabant, ut post habita contradictione Capituli, ad exitum perduceretur Collegii institutio.

Hac autem de re jussus Episcopus Sacram Congregationem instruere significavit, se recte facturum censuisse, si Parochorum votis indulgeret, utpote quæ nulli prorsus obessent, solumque Divini Cultus incrementum, atque Ecclesiastici Ordinis, & Civitatis decorem spectarent: Atque una cum Relatione transmisit formulam, sive tenorem literarum erectionis Collegii, ac nonnullarum Constitutionum, quas pro recta illius moderatione conscripsit.

Jn iis erectionis literis universo Parochorum cætui Ecclesiastici Collegii titulus, & jura donantur sub auspiciis S. Joannis Nepomuceni, designaturque pro Collegio Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ in Acumine intra Civitatem sita: speciatim vero illis tribuitur facultas sese congregandi, statuta condendi ab Ordinario tamen probanda, eligendi Priorem, qui caput esset Collegii, aliosque Officiales, ac denique propriam elevandi Collegialem Crucem, præterquam in Processionibus, & aliis quibusque Sacris functionibus, in quibus interesset Cathedralis Ecclesiæ Capitulum; Cautum namque voluit Episcopus, nullum omnino per hanc Collegii erectionem præfato Capitulo detrimentum inferri.

In Constitutionibus vero præter ea, quæ respiciunt modum convocandi Collegii, eligendique Officiales, varia præscribuntur pietatis opera a Parochis Collegio adlectis exercenda; Primo nimirum, ut ii quotannis, recurrente S. Joannis Nepomuceni eorum Patroni celebritate, ad Collegialem Ecclesiam S. Mariæ in Acumine convenire debeant, ibique adsistere solenni Missæ, ac Vesperis; Secundo, ut, ex præcipuo Collegii Instituto exorandi pro Defunctis, bis per annum in eadem Ecclesia Nocturni Defunctorum recitationem persolvant, canantque Missam de Requie pro Animabus decedentium Confratrum; ac tertio, ut, quoties aliquis de Collegio diem suum expleverit, omnes ab Ecclesia S. Mariæ collegiatim sub Cruce procedant ad Ecclesiam defuncti Parochi, ibique funus celebrent cum cantu Missæ solennis, aliasque Missas legant in ipsius Defuncti suffragationem.

Præterea illud etiam statuitur præcipuas in sacris ejusmodi obeundis Functionibus partes esse debere Prioris Collegii, præterquam ubi Collegium ipsum ab aliquo ex Parochis invitetur occasione peculiaris Festivitatis suæ Parochialis Ecclesiæ; tunc enim decernitur jus non esse Priori Collegii Missæ solemnia ibidem peragendi, sed ea explenda esse ab ejusdem Ecclesiæ Parocho, vel a Priore, ipso tamen Parocho permittente.

His ita præordinatis quum Parochi audierint Canonicos Cathedralis ea potissimum ratione permotos fuisse, ut deliberationi tam ab ipsis, quam ab Episcopo initæ repugnarent, quia nimirum ordinariam Episcopi potestatem excederet Collegiatarum Ecclesiarum erectio, suum idcirco Præsulem exorarunt, ut declara-

re dignaretur, se nequaquam de Collegiata Ecclesia, sed de improprio quodam Collegio sive potius de simplici Sacerdotum Parochorum Congregatione erigenda cogitasse; Quam porro declarationem in calce libelli sibi porrecti Episcopus non dubitavit exarare.

Optantes jam vero Parochi propositam qualiscumque sui Collegii erectionem perfici rogant Eminentissimos Patres definire.

An sit locus erectioni Collegii Parochorum Civitatis Ariminen. juxta minutam Decretorum, & Constitutionum ab Episcopo confect. in casu &c.

Affirmative addita declaratione, quod per hujusmodi erectionem singuli Parochi non eximantur a consuetis oneribus, & obsequiis erga Cathedralem.

FANEN. INDULTI. Presbyteralem Archidiaconatus Cathedralis Ecclesiæ dignitatem, non tamen eam, quæ oculus Episcopi dicitur, libere in manibus Sanctissimi resignaverat Sacerdos Laurentius Ceani, eamdemque ita ex resignatione vacantem quinto Kalendas Decembris 1739. ab Apostolica Sede fuerat consequutus Clericus Philippus de Georgiis tum temporis decimum nonum agens ætatis suæ annum, lege tamen illi imposita, ut quam primum idoneæ factus esset ætatis, Sacris quibusque Ordinibus initiari teneretur, alioquin Archidiaconatus ipse, quemadmodum antea, per resignationem, vacaret. *Sess. 14. c. 10. de Ref.*

Nactus deinde Archidiaconatus sui possessionem neglexit Pontificiæ Collationis præscripto obtemperare; quamvis id tempus complesset suscipiendis Sacris Ordinibus præstitutum, quin immo die 17. Decembris 1742. penes acta Episcopalis Curiæ prædictum Archidiaconatum sponte dimisit: Quamobrem Sacerdos Philippus Carrara Nobilis civis Fanensis, & Canonicus Regularis Professus in Congregatione Sanctissimi Salvatoris ex facultate sibi data tum ab Abbate Generali, tum a Procuratore Generali Ordinis supplicavit Sanctissimo Domino Nostro, ut dignaretur Archidiaconatum ipsum ex primeva Sacerdotis Laurentii Ceani resignatione vacantem in administrationem sibi concedere, in eumque finem exhibuit Episcopi literas eum ad beneficia quæcumque, non tamen curam animarum habentia idoneum esse testantes.

Super ejusmodi precibus Eminentissimus D. Cardinalis Prodatarius censuit exquirendam prius esse Sacræ hujus Congregationis sententiam; Abnuit vero Sacer iste Consessus Oratoris desiderio, propterea, quod ex tenore porrectæ supplicationis gratia isthæc odiosam redolere videretur impetrationem parum boni exempli futuram in Canonicis regularibus, eoque proinde facilius denegandam, quo nec facile iis ad Canonicatus, & Dignitates, aliave Sæcularia beneficia concedi soleat Apostolica dispensatio.

Orator idcirco, ut quamcumque odiosæ impetrationis speciem removeret, aliam obtulit in Dataria supplicationem priori quidem conformem, sed illud præterea enunciantem, quod Archidiaconatus nunc usque per Sacerdotis Ceani resignationem vacans, fuerit quoque a Clerico de Georgiis ultimo illius Possessore in manibus Ordinarii sponte dimissus; cumque denuo preces istæ fuerint Sacræ huic Congregationi remissæ, dubium hodie proponitur inferius describendum, cui Orator affirmativum sibi pollicetur rescriptum, plura commemorans vetera, & nova similium indultorum exempla, eamque peculiarem ob oculos ponens facti circumstantiam, quod Episcopus ipse desiderium suum Eminentissimo D. Cardinali hujus Sacræ Congregationis Præfecto significarit, ut idem Orator eo Archidiaconatu donetur, sive ob ipsius non vulgaria merita, sive etiam quia nemo alius extet ex nobilibus Fani civibus, qui eam dignitatem sibi conferri postulet.

De indultis ejusmodi, num ea facile Canonicis regularibus impertienda sint, vel solum quando justa aliqua id efflagitet caussa præsertim quoad Canonicatus, Dignitates, aliave beneficia non curata, jam aliàs adnotatum fuit in una Pistorien. Indulti relata in folio hujus Sacræ Congregationis die 17. Martii 1737.

qua

qua disputato hoc Dubio -- *An sit indulgendum Josepho Mariæ Sozzifanti Canonico Regulari Lateranensi pro assecutione Canonicatus Sæcularis in Ecclesia Cathedrali Pistoriensi in casu &c.* Eminentissimi PP. responderunt *negative*, steteruntque *in decisis* sub diem 18. Maii ejusdem anni, tametsi votis præfati Canonici Regularis tum præhabita sui Superioris licentia, tum allata Episcopi Relatio plurimum suffragarentur.

Oportet itaque decernere.

An sit indulgendum Philippo Carrara Canonico Regulari Sanctissimi Salvatoris pro assecutione Archidiaconatus in Ecclesia Cathedrali Fanen in casu &c.

Affirmative.

Sess. 22. c. 11. de ref.

LAURETANA, ET FIRMANA CONCESSIONIS BENEPLACITI APOSTOLICI. Canonicus Joannes Maria Borri duos possidens Prioratus Regulares Ordinis S. Spiritus in Saxia, unum in Oppido Montis Luponi Lauretanæ Diæcesis, atque alterum ei adnexum in Civitate Nova Diæcesis Firmanæ, oblatis Sacræ huic Congregationi precibus exposuit, ne ex locationibus prædiorum ad eosdem Prioratus spectantium, deteriora potius illa fierent, quam meliora, invitatos ab se per edicta, ac inventos jam fuisse, qui vellent prædicta bona in Emphiteusim suscipere ad tertiam usque masculinæ sobolis generationem.

Præ ceteris oblationibus datis eam veluti maxime utilem eflagitavit Apostolico beneplacito donari, quam exhibuit Petrus Joannes Evangelista, nempe annui canonis scut.64 una cum obligatione adimplendi onera Prioratibus inhærentia, efficiendi prædia meliora atque sartas tectas servandi Prioratuum Ecclesias, quum aliæ quælibet oblationes vel non æque utiles deprehendantur, vel factæ a personis parum idoneis.

Super his precibus jussus Præceptor Ordinis S. Spiritus Sacram Congregationem instruere, significavit se Lauretanum Episcopum tunc in Curia degentem audire voluisse, ut scire posset, quisnam ex oblatoribus magis idoneus foret. Ex iis vero, quæ idem Episcopus antea jam noverat, & nuper a testibus fide dignis accepit, constare „ tum ad exhibiti Canonis satisfactionem, cum ad bo„ norum Prioratus utilitatem ea nedum servando, verum in meliorem statum „ reducendo, ambasque Ecclesias in quolibet ex prædictis locis existentes decenter „ custodiendo aptiorem præ omnibus esse D. Dominicum Santoni, qui scuta „ septuaginta quinque pro annuo canone exhibuit, & quia utpote ejusdem loci „ incola, ubi nonnulla bona possidet, facilius, & accuratius suam operam „ præbere potest bonorum, & Ecclesiarum Prioratus conservationi, præferen„ dus videtur D. Petro Joanni Evangelistæ, qui minorem summam obtulit „ scut.64., neque illic est incola, neque fixum domicilium constituit.

Secundum Præceptoris Ordinis Sententiam Sacra Congregatio rescripserat; Verum postea memoratus Petrus Joannes Evangelista contendens sibi potius, quam Dominico Santono, in Emphiteusim concedi oportere bona, de quibus agitur, obtinuit disceptandum proponi dubium quod inferius subnectetur, indeque novo porrecto supplici libello postulavit, ut Sacra Congregatio de quibusdam superius expositis facti circumstantiis vel Archiepiscopum Firmanum, vel Maceratensem Præsulem uti viciniorem sciscitari dignaretur, quum ex nonnullis ab eo prolatis documentis appareret Dominicum Santonum nulla omnino bona immobilia possidere in oppido Montis Luponi, ipsum vero Petrum Joannem Evangelistam non modo illic habitare, verum, & plures ab hinc annos præcipuo quo Cives donari soleant Confalonerii honoris gradu potiri.

Nunc porro ad summovendam quamlibet difficultatem non ipse tantum Dominicus Santonus; sed, & ejus fratres Cajetanus, Franciscus Nicolaus, & Girius qui ex multorum testimonio perhibent se possessores esse plurium bonorum in prædicto Montis Luponi Oppido, parati sunt omnes juxta conditiones a Dominico obla-

oblatas in eumdem memoratæ Emphiteusis contractum convenire cum expressa uniuscujusque ipsorum obligatione in solidum; nilque propterea dubitandum esse censent, quod hoc pacto eorum conditio veluti ceteris longe utilior sit adprobanda.

Perpendendum itaque erit ab Eminentissimis Patribus.

An, & ad cujus favorem sit concedendum beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Concedendum esse favore Dominici Santoni, dummodo accedat obligatio solidalis ejus Fratrum.

Die Sabbathi 4. Maii 1743.

VALVEN. PAROCHIALIS. Quæstio inter Universitatem Castri Hylaris, & Sacerdotem Camialum Paschale oborta super devolutione juris conferendi Parochialem Ecclesiam ejus Oppidi, occasionem præbuit disputandi duo hæc dubia *I. An ad formam Constitutionis S. Pii V. incipien In conferendis factus fuerit locus devolutioni Ecclesiæ Parochialis de qua agitur in casu &c.* & quatenus negative *II. An sit procedendum ad ulteriora in convocatione concursus*, quibus ab hac Sacra Congregatione sub diem 16. præteriti mensis Martii responsum est — *Ad primum negative Ad secundum affirmative*. Sess.23.c.18. de Ref.

Verum quum idem Sacerdos Paschale obtinuerit super his dubiis novum examen institui, dignabuntur propterea Eminentissimi Patres iterum deliberare.

An sit standum vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

TRANEN. MATRIMONII. Plures jam ab hinc annos coram hoc Sacro Senatu instituta fuit controversia inter Dominicum Pellegrinum Sforzia, & Antoniam Bresciam super veritate contracti inter eos Matrimonii, quod propugnat Antonia, Vir autem negat; Verum nonnisi sub diem 6. Decembris 1738. discusso dubio *An constet de Matrimonio in casu &c.*, Sacra Congregatio in eam descendit sententiam, ut prætermissis iis, quæ Pellegrinus ad excludendam validitatem consensus qualitercumque a se præstiti de metu sibi a Fratre, aliisque consanguineis Antoniæ illato obtrudebat, super solo controversi Matrimonii facto, formali subjicerentur examini Archipresbyter Fasanus, coram quo idem matrimonium celebratum esse contenditur, ac alii testes, qui dicebantur rei gestæ præsentes fuisse. Sess.24.c.1.de ref. Matr.

Peractum itaque est illorum omnium examen juxta modum a Sacra Congregatione præscriptum, quumque tam præfatus Archipresbyter, quam memorati Testes ea confirmaverint, de quibus unusquisque ipsorum jam antea Testimonium ediderat, quæque repetenda sunt ex folio sub præfatam diem 6. Decembris 1738. distributo, reliquum modo est, ut iis denuo perpensis una cum novis partium Collitigantium juribus dignentur Eminentissimi Patres respondere.

An constet de matrimonio contracto inter Dominicum Pellegrinum Sforzia, & Antoniam Bresciam in casu &c.

Affirmative.

REGIEN. DOMUS. Dubium semel atque iterum coram hac Sacra Congregatione propositum — *An Canonicus Præpositus Coadjutus teneatur assignare aedes, de quibus agitur, Canonico Præposito Coadiutori*, sub diem 24 præteriti mensis Novembris decisum fuit — *Affirmative ita tamen ut Præpositus Coadjutor teneatur exercere curam animarum per se ipsum, & inhabitare domum, de qua agitur.* Sess. 24. c.12. de ref.

Adver-

Adversus hanc resolutionem novæ audientiæ beneficium impetravit jamdudum Canonicus Præpositus Coadjutus, eoque nunc utens, præter alia, quæ antea ipsius nomine deducta fuere, nova quædam profert documenta, ex quibus satis monstratum iri putat, animarum curam nullatenus exercendam esse a Canonico Coadjutore sibi dato, sive quia Præposituræ dignitas habitualem dumtaxat animarum curam habeat adjunctam, sive quia coadjutor nullo modo immiscere se valeat in regimine, & administratione Præposituræ dissentiente ipso Coadjuto, proindeque nihil esse, cur ipsi Coadjutori concedi debeant ædes, de quibus agitur, pro usu habitationis.

Actualem animarum curam non Præposito adhærere, sed Cappellano Curato per eum nominando colligit ex Apostolicis litteris 13. Kal. Decembris 1632. præseferentibus collationem Præposituræ, *quæ* (ut ibi dicitur) *in Collegiata Ecclesia Principalis seu unica &c. existit, cuique cura dilectorum filiorum Parochianorum ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ, quæ etiam Parochialis existit, per unum forsan ex ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Cappellanum ad nutum etiam forsan amovibilem exerceri, curæ imminet animarum*.

Id ipsum præterea arbitratur evinci ex literis Episcopalis Curiæ datis anno 1734., per quas Sacerdos Joannes Benevelli a moderno Præposito electus, atque ab Examinatoribus Synodalibus idoneus repertus facultatem obtinuit exercendi curam animarum in ipsa Collegiata Ecclesia, *& alia faciendi, quæ ad Parochum erga populum sibi subjectum pertinent*, item ex adnotationibus libri Parochialis exhibentibus ab anno 1721. complura matrimonia celebrata coram Presbyteris a Cappellano Curato ad id delegatis, ac demum ex testimonio duorum Sacerdotum Civitatis Regii adfirmantium eumdem Cappellanum libere omnino, suoque jure curam animarum gerere, omniaque Parochi munia obire, nec ea in re ullatenus a Præpositi voluntate pendere, quin immo non ab isto, sed a Cappellano, commodius officii sui persungendi gratia claves retineri unius, & alterius januæ, per quas duplici ex parte aditus patet ad Parochialem Ecclesiam.

Quod vero Præpositus Coadjutor non aliter, quam accedente ipsius Coadjuti expressa voluntate partem aliquam regiminis vel administrationis Præposituræ sibi adserere queat, id probare nititur ex Bulla Coadjutoriæ, quam ille impetravit, ubi Summus Pontifex hanc legem adjecit -- *Ut insuper tu non possis nec debeas quovis modo te intromittere vel immittere in regimine, & administratione dictæ Præposituræ, nisi de ipsius Joannis Baptistæ Eleuterii expresso consensu, sed idem Joannes Baptista Eleuterius remaneat in omnibus, & singulis, perinde ac si tu illi Coadiutor deputatus minime fuisses, & non alias, aliter, nec alio modo, expresso dicti Joannis Baptistæ Eleuterii ad hoc accedente consensu Apostolica authoritate tenore præsentium constituimus, & deputamus*.

His potissime impræsentiarum inhæret Præpositus Coadjutus, qui recessum a decisis implorat. Expendendum itaque est, num reipsa Præposituræ dignitas habitualem dumtaxat animarum curam habeat adnexam, totumque propterea actuosi ejus exercitii onus sustinere debeat Cappellanus, qui ab eodem Præposito eligitur, tametsi in litteris Apostolicis hodierno Coadjutori datis explicite legatur, quod Præposituræ isti -- *Cura dilectorum etiam Filiorum Parochianorum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, quæ etiam Parochialis existit, imminet animarum* -- itidemque num lex præfatis literis adjecta, ne coadjutor se immittere possit in regimen, & administrationem Præposituræ, nisi de ipsius Coadjuti expresso consensu, eo referri debeat, ut omne animarum curæ exercitium Coadjutori suo inhibere queat Præpositus Coadjutus, licet is usque sub annum 1739. in septuagesimo quinto ætatis suæ anno constitutus ideo sibi Coadjutorem deputari obtinuerit, quia nimirum exposuit, tum ob ingravescentem ætatem, tum ob varias sui Corporis infirmitates, eidem Præposituræ inservire, ac onera sibi incumbentia perferre non posse.

Om-

Omnibus igitur ponderatis una cum facti serie descripta in folio diei 5. Maii, ac in altero diei 24. Novembris superioris anni deliberandum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis Præpositum Coadjutum in casu, de quo agitur, & attentis peculiaribus circumstantiis, non teneri assignare Domum; Quo vero ad obligationem Præpositorum pro tempore exercendi curam animarum per se ipsos, & inhabitandi Domum præd. videatur particulariter.

COMPOSTELLANA IRREGULARITATIS. Casimirus Garzia Gil cupiens Clericali militiæ adscribi, timensque irregularitatis notam sibi impingi ex causa duplicis non quidem ab eo, sed a Francisco Blanco patrati facinoris, internecionis scilicet Rocchi Bustello, atque lethalium vulnerum Balthassari Pardal, & Patritio Porsela inflictorum, sub annum 1735. humillimis S. M. Clementi XII. oblatis precibus veniam postulavit cujuscumque censuræ, aut pœnæ, vel etiam irregularitatis ob eam causam fortasse contractæ. *Sess.24.c.7.de Ref.*

Super ejusmodi precibus, quæ Sacro huic Senatui remissæ fuere, auditus est Archiepiscopus, quumque is renunciasset agnovisse ex copia Criminalis Processus sibi exhibita, Casimirum non fuisse agressorem neque homicidiam -- *ma bensì che andava in compagnìa di quello, che commise il delitto*, die 28. Septembris 1737. postulatæ dispensationis gratia fuit Oratori denegata.

Sed repetitis postmodum ab eo precibus, imperata fuit transmissio Summarii processus criminalis una cum Sententia, deindeque facta est Oratori, potestas disputandi gemina hæc dubia *I. An Casimirus Garzia Gil contraxerit irregularitatem, & quatenus affirmative. II. An sit cum eo dispensandum in casu*; Quibus sub diem 14. Junii 1738. Eminentissimi Patres rescribendum censuerunt *esse locum dispensationi ad cautelam*.

Paucos ab inde menses Orator eo fretus rescripto Pontificias Dispensationis Litteras in forma Brevis obtinuit ad Archiepiscopalis Curiæ Compostellanæ Officialem pro earum executione directas, quibus tamen idem Officialis morem haud prius gerendum esse censuit, quam denuo ab Oratore conficeretur supplex alius libellus sinceras quasdam facti circumstantia enarrans, indeque novum super eo libello expectaretur Sanctæ Sedis oraculum.

Officialis in hanc venit Sententiam, quoniam ipse compererit minus vera esse ab Oratore Casimiro exposita in priore supplicatione porrecta Summo Pontifici, nempe quod solus Franciscus Blanco Auctor fuerit necis Rocco de Bustello illatæ, ipse vero Casimirus per Sententiam prorsus innocens fuerit pronunciatus, utut inflicta ei relegationis sive exilii pœna, propterea quod occisoris comes esse videretur, adfuissetque præsens patrato homicidio

Etenim Officialis ipse diligenter perspecto causæ criminalis processu aliquid amplius adversus Oratorem probatum iri significavit videlicet -- Che dalle deposi-
,, zioni di tre Testimoni della sommaria, e due della plenaria di detta causa
,, esaminati alla presesenza di detto Casimiro Garzia, e con esso confrontati non
,, solamente costava essersi trovato egli presente al predetto omicidio, ma che
,, Francesco Blanco, il quale fù l'Uccisore, in quell'istesso frangente disse al
,, suddetto Casimiro, che caricasse le pistole, e questi li rispose, che
,, già erano caric e, ed in oltre disse anche al medesimo Casimiro, che si affret-
,, tasse, ed andasse di buon passo, al che rispose, che fino all'anima, e che quan-
,, tunque con la sentenza definitiva si dichiarava reo esecutore di detto omici-
,, dio l'accennato Francesco Blanco, come parimente costava dagli atti, nien-
,, te di meno, & in sequela di quello, che dalli medesimi atti risulta-
,, va, era stata imposta la pena e condanna di sei anni di servizio in una Fortez-
,, za contro il menzionato Casimiro.

Ad novas itaque preces Oratoris nullo hactenus sive majori, sive minori Ordine insigniti dignabuntur Eminentissimi Patres respondere.

An sit standum in decisis sub die 14. Junii 1738. itaut Breve dispensationis sit exequendum in casu &c.

Prævio recessu a decisis Breve non esse exequendum.

Sess. 22. c. 11. de ref.

TARENTINA BENEPLACITI APOSTOLICI. Modernus Ecclesiæ Tarentinæ Archiepiscopus, dum anno 1739. suam perlustraret Diœcesim, comperiit in collegiota Ecclesia Oppidi Cryptalearum vetustissimam supra quacumque hominum memoriam observari consuetudinem locandi ad vitam Portionariorum ipsius Ecclesiæ bona immobilia absque ullo Apostolicæ Sedis beneplacito: dubitans vero, num consuetudo ejusmodi refragaretur Apostolicis Constitutionibus alienationem, atque etiam locationem bonorum Ecclesiæ ultra triennium interdicentibus, decrevit, ne a Capitulo istæ locationes ultra fierent, atque ut de anteactis consuleretur Apostolica Sedes.

Quare Capituli nomine porrectæ fuere preces S. M. Clementi XII. tam pro impetranda confirmatione præteritarum locationum, quam pro communienda Apostolicæ Sedis beneplacito ea, quæ viget, consuetudine locandi Portionariis bona immobilia ad eorum vitam: Quum autem preces istæ fuerint huic Sacræ Congregationi remissæ, ejus jussu non solum Episcopus relationem suam transmisit, verum etiam exhibita inde fuere instrumenta, vel potius documenta quædam locationum, sive concessionum ad vitam, quæ fieri solent a Capitulo.

Hæc documenta partim decerpta sunt ex libro quodam sub annum 1417. Manu Gothicaa exarato, atque inter scripturas Archivii prædictæ Collegiatæ Ecclesiæ servari solito (quem vocant Registrum omnium bonorum ipsius Ecclesiæ), partim vero ex libro actorum, sive Conclusionum Capitularium. In priori Codice nonnullæ inter alias adnotationes extant quarumdam ædium cum hortis aliisve prædiis adjacentibus, quæ dicuntur *incensuatæ vita durante anno quolibet* variis personis, ac pro certa pecuniæ quantitate ibidem designatis.

Ex libris actuum Capitularium plures depromptæ sunt concessiones ad vitam Præsbyteris offerentibus annuam quantitatem ducat, vel decem, vel duodecim, vel viginti, & ultra exquisitis singulorum suffragiis a Capitulo factæ, domorum, vinearum, aliorumve prædiorum, quæ per obitum Sacerdotum ea possidentium ad Ecclesiam rediere, tresque, vel quatuor sub annum 1736. concessiones ejusmodi factæ apparent per quamdam licitationem iis qui uberiorem annuam pensionem offerrent.

Una insuper inter alias antiqua extare dicitur concessio sub annum 1637. his verbis concepta -- Fù proposto dal Rev. Procuratore, che per la morte del quon. D. Geronimo Marinaro vacono molte robbe, quali teneva in sua porzione, e particolarmente la chiusa a S. Elia fu posta dal Clerico Giuseppe Antonio Tedesco sua vita durante per ducati dodici e mezzo l'anno, per il quale fù perleggio il Signor Arciprete Mannara; e caso che detto Clerico lasciasse l'Abito Clericale, detta chiusa vada in porzione di detto Signor Arciprete perleggio, e così fù concluso, e deliberato

Narrat Episc. in sua relatione exhibita sibi fuisse a Cap. Decessoris sui Marini de Ursinis literas an 1469 conscrip. (quæ nunc etiam productæ fuere) in quibus ille exposcenti Cap. confirmari veterem celebrandarum locatinum morem, de quo nulla extabat hominum memoria; in hunc modū rescripsit,, Nos vero illud evangelicum attendentes non veni solvere, sed adimplere vestris justis, & honestis precibus annuentes hanc vastram antiquam consuetudinem confirmamus roboramus, & approbamus dantes vobis plenam, & omnimodam potestatem bona stabilia dicti Capituli locare, & dislocare in perpetuum, vel ad tempus prout melius visum fuerit, & placebit, dummodo dicti Capituli, & Ecclesiæ evidens utilitas, & melioramentum videatur, & sit.

Refert præterea Canonicos, aliosque Presbyteros Participiantes omni adseveratione sibi dixisse, ac ipsum diligenti peracta veritatis disquisitione optime cogno-

gnovisse, quod prædictæ locationes, sive concessiones ad vitam maximum semper retulerint Ecclesiæ compendium, indeque pleniorem etiam Defunctis, qui Ecclesiæ benefecerunt, suffragationem. Nam, & ea Portinarii Conductores obligatione tenentur meliora efficiendi prædia,& domus conductas, & finita conductione res ipses meliores effectas Ecclesia recuperat, absque ullius refectionis onere ob caussam necessariarum, vel utilium impensarum. Ex quo illud factum fuerit, ut plura olim Prædia exigui reditus, ac pene sterilia, postea ex Portionariorum Conductorum industria, & maxime exculta, & frugifera, ac domibus rusticis ad usum habitationis, aliisque omnibus rebus ad culturam necessariis instructa conspiciantur, & nunc etiam Rura, Oliveta, aliaque Prædia, quæ ex concessione ad vitam Portionarii detinent, cultissima sint, eorumque valor ob plures impensas utiles ab iisdem Portionariis factas adauctus fuerit ad plura ducatorum millia.

His ita in facto renunciatir, in hunc deinde modum suam ipsius sententiam exponit Archiepiscopus -- Quoad jam secutas concessiones, licet ejusdem juris rigore inspecto nullatenus validas esse judicaverim, adhuc tamen, quum Conductores Portionarii bona fide stabilia cum considerabilibus sumptibus ad plura „ ducatorum millia conscendentibus melioraverint, ac improbum sit Ecclesiam „ matrem pietatis, & justitiæ cultricem cum aliena locupletari jactura, & e „ converso durum nimis, ac fere impossibile Capitulo reddatur valorem meli„ oramentorum ad Peritorum judicium Gremialibus bonorum detentoribus „ reficere, rigorem æquitate temporandum judicarem; sicque tam Locatores, „ quam Conductores a quibusvis censuris, & pœnis forsan incursis ad cautelam „ absolvendos, ac contractus ipsos jam perfectos ex gratia Apostolicæ Sedis mu„ nimine, & authoritate roborandos non incongruum, quin immo necessa„ rium reputarem.

Pro eo autem, quod futura respicit tempora, *rem altius rimando* (subsequitur idem Archiepiscopus) reflexione dignum puto has concessiones ad vitam Por„ tionariorum eorumdem favore, improprie nimis, locationes, & conductio„ nes nominari, sed oportunius confirmationes sive obtingentium Portionum ad „ vitam Portionariorum perpetuationes esse nuncupandas. In dicta enim Ec„ clesia Collegiata, quæ Receptitia numerata existit, Presbyteris ad portio„ nem in casu decessus alicujus ex Portionariis admittendis assignari solet por„ tio in tot bonis stabilibus; quumque experientia docuerit morem aliarum Ec„ clesiarum etiam Metropolytanarum, & Cathedralium repartiendi in quotas „ bonorum corpora, & stabilia, & imbussulandi portiones de quadriennio in „ quadriennium, sive ad aliud brevius, aut longius statutum tempus esse ori„ ginem destructionis stabilium, quum ut plurimum soleant, iidem beneficiarii „ bona emungere, & per restipulationem exiccare, ac fere sterilia elapso tem„ pore Ecclesiis restituere, consuetudine a quadringentis, & ultra retro annis „ introductum est, quod Capitulum Cryptalearum Portionariis participantibus „ portionem stabilium, & terrenorum fixe, & ad vitam cum pacto meliorandi, „ & relaxandi melioramenta absque ulla spe in beneficium Ecclesiæ concedat, „ quam adeo inveteratam ex caussa utilitatis eidem Ecclesiæ provenientis esse „ nemo inficias ibit.

Existimat propterea eam de qua agitur consuetudinem, vel speciali Apostolicæ Sedis confirmatione donari posse, vel intactam relinqui sub ea dumtaxat lege, ut concessiones, quæ imposterum fiant, præter consensum Capituli, Archiepiscopalis etiam Curiæ authoritate probentur; *unicum enim* (inquit) -- absurdum, „ quod meam ab initio exagitavit mentem in eo consistit, quod portio ab uno „ assecuta, non per obitum, sed per cessum, vel assecutionem beneficii incom„ patibilis vacaret; Unde Portionarius noviter admissus de solo censu, & affi„ ctu bonorum ab Antecessore detentorum contentus esse deberet, non vero bo„ na ipsa stabilia pro sui libitu, & placito ejusdem Antecessoris vita durante

,, excolere valeret, quod profecto potius novi Portionarii, quam Ecclesiæ percutit detrimentum.

Ab Eminentissimis itaque Patribus deliberandum erit.

I. An locationes, seu concessiones, bonorum, de quibus agitur, valide, & licite fieri possint absque beneplacito Apostolico ad vitam Canonicorum, & Portionariorum; *& quatenus negative*.

II. An consulendum sit Sanctissimo pro concessione Brevis, seu Indulti locandi, vel concedendi dicta Bona absque Beneplacito Apostolico, & authoritate Reverendissimi Archiepiscopi in casu &c., *& quatenus negative ad utrumque*.

III. An locus sit sanationi locationum, seu concessionum jam factarum absque Apostolico Beneplacito in casu &c.

IV. An Canonici, & Portionarii Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Cryptallearum, ob locationes, seu concessiones dictorum bonorum hactenus factas absque Apostolico beneplacito incurrerint pœnas *Extravag. Ambitiosæ de Reb. Eccl. non alien.*, *& quatenus affirmative*.

V. An, & quomodo sint absolvendi a dictis pęnis, in casu &c.

Prævia absolutione ad Cauthelam pro gratia sanationis quoad concessiones hactenus factas; quo vero ad concessiones imposterum faciendas recurrant in casibus particularibus.

Sess.24.c.1.de ref. Matr.

ELNEN. MATRIMONII, ET LEGITIMITATIS PROLIS. Diu pendet hæc Causa coram hoc Sacro Senatu: Sub annum namque 1682. disputato uno, & altero dubio -- I. *An proles sit legitima*, & quatenus affirmative. II. *An sit legitima in radice Matrimonii* --, die sexta Junii dilata primum fuit resolutio, die vero 11. subsequentis Mensis Julii *Sacra Congregatio ad I. respondit affirmative, ad II. non respondit, ut in lib.32. Decret.pag.359.*

Iterum vero sub annum 1737. duplex propositum fuit Dubium -- *I. An sit standum, vel recedendum a Decisis sub die 11. Julii* 1682., & quatenus affirmative ad primam partem. *II. An sit locus declarationi quoad effectus legitimitatis, & quomodo in casu &c.* -- Antequam vero ad singula hæc dubia Sacra Congregatio responsum daret, jussit una cum iis disceptari hoc quoque -- *An constet de validitate Matrimonii* --, ut videre est in folio hujus Sacræ Congregationis distributo sub diem 14. Decembris 1737., ac 11. Januarii 1738.

Siluit posthac Josephus Reart, qui tum Matrimonii vires, tum prolis legitimitatem impugnare fuerat aggressus, donec e re sua potissimum arbitrans impræsentiarum quæstionis dudum promotæ definitionem urgere, eam demisse rogat ab Eminentissimis Patribus, quorum onus erit resumptis foliis supra indicatis, perpensisque novis juribus utrinque, ut fas est credere, proferendis ad accuratum examen vocare.

I. An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

II. An sit standum, vel recedendum a Decisis sub die 11. Julii 1682., *& quatenus affirmative quoad primam partem*.

III. An sit locus declarationi quoad effectus legitimitatis, & quomodo in casu &c.

Dilata.

Sess.23.c.13. de Ref.

FERETRANA CATHEDRATICI. Diæcesanam Synodum coacturus sub annum 1734. Feretranus Antistes permultas accepit Parochorum querimonias, quod eorum Ecclesiæ quo minori copia redituum essent instructæ, eo graviori premerentur onere census Cathedratici, aliæ vero plurimæ longe opulentiores Episcopali Cathedræ parum, aut nihil rependerent; indeque fere intolerabilis fieret ista Cathedratici contributio, nisi redigeretur ad æqualitatem, ac pro modo, & quantitate redituum uniuscujusque Parochialis Ecclesiæ tradenda imposterum statueretur.

In hoc itaque non levis momenti negocio pretium operæ censuit Episcopus Sacræ hujus Congregationis oraculum præstolari, quæ ut maturam deliberationem iniret, jussit illi primum, ut novam, quam ipse stabiliendam censeret, exigendi Cathedratici rationem conficeret, ac una cum vetere, scripto adnotatam eidem Sacræ Congregationi transmitteret.

Manum ille operi admoverat; sed postea substitit advertens, magnam ex rei novitate inter eos, quorum interesset, commotionem facile orituram, atque etiam perdifficilem fore impetratam Cathedratici partitionem ad exactissimam amussim: Verumtamen Parochis qui de immodica pensitatione conquesti fuerant, iterum atque iterum urgentibus, ex nova Sacræ Congregationis jussione, taxam, quæ a singulis Parochialibus Ecclesiis deinceps servanda foret, perfecit, ac publicavit.

At non pauci alii suæ Diæcesis Parochi moleste ferentes antiquæ taxæ reformationem contra eam reclamarunt in precibus Sanctissimo D. N. porrectis, super quibus ad hoc Supremum Tribunal rejectis, oportuit idcirco Feretranum Præsulem rursus sciscitari.

Hic itaque significavit, novam solvendi Cathedratici præscriptionem denunciatam in Synodo. ac postea confectam ab se fuisse secundum notulam ab unoquoque Beneficiato de eorum reditibus sibi exhibitam, atque auditis prius duobus Cleri Procuratoribus qui superfuerant ex quinque electis. Ex his autem duobus unum se excusatum haberi voluisse ob malam valetudinem alterum vero nihil contra opposuisse.

Renunciavit præterea se in veteri libro, cui titulus est -- *Taxa omnium beneficiorum Episcopatus Feretrani* sub annum 1566. conscripto, & ad annum 1600. continuato nuper comperiisse triplicis taxæ distinctionem ex antiquioribus libris decerptam. Prima (inquit) ,, est in solidis quatuor pro qualibet Plebania, &
,, in solidis duobus pro qualibet alia Ecclesia, & hæc appellationem habet Ca-
,, thedratici, a quo nemo exemptus existit ob honorem, & reverentiam Cathe-
,, dræ; *Secunda* in solidis tribus cum dimidio pro qualibet libra extimi uniuf-
,, cujusque Ecclesiæ, & hæc nuncupabatur Collecta persolvenda ratione visita-
,, tionis. Ad hanc quoque tenebantur omnes exceptis quibusdam Ecclesiis, quæ
,, adnotantur pro exemptis. *Tertia* nomen habet census, & hæc exigebatur
,, nulla habita ratione ad libram, sed tantum in quo ipsa beneficia fuerant taxa-
,, ta, vel in tritico, vel in hordeo, spelta, & similibus, quæ excepto tritico,
,, hordeo, & vino apparent appretiata, & solvebantur in pecunia.

Ab hoc postremo censu refert exemta reperiri pleraque ex ditioribus beneficiis, quo tamen jure, incertum omnino esse. De Plebe vero Talamelli id speciatim adnotatum haberi, quod præter certam pecuniæ quantitatem ex caussa Cathedratici, & Visitationis solvendam, quasdam pariter tribueret mensuras tritici, & hordei, illudque etiam, quod *ex permutatione facta tempore Reverendissimi D. Celsi de quodam Molendino dictæ Plebis, debet solvere solidos duos annuatim*. Sed id per errorem scriptum fuisse inquit, quum Molendinum quod unice possidet Episcopalis Mensa, non Episcopus Celsus, sed longe pridem Episcopus de Claravallensibus a Communitate Talamelli receperit *ad habendam exemtionem a livellis, quibus pleraque bona Incolarum subiiciebantur, ut liquet ex publico Instrumento*.

Subdit vero in sex libris post annum 1600. ad præsens usque tempus conscriptis vitiata fortasse fuisse rerum nomina ex inscitia scribentium, atque ordine converso iis, quæ debeantur nomine Cathedratici, tributam esse appellationem census, iis vero quæ persolvebantur ex caussa census, inditum esse nomen Cathedratici, atque ita sub harum vocum interversione descriptas, & exactas apparere annuas fructuum, & pecuniæ quantitates;

His ita enarratis in hæc verba concludit ,, Quum itaque census abusive nunc Ca-
,, thedraticum, esset persolvendus, ut creditur, ad Episcopi sustentationem,
,, nec alia allegari valeat caussa in contrarium, uti æquissimum veneror, quod
,, per

,, per EE. VV. decretum jam fuit pro confectione, & executione novæ taxæ, ,, sublata quacumque prætensa immemorabili exemtione, ut sicuti Episcopus ,, Pastor communis est pro unaquaque Ecclesia, ita unaquæque sentiat pro rata ,, redituum onus sustentationis eidem debitæ. Ab eo idcirco non recedendum ,, censerem, licet aliter suaderent commoditas, & utilitas hujus Mensæ. Com- ,, moditas quia perdifficilis prævidetur exactio per libras, & uncias; Utilitas, ,, quia quum solutio Catnedratici fiat pluribus in locis, majoris quantitatis est ,, secutura in locis remotioribus a residentia, quod sine majori dispendio esse ,, non poterit, si ad ipsum locum residentiæ translatio occurrat.

Necdum allata sunt jura Parochorum novæ taxæ firmitatem impugnantium. Quamobrem expensis tum iis, quæ in facto superius recensita sunt, tum iis quæ de jure ac modo exigendi Cathedratici Concilium Romanum sub S. M. Benedicto XIII. sancivit in cap.4 tit.8. dignabuntur Eminentissimi Patres decernere.

I. An quoad exactionem Cathedratici sive census sit servanda taxa antiqua, sive potius moderna, *& quatenus affirmative quoad secundam partem?*

II. An, & in quibus illa sit moderanda, & reducenda, ac respective exigenda in casu &c.

Dilata ad sequentem.

[Sess.22.ca.4. & 6. de ref.] CAMPANIEN. Joannes Benedictus Terzasius ex Campaniæ Civibus herede sibi sub annum 1542. instituto Monasterio Sanctimonialium, quod in ea Civitate suum post obitum jusserat construi sub invocatione S. Jacobi Apostoli, regula vero ac legibus alterius Monasterii S. Claræ Neapolis informari, non alias in illo Virgines Deo sacrari voluit quam vere Cives, quæque ex certo, ac designato duodecim familiarum genere ortum ducerent, ita quidem ut duodenarius Monialium numerus in eo semper maneret, proindeque statim ac una earum decederet, altera ex indicatis Familiis subrogaretur, nec numerus iste duodenarius posset unquam augeri, vel minui, nisi ob caussam in jure expressam: Eas vero Puellas, quæ Monasterium istud professionem ibi emissuræ ingrederentur, mandavit pro eleemosyna, sive pro dote summam ducatorum quinquaginta dumtaxat debere eidem Monasterio solvere.

Hoc autem Monasterium ita constitutum præcepit exemtum, ac segregatum esse debere ab omni jurisdictione Diæcesani, & Metropolitani Antistitis, ac etiam Superiorum Regularium Ordinis S.Francisci sola Generali ejusdem Ordinis tributa facultate Sacræ Visitationis in eo peragendæ, qualibet vero regiminis, sive administrationis cura, & sollicitudine rejecta in eos Cives, quibus potestatem is fecit, Puellas ex propria unius cujusque familia ibidem collocandi.

Ad normam istius dispositionis ex Apostolicæ Sedis authoritate perfectum est opus Monasterii, in eoque per anteacta tempora solæ recipi consueverunt Puellæ ex genere illarum agnationum, quas pius Testator invitarat: His vero paulatim in pauciorem redactis numerum, atque nonnullis etiam ex iisdem superstitibus Familiis in alias Civitates translatis. Administratores, sive Patroni ejusdem Monasterii sub annum 1736. exorarunt S. M. Clementem XII ut facultatem sibi tribueret alias ibidem inter Moniales cooptandi puellas, quæ sive indigenæ, sive extraneæ forent.

Ejusmodi postulationem, cujus cognitio ab Summo Pontifice ad Sacrum hoc Tribunal remissa fuit, exaudiendam censuere tam Vicarius Capitularis, quam deinde modernus Episcopus in sua relatione huc transmissa. Illud tamen peculiare significavit Episcopus decerni oportere, ut a Puellis extraneis dos in summa Ducatorum 300. Monasterio imposterum persolvatur.

Antequam vero Dos ista supra modum a Testatore præscriptum augeretur, censuit Sacra Congregatio scitu necessarium, quæ sint impræsentiarum Monasterii facultates, proptereaque sub diem 2. Augusti 1758. rescripsit ,, Episcopo pro me- ,, liori informatione super Statu Oeconomico Monasterii, & interim pro fa- ,, cul-

„ cultate admittendi Puellas de Familiis vocatis tantum, licet degentibus ex-
„ tra Civitatem Campaniæ cum dote duc. 50. a Testatore præscripta.

Quum autem responderit Episcopus annuos Monasterii reditus, juxta supputationem postremi decennii, ad ducatos 276. circiter ascendere, ex quibus tamen subducendi sunt sumtus in ejusdem, & Ecclesiæ sarta tecta necessarii, Administratores ipsius Monasterii petitionem suam priori sententiæ memorati Præsulis conformem instaurant addentes non solum ex iis, quæ primum scripsit Episcopus, verum etiam ex Testimonio Rectorum Universitatis Campaniæ, aliorumque plurium Civium septem jam familias ex duodecim a Testatore nominatis defecisse; ex iis vero, quæ supersunt, tres dumtaxat eam Civitatem adhuc incolere, neque ullas, vel extare, vel brevi puellas futuras ad dandum Religioni nomen idoneas; Moniales item professas, quæ modo reliquæ sunt, quatuor vix esse, earumque duas senio confectas, atque alteram, ut vulgo creditur, energumenam; adeoque putant, libentissime ab hoc Sacro Senatu annuendum esse, ut, donec desiderentur Puellæ ex genere a Testatore nominatim expresso, libere possint in Moniales adlegi aliæ quæcumque, tametsi neque Cives, neque ex designatis Familiis originem trahentes, ab istis vero ut dotem liceat in summa Ducator 300. recipere: sic enim, & spirituali, & æconomico, ut inquiunt, Monasterii secus interituri bono consuletur.

Deliberandum itaque superest.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Esse providendum juxta petita,

FOROSEMPRONIEN MEDIÆ ANNATÆ. Penes acta Episcopalis Curiæ, atque intercedente Vicarii Generalis authoritate sub annum 1687. Simon Oliverius tunc temporis Archidiaconus Cathedralis Ecclesiæ *per erezione laicale, e de suoi proprj Beni* (ut in Instrumento erectionis legitur) fundavit, dotavitque duas Sacerdotales Præbendas, sive Mansionarias, quæ numerum aliarum in Ecclesia Cathedrali pridem extantium augere deberent. *Sess. 7. c. 8. de Ref.*

Jure autem eligendi Presbyteros, eosve præsentandi ad utramque Mansionariam Archidiacon s Successoribus tributo, electorum probationem quoad mores, doctrinam, & Cantus Gregoriani peritiam reservavit Episcopo, ad quem non obstantibus regulis Cancellariæ, aut alio quopiam jure, vel privilegio, ipsorum institutionem voluit omnino spectare.

Sacerdotibus vero qui istas assequerentur Mansionarias hæc præcipue adiecit onera, quod singulis diebus festis Choro interessent, quod administrando pænitentiæ Sacramento incumberent, quodque præterea, ubi, & quoties occasio, & necessitas postularent, adjumentum omne præberent Parocho Cathedralis Ecclesiæ in gerenda spirituali Animarum cura; noluit tamen, illos aliqua ex parte a Parochi voluntate pendere, sed soli pro tempore Archidiacono potestatem fecit inquirendi, judicandive num prædicti Mansionarii muneri suo deessent.

Significans denique, se per hanc piam fundationem id unum intendisse ut majora Divinus cultus incrementa reciperet, atque uberior spiritualis fructus in Populum derivaret, expressa oratione cavit, quod si aliquando sive Curatus, sive Sacrista, sive alius quisque ex Ministri Ecclesiæ, curæque Cathedralis tunc inservientibus adimi contenderetur, irrita prorsus foret nova isthæc Mansionaariarum erectio, bonaque omnia pro earum dote constituta locus Pius ibidem designatus libere acquireret.

Alteram ex hisce Præbendis, sive Mansionariis nuper vacantem obtinuit Sacerdos Ubaldus Tomassinus, Hunc autem Carolus Battellus mediæ annatæ exactor ab Episcopo deputatus innixus Constitutioni S. M. Benedicti XIII., quæ incipit *Pius, & misericors Dominus* qua ita prescribitur -- *Provisi de Parochialibus una cum incertis annuum redituum scutorum centum monetæ excedentibus, & de Canonicatibus, ac Beneficiis tam residentialibus, quam non residentialibus, & simpli-*

simplicibus sitis in Ecclesiis Collegiatis, vel ad illas translatis, cujuscumque valoris existant, itidem teneantur solvere, & respective deponere mediam annatam pro Fabrica Ecclesiæ Collegiatæ, sive beneficia prædicta liberæ collationis, sive jurispatronatus mixti, ac etiam Laicalis fuerint, & ad quemcumque electio, collatio, institutio, & provisio pertineat -- ad ejusdem mediæ annatæ solutionem, tametsi annuus Mansionariæ ab ipso obtentæ reditus summam scutorum centum non excedat, urgere cæpit.

Putans vero Sacerdos Tomassinus se quidquam eo nomine persolvere non debere, propterea quod sicuti Benedictinæ Constitutionis censuræ non subsunt Parochialia Beneficia annuum scutorum centum reditum non excedentia, ita ab onere mediæ annatæ immunis servari debeat mansionaria ab ipso possessa, tum quia fructus longe minores tribuat, tum quia Parochiale Beneficium revera sit, vel saltem Parochialis Beneficii loco omnino accensenda ob legem ipsi injunctam coadjuvandi Parochum in spirituali animarum regimine, supplicavit Sanctissimo Domino Nostro, ut ab ea solutione exemptus fieret.

At ejus precibus ad Sacram hanc Congregationem rejectis Episcopus super ipsis auditus renunciavit, duplicem sibi fuisse ab Sacerdote Tomassino propositam exceptionem; Alteram quod mansionaria beneficium esset laicale, & alteram quod ejus Possessor habendus esset veluti Parochus. Verumtamen utramque satis refelli censet ex pii Fundatoris dispositione superius enarrata. adeoque concludit mediam annatam a Tomassino fore solvendam, & quidem nullis detractis oneribus, quæ detrahi neque Constitutio Benedictina mandat, neque detrahuntur in solutionibus mediæ annatæ, quæ fiunt in Dataria.

Urgente jam vero exactore mediæ annatæ quæstionem hanc dirimi disceptandum proponitur.

An sit locus solutioni mediæ annatæ in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Die Sabbathi 18. Maii 1743.

Binæ sunt Causæ, quæ in anteacta Congregatione diei 4. currentis Mensis fuerunt ad hodiernam dilatæ, quæque modo definitionem expectant.

Sess.23. c.13. de ref.

FERETRANA CATHEDRATICI.

I. *An quoad exactionem Cathedratici, sive Census sit servanda taxa antiqua sive potius moderna*, & quatenus affirmative quoad secundam partem?

II. *An, & in quibus illa sit moderanda, & reducenda, ac respective exigenda in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam. Ad II. provisum in primo.

Sess.25. c.6. de ref.

FOROSEMPRONIEN. MEDIÆ ANNATÆ

An sit locus solutioni mediæ annatæ in casu &c.

Affirmative.

Sess.23. c.18. de ref.

VITERBIEN. PAROCHIALIS. Postquam, provocante Placido Secoli ab judicio Episcopi, qui Parochialem Ecclesiam Sancti Andreæ in Piascarano, postpositis eodem Secoli, aliisque Presbyteris ad faciendum propriæ idoneitatis periculum in eo concursu admissis, conferre voluit Clerico Antonio Colaina, ad pri-

Primum Dubium in Congregatione habita sub diem 11. Augusti superioris anni discussum -- *An constet de irrationabili judicio Episcopi, sive potius sustineatur collatio Parochialis Ecclesiæ S. Andreæ in Piascarano ab eodem Episcopo facta favore Clerici Antonii Colaina* - rescriptum prodierat -- *Collationem ab Episcopo factam non sustineri* dilata ad preces Sacerdotis Valentini Justi alterius ex oppositoribus resolutione secundi quo quærebatur - *An, & cui dicta Parochialis esset adjudicanda* - oportuit subinde gemina hæc dubia sapientissimo Eminentissimorum PP. judicio subiicere. I. *Scilicet an non obstante resolutione capta sub die* 11. *Augusti* 1742. *sit relaxanda favore Antonii Colaina supplicatio Sanctissimo porrecta provisionis Parochialis Ecclesiæ S. Andreæ in Piascarano Civitatis Viterbii*; Et quatenus negative. II. *An, & cui sit adjudicanda dicta Parochialis in casu &c.* ad quæ jura sua late deducentibus tum præfato Antonio Colaina, tum memoratis Valentino Justi, ac Placido Secoli, die 15. Decembris ejusdem anni responsum est *Ad primum negative, Ad secundum adjudicandam esse Placido Secoli*.

Quum autem nomine præsertim Valentini Justi sud diem 12. insequentis Januarii nova audientia fuerit adversus resolutionem istam impetrata, ne diutius Parochialis hæc suo careat Pastore, rogantur Eminentissimi Patres resumtis foliis ad memoratas dies distributis, perpensisque juribus denuo hinc inde exponendis respondere.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15. *Decembris* 1742.

In decisis, & amplius.

COMEN. DISMEMBRATIONIS -- Populus Loci Ripariæ Ditionis Helveticæ unam eamdemque Communitatem efformans, licet distinctus in tres pagos *di Soresina, Campidogno, e Sorencino* nuncupatos, grave nimis caussatus imminere sibi Animarum periculum ex longitudine, ac difficultate itineris ad Parochialem Ecclesiam S. Martini in Bironici Oppido sitam, cui hactenus subjectus fuit, supplex ab Episcopo postulavit, novam decerni erectionem Parœciæ in Ecclesia Spiritui Sancto dicata, atque in eodem Ripariæ loco posita, sese paratum offerens congruam dotem Parocho tribuere. *Sess.21.ca.11. de Ref.*

Vicarius Generalis ex speciali Episcopi jussu rei istius cognitione assumta, quum præfati Populi petitioni Præpositus veteris Parochialis Ecclesiæ contradiceret, judicium instruxit, ac secundum ejusdem Populi postulata pronunciavit sententiam, reservato etiam Hominibus dictæ Communitatis jure convertendi in dotem novæ Parochialis Ecclesiæ annuam summam lib. 150. ab ea Communitate Præposito solvi consuetam, factaque illis interea potestate, donec ad formalem dismembrationem, novæque Parochiæ erectionem deveniatur, eligendi Sacerdotem ab Episcopo adprobandum, qui omnia Curati munia in prædicto Ripariæ loco exerceat: Ac demum addita clausula, qua voluit salvum jus esse decernendi, quænam obsequia tum Ecclesia S. Spiritus in Parochialem erigenda, tum ejus futuri Parochi debeant imposterum sive Parochiali Ecclesiæ S. Martini loci Bironici, sive ejus Præpositis pro tempore, in signum ipsius, ut inquiunt, matricitatis, suæque mutuæ subjectionis præstare.

Provocavit ab ea sententia Præpositus; cumque negocii hujus ad sacrum hoc Tribunal ex rescripto R. P. D. Auditoris Sanctissimi delata fuerit, eam urgente modo Ripariæ Populo, decidendum proponitur.

An sit locus executioni sententiæ a Curia Episcopali latæ super dismembratione Parochialis Ecclesiæ S. Martini Loci Bironici, & respective super erectione Ecclesiæ Spiritus Sancti in novam Parochialem in casu &c.

Affirmative.

Sess. 24. c. 12. de ref.

LEODIEN. Cl. Mem. Cardinalis Bussius anno 1712., quo Apostolici Nuncii munere persungebatur ad Tractum Rheni, auditis prius duobus Canonicis a Capitulo Insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Dyonisii Civitatis Leodii ad se deputatis, plura edidit decreta, quibus divino cultui, recteque administrandis ipsius Ecclesiæ rebus consuleret.

Inter cetera statuit, ut Capitulum impetrare curaret ab Apostolica Sede confirmationem Emphyteutici contractus paulo antea celebrati de prædio nuncupato *d' Overivinde*, atque etiam recuperare fundos *prabendulariorum* sub annum 1698. non rite distractos, sique illi repeti haud possent, eorum saltem pretium una cum sorte Capitalis census a Deodato Marnette sub diem 4. Octobris 1703. redemti, aliisque summis Capitalibus in emtionem similium prædiorum, aut censuum converteret.

Porro, ut in hunc modum Ecclesia commode redintegrari posset, utque pariter æs alienum a Capitularibus contractum solveretur, confici jussit duas supra numerum præbendas, atque tam earum reditus, quam aliarum, quas *foraneas* vocant, necnon annuos præteritos canones modiorum quinque, & viginti adhuc eo tempore solvendos a quadam Vidua Baronis de Flemalia cum pecunia inde proveniente sub duplice clave separatim recondi, inque demandatam redintegrandæ Ecclesiæ, ac dissolvendi æris alieni caussam erogari.

Denique vetuit, ne imposterum capitales pecuniarum summæ, quas Ecclesiæ restitui contingeret, vel cum aliis Capituli miscerentur reditibus, vel otiosæ retinerentur, neve auderent Canonici Ecclesiæ prædia quoquomodo distrahere, aut in Emphiteusim concedere, sive etiam æri alieno supponere absque beneplacito Apostolicæ Sedis, alioquin obnoxii manerent pœnis in *Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.* comprehensis.

Per actumCapitularem ejusdem anni 1712 polliciti sunt Canonici superius recitatis decretis per omnia fere obtemperare: siquidem in eo tantum, quod spectat ad impetrandam a Summo Pontifice contractus Emphyteutici approbationem, satius duxerunt supersedendum esse, ob ejus rei curam ab Apostolico Nuncio benigne susceptam; Quod vero attinet ad alia rerum capita in Decretis expressa, statuerunt totidem prædia, & census quantocius possent in priorum locum subrogare, quot responderent tum pretio septem millium Florenorum Brabantiæ ex venditis *Præbendulariorum* prædiis recepto, tum aliis summis Capitalibus ibidem enumeratis; atque ut hæc subrogatio citius ad exitum perduceretur, præter duarum præbendarum reditus, aliosque ex decreto laudati Cardinalis Bussii in eam caussam convertendos, illud quoque præscripserunt -- *ut proventus mediarum præbendarum Canonicorum infra 24. annos completos existentium, qui huc usque Fabricæ juncti fuerunt, deinceps ab illa separentur incipiendo a prima die mensis currentis, & juxta mentem Bullæ Gregorii Papæ XV. data 1. Aprilis 1621. cum supratactis præbendarum proventibus, perpetuis futuris temporibus recondantur tam ad mentem, & effectum d. Decreti, quam in subventionem, & supportationem onerum Ecclesiæ.*

Sub annum vero 1734., quum duo Ecclesiæ Collegiatæ S. Dyonisii Canonici *de Colson*, & *Henne* recenter cooptati, vehementer apud Apostolicum Nuncium tunc temporis ad Tractum Rheni ablegatum conquesti fuissent, quod antiqui sui Collegæ non modo eorum, quæ sancita fuerunt a præfato Cardinali Bussio, observationem prorsus neglexissent, verum, & opulentam unius Canonici hereditatem Ecclesiæ postea delatam, aliaque plura ipsius Ecclesiæ bona perperam distraxissent, vel dissipantes, Nuncius auditis partibus præcepit quidem, ut imposterum decreta a Decessore suo edita executioni mandarentur, sed alia obligatione Canonicos perstringendos fore non censuit, propterea quod ex legitimis documentis perspectum habere diceret haud facile iis decretis antea morem geri potuisse „ idque tam propter varios litium anfractus, & præbendarum te„ nuitatem, quam propter varia infortunia, & bellorum calamitates, quæ „ plurimas Ecclesias ac ædes Pastorales, in territoriis, ubi R. D. Decanus, &

Capi-

„ Capitulum decimas percipiunt, partim dejecerunt, & partim devastarunt,
„ ita ut occasione præmissorum ingentes pecunias consumendas, & expendendas esse necessitas expostulaverit.

Haud satis per hanc ordinationem Ecclesiæ juribus consultum putarunt Canonici *de Colson*. *& Henne*, qui priores idcirco querelas anno 1756. apud Nuncium Successorem instaurarunt: Verum quum iste pariter in eadem, qua Prædecessor suus, steterit sententia, prædictus Canonicus de Colson, aliique nonnulli Canonici supplices hanc Sacram Congregationem adiere ac expositis controversiis, quas præseferunt Dubia inferius describenda, rogant modo eas in hodierno consessu definiri ab Eminentissimis Patribus, quorum oculis tam moderni Apostolici Nuncii sive Administratoris, quam Officialis Leodiensis Relationes in hunc finem exquisitæ una cum juribus ab una, & altera Collitigantium parte facile circumferendis subiicientur.

I. An sit procedendum ad executionem Sententiarum Nunciorum Apostolicorum ad Tractum Rheni in casu &c. *& quatenus negative*.

II. An, attenta inobservantia ordinationum Anni 1672. cl: me: Cardinalis Bussi tunc Nuncii Apostolici ad Tractum Rheni, teneantur Canonici de Rossius, Scoville, Radoux, Vanbucte, & du Moulin reintegrare Ecclesiam S. Dyonisii, ejusque Massam Capitularem in casu &c.

III. An divisio hæreditatis qu. Canonici Mileu sustineatur, seu potius Ecclesia sit a dictis Canonicis reintegranda in casu &c.

IV. An constet de dissipationibus, & alienationibus Bonorum Ecclesiæ, itaut sit locus reintegrationi in casu &c.

V. An, & quomodo sit providendum in futurum in casu &c.

VI. An, & ad quorum favorem Ecclesia S. Dyonisii etiam quoad expensas jam factas teneatur subministrare sumptus litis in casu &c.

Procedendum esse ad executionem sententiarum in iis partibus demandatur in posterum observantia ordinationum cl. me. Cardinalis Bussi, & Episcopus auctoritate Sacræ Congregationis incumbat ulteriori earum executioni. In reliquis prævia sanatione alienationum factarum ex peculiaribus circumstantiis partes acquiescant facto verbo cum Sanctissimo.

OSTUNEN. ADMISSIONIS AD PARTICIPATIONEM. Vetus observari præfertur in Ecclesia Parochiali, ac receptitia Oppidi S. Viti consuetudo, ut Presbyteri indigenæ postquam integrum triennii curriculum in Altaris, & Chori famulatu exegerint, per secreta participantium Sacerdotum suffragia cooptentur ad Consortium massæ communis, quæ tota conflatur ex quotidianis distributionibus Missarum. anniversariorum, ac mortuariorum. Sess. 24. c. 12. de Ref.

Non adeo tamen perpetua aut constans fuit ejus consuetudinis observatio, ut plura non suppetant exempla Sacerdotum civium, a quibus pro consequendo participationis jure vel brevius, vel etiam quandoque longius triennali servitium fuerit impensum: Quin immo sub hæc postrema tempora ille abusus irrepserat, (quemadmodum de eo Clerus Parochialis Ecclesiæ conqueritur in actu Capitulari anno 1736.), ut posteaquam ad grandiorem quisque pervenisset ætatem tam cito fere Sacerdotio, quam ipsa Clericali tonsura initiaretur, atque ita vel nullo, vel modico servitio Ecclesiæ præstito confestim particeps fieret communium redditùum.

Iste ut eliminaretur abusus, in eodem actu Capitulari ex plurium sententia constitutum est, atque Vicarii Generalis decreto probatum, ut qui æquo cum aliis jure donari vellet perfruendi emolumentis Ecclesiæ, is annos septem in Clerici ministerio prius transigere, deindeque per annos tres secundum prisci moris disciplinam Altari inservire deberet; neque ullus duplicem hunc servitii gradum pervaderet, nisi ejus rei deliberatione a Clero præhabita.

Evenit porro, ut Clericus Dominicus Andreas Alfaranus ex Oppido S. Viti, mi-

ioris primum Clerici partibus per duodecim fere annos, subinde vero Subdiaconi officio ab anno 1735. per aliquot menses in Parochiali Ecclesia perfunctus, a patria studiorum caussa recesserit, septenniique moras traxerit in Civitate Neapolis, atque in Urbe Roma, ubi in almo Sapientiæ Archigymnasio Doctoris utriusque juris gradum est assecutus: Dum autem Neapoli degeret, cum literis Dimissorialibus Præsulis sui, Sacerdotio inauguratus est, novamque deinceps ab eo facultatem obtinuit faciendi sacrum.

Ast nuper ad patriam remeans, sibique jus adserens participandi de communis massæ reditibus, contradictores habuit Consortiales Presbyteros, propterea quod secundum consuetudinis, & statuti Ecclesiæ præscriptum, haud integrum compleisset triennii tempus in ministerio Altaris; Mutuæ idcirco sub mensem Augusti 1742. editæ sunt protestationes; Etenim Sacerdos Alfaranus nunciavit Clero sive Capitulo dictæ Ecclesiæ, se a prima usque die anteacti mensis Maii, atque imposterum, paratum esse, non secus ac alios participantes Presbyteros missas celebrare, ac divinis incumbere officiis, & sacris functionibus: Capitulum vero, sive Clerus curavit suo nomine significari eidem Sacerdoti, ne quidquam tale auderet, si necdum absoluto triennali servitio, quod pridem incoaverat, massæ communis emolumenta intenderet eo pacto lucrari.

Ut hæc itaque lis amputetur, supplex rogat Alfaranus decidi tria dubia inferius describenda, quorum disputationi Presbyteri participantes sunt assentiti; summa autem quæstionis inter has partes institutæ ad duplex hoc modo redigitur caput, num scilicet pro complemento triennalis servitii accepto ferendum sit tempus illud, quo Alfaranus extra patriam versabatur studiorum caussa, numve ipsi ex massa communi debeatur quoque portio redituum anteacti temporis computandi a die admissionis inter participantes Presbyteros eidem denegatæ.

Quamvis enim Clerus Parochialis Ecclesiæ dictitaret a libera sui ipsius facultate, & arbitrio pendere Clericorum civium receptionem ad jura Consortii, postea tamen in actis hujus Sacræ Congregationis per procuratorem a se deputatum, peculiarem edidit declarationem quod triennalis servitii defectus in officio Diaconi atque Subdiaconi unica sibi fuerit caussa repellendi Sacerdotem Alfaranum a communione proventuum.

Propugnat quippe idem Clerus in hujus triennii tempus haud supputari debere longam absentiæ moram ex caussa studiorum, quia ista suffragetur quidem Canonicis, aliisve Beneficiariis ad eum finem, *ut integre percipiant fructus suarum præbendarum*, quemadmodum rescripsit Honorius III. *in cap. super specula de Magistr.* suoque decreto confirmarunt Tridentini Patres *in cap.1. sess. 5. de ref.*, nullibi vero cautum sit hanc eamdem absentiæ caussam prodesse, vel Clericis aliis non Beneficiariis, vel diversum ob finem nanciscendi jura, & locum participantis Presbyteri.

Sed, & illud potissimum urgere censet, quod, ut triennalis famulatus pensum exsolvatur, omnino desideretur verum ac personale Clerici ministerium tam ex ipsius Parochialis Ecclesiæ statuto, & consuetudine, quam ex natura obventionum massæ Communis, quæ non præbentur nisi vere ac phisice præsentibus, & inservientibus, atque etiam ex antiqua Synodali Constitutione edicente, ut *omnes Diaconi, & Subdiaconi per se ipsos, non autem per substitutos excepta caussa legitima nobis probanda, seu Ecclesiastica munia obire, & Sacerdoti Celebranti Ministerium præstare teneantur, nec ab iis excusentur prætextu cujuscumque prærogativæ etiam Canonicatus*: ut proinde locum habeat regula, nihil juvare fictam præsentiam qualem studiorum, aliave legitima præsefert absentiæ caussa, quando verum ac personale Clerici ministerium requiritur, ut pluribus etiam adductis Sacræ hujus Congregationis decretis probat *Eminentissimus Petra in Comment. ad Constit. Bonifacii VIII. n.19. & seqq. Tom.3.*

Huic rationi juris adstipulari pretendit peculiarem propriæ Ecclesiæ morem: Septem enim Capitulares sive Participantes Presbyteri testantur — *qualmente il Dottor D. Giacomo Leo, quando ritornò da Napoli, ove aveva atteso alli Stu*

di

di Legali, e acquistò la Laurea Dottorale adempì il Servizio de'l' Altare, e Coro in questa Chiesa, ne dal Capitolo li fu bonificato per rag'on' dell' assenza causa Studii, e l' abbiamo veduto effettivamente servire: idemque a senioribus audivisse perhibent de *Vito Cavallerio, Jacobo do Leonardis, & Carolo del Prencipe*.

Contra vero Sacerdotis Alfarani nomine contenditur nullam Clericis, ut suam in Ecclesia portionem obtineant, obligationem esse triennalis obsequii, non quidem ex Consuetudine, quæ neque firma, & invariata permansit, neque sui excedit initii memoriam, nec etiam ex Ecclesiæ Statuto quod a Presbyteris, ut jure Collegii, ita, & quidquam statuendi potestate carentibus editum fuerit, & nusquam ab Diœcesano Antistite probatum, quin etiam, (ut plures ex iisdem Presbyteris fidem faciunt) neque in ea parte, qua præscribitur distincta per septem annos, itidemque per triennium servitii præstatio, neque reliquis in partibus ullam deinceps observationem habuerit.

Qualiscumque autem sibi hæserit Ecclesiæ inserviendi obligatio, huic satis abunde morem gessisse putat idem Sacerdos per operam duodecim annorum ab se in Ecclesiæ ministerio ac plurium mensium in Subdiaconi officio impensam, perque diuturna in publicis Athenæis Jurisprudentiæ studia, quibus Ecclesiæ quisque suæ reapse inservire censetur, uti *per text. in cap. licet de præb. cap. super specula ult. de magistr., & cap. tuæ de Cler. non resid.* communiter docent *Barbos. de offic. & pot. Ep. alleg. 56. num 18., & seq. part. 3. Rebuf. de Privil. Scholar. privileg. 31. num. 1. & seq. Jacob. Bencius de privil. Jurisconf. Privil. 15. nu. 6. in fin.*

Atque hac in re inquit non modo non refragari, verum. & consentaneam esse ipsius Parochialis Ecclesiæ consuetudinem. Profert enim testimonium complurium Sacerdotum ajentium *Che il Dottor D. Giacomo di Leo'di questa detta Terra da noi ben conosciuto attese più anni alli studj Legali nella Città di Napoli, ove si laureò ed ordinò Sacerdote ritornato in questa Terra fu ammesso subito alla porzione Capitolare di detta Chiesa senza che prima avesse fatto alcun' servizio all' Altare, e Coro da Diacono e Suddiacono. Inoltre attestiamo come li q. D. Vito Cavallero, e D. Giacomo de Leonardis, e D. Carlo dello Prencipe anche di questa Terra dopo laureati nella Città di Napoli e Roma ritornarono in questa nostra patria semplici Chierici, e senz' alcun' Ordine Sacro, siccome abbiamo inteso da nostri Maggiori*.

Quod autem ad aliam spectat controversiæ partem, a quo scilicet tempore communicandi sint Ecclesiæ reditus Sacerdoti Alfarano, hic ab initio mensis Maii 1742. eos restitui sibi debere autumat, quoniam ab eo tempore ad patriam redux, divina officia, & Sacras Functiones (ut plures edisserunt testes) impigre frequentarit, cetera vero Participantium munia explere nequiverit ob Cleri contradictionem, quæ propterea obventionum jacturam inferre sibi nequeat, quemadmodum neque obest injustum quodvis impedimentum lucrandis tum fructibus præbendarum, tum etiam quotidianis distributionibus ex adductis *per Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. in §. 7. Proœm. nu. 161. Barbos. de Can. cap. 24. num. 44. Monet. de distrib. part. 1. Quæst. 6. n. 17.*

Adversus hæc postrema reponit Clerus, pluresve Presbyteri adfirmant Alfaranum nullo quamvis illato sibi impedimento renuisse id servitii genus præstare, quod impendi solet a Sacerdotibus ad Consortium admitti cupientibus, adeo ut neque ad publicas supplicationes convenerit.

Ad prioris dubii decisionem conferre posse videtur resolutiones ab hac Sacra Congregatione editæ in una *Marsicen.* quam refert *Garz. de benef part. 11. cap. 5. sub nu. 168., in Matheranen. Participationis* proposita sub diebus *9. Julii, & 29. Septembris* 1735., & 23. *Novembris, & 14. Decembris* 1737., *in Farfen.* 20. *Decembris* 1738. *ad* I. *Dub.*, & in *Potentina Admissionis ad Participationem* 2. *Decemb.* 1741., & 3. *Maii* 1742.; His itaque perspectis una cum Relatione Vicarii Generalis quæstionem hinc inde natam enarrantis, atque Collitigantium juribus

juribus quæ oportunè circumferentur, definiendum erit ab Eminentissimis Patribus.

I. An assertus defectus servitii triennalis obstiterit, & obstet pro admissione Dominici Alfarano ad participationem in casu &c. *Et quatenus affirmative*.

II. An, & per quantum tempus teneatur prosequi servitium? *Et quatenus negative*.

III. An, & a quo tempore eidem Dominico debeantur integra emolumenta participationis in casu &c.

Dominicum Alfarano esse admittendum ad participationem a die præsentis resolutionis; ita tamen ut teneatur præstare servitium in officium Diaconi, & Subdiaconi usque ad complementum triennii.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

VIGILIEN. SERVITII CHORI. Canonici Cathedralis Ecclesiæ, qui viginti, & unus numerantur, ab immemorabili tempore consueverunt quotidie divinis officiis interesse, præter quam Canonicus Decanus ex fundationis lege certis dumtaxat festis diebus ad subeundum Chori servitium obstrictus.

Sex præterea Cappellani ex pia Fundatorum voluntate Chorum ejusdem Cathedralis Ecclesiæ frequentare tenentur singulis diebus festis, tribus postremis majoris Hebdomadæ, perque totam Octavam Sanctissimi Corporis Christi.

Sub hæc novissima tempora caussati sunt præfati Canonici intolerabilem fere sibi esse continuam in Choro præsentiam gravia exinde adserentes propriæ saluti derivare incommoda, omne sibi ocium præripi, quo possent necessario, tamque utili scientiarum studio vacare, quibus propterea in publico instrumento enarratis, suoque animo speciatim explicato, quod in hunc unicum finem impetrandi ab Apostolica Sede facultatem inserviendi Ecclesiæ alternis hebdomadis id consilii cæperint, singulos ex Cappellanis in Cathedrali Ecclesia jam existentes annuo trium Ducatorum stipendio ex reditibus mensæ Capitularis desumendo auxerunt, & duas alias fundarunt Cappellanias tributa unicuique dote quindecim Ducatorum per annos singulos, cunctis vero hisce Cappellanis onus imposuere conveniendi vicissim ad Chorum, persungendique Diaconi, & Subdiaconi Officio in Festis primæ ac Secundæ Classis, atque si alii Cappellani vel Clerici desint, etiam in Dominicis quibusque ac festis diebus.

Hæc in eo instrumento constituta, subindeque peculiari decreto per modernum Episcopum confirmata postulaverunt Canonici ex hujus Sacræ Congregationis sententia probari: At super oblatis precibus rogatus clar. mem. Cardinalis Lanfredinus, votum suum proferre, censuit retinendum omnino esse veterem continui servitii morem neque alternativæ gratiam concedi oportere, quoniam ea cessura foret in manifestum divini cultus detrimentum,

Laudati Cardinalis sententia placuit Sacræ Congregationi, quæ propterea sub diem 17. Decembris 1740. mandavit servari solitum, iterumque die 17. Februarii 1742. ad repetitas Canonicorum preces Sanctissimo Domino Nostro porrectas, & sacro eidem Senatui remissas stetit *in decretis*, tametsi in iis oblatio fieret duobus aliis Cappellanis Ecclesiam Cathedralem augendi supra numerum superius enunciato instrumento comprehensum.

At nec dum animum despondentibus Canonicis rursus pro impetranda ejusmodi alterni servitii gratia demisse exorarunt Sanctitatem suam, quæ super libello sibi exhibito dignata est præcipere Episcopo tunc in Urbe moram trahenti, ut circa preces in eo contentas de scripto referret, suumque sensum aperiret: Paruit Episcopus; sed ejus relatione accepta denuo Sanctissimus Pater petitionem Canonicorum ad hanc Sacram Congregationem rejecit.

Porro memorati Canonici, qui preces suas sub dubio inferius describendo ab Eminentissimis PP. examinandas proponi magnopere optarunt, ut voti compotes fiant, in medium proferunt exempla similium Indultorum, quibus perfruuntur Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ, aliarumque fere omnium circum adjacentium

tium Cathedralium Ecclesiarum, itidemque tenuitatem redituum sibi ex Ecclesiæ penu obvenientium, dum præter Archidiaconatus atque alterius Canonicatus præbendas, quarum prima scutorum octoginta, altera vero totidem ducatorum annuum fructum exhibent ac præter aliam Canonici Theologi præbendam annui reditus ducatorum decem, & septem reliquæ omnes vix quatuor aut quinque scutor. vel etiam minorem tribuunt quantitatem; reditus autem Massæ Capitularis inter omnes æquis partibus dividendi non nisi annuam circiter summam ducatorum 1300. conficere dicuntur, & ii quidem ex stipendiis missarum, & anniversariorum conflari.

Addunt præterea testimonium medici perhibentis Cathedralem Ecclesiam velut ex vivis lapidibus cum in omni pariete, tum in pavimento constructam, atque ob aliorum ædificiorum vicinitatem, neque soli hybernis mensibus, neque salubribus ventis æstivo tempore perviam frigidis adeo pravisque humoribus redundare, ut is quidem plures gravesque morbos, quibus Canonici conflictantur, ex nimia Chori frequentia provenire dijudicet.

Postremo ne divini cultus haud quaquam minuendi ratio difficultatem ingerat gratiæ impetrationis, paratos modo se offerunt iidem Canonici non modo quemlibet ex sex Cappellanis in Cathedrali Ecclesia jam existentibus annuorum trium ducat. accessione ditare, verum, & alias sex Cappellanias fundare imposita omnibus lege divinis officiis ac sacris incumbendi ministeriis unde fiet, ut servata licet alterni servitii norma, sexdecim Capitularium ex Canonicis nimirum, & Cappellanis constans numerus semper choro sit adfuturus.

Episcopus in Relatione, quam sanctitati suæ demisit, Canonicorum petitioni suffragatus est in ea potissimum sese explicans verba -- „ E quando si accrescessero li sei altri Cappellani, come il medesimo Capitulo offerisce, ed è pronto „ a farlo, in tal caso concedendosi dalla Santità Vostra la richiesta grazia, certamente questa ridondarebbe in maggior gloria di Dio, e servitio della Chiesa, „ quale si adempirebbe con maggior fervore, e diligenza.

Momenta vero, ob quæ cl. me. Card. Lanfredinus censuit annuendum non esse prioribus Capituli precibus, ea fuere quod scilicet, non in divini cultus augmentum, sed in manifestam diminutionem, quidquid ab illo proponebatur, videretur esse cessurum; *Nunc enim* (sunt ejus verba) *quotidie divinis officiis intersunt viginti, & unus Capitulares, prout semper ab immemorabili tempore servatum fuit: proptereaque iisdem divinis officiis etiam assistunt ex lege fundationis sex Cappellani omnibus diebus festis, necnon tribus hebdomadæ majoris, & per totam octavam festi Corporis Cristi. Hic porro est præsens status. At in futurum, si vota Capituli effectum sortirentur in una hebdomada inservirent Cathedrali Ecclesiæ decem Canonici, & quatuor Cappellani, sive Mansionarii: In alia autem hebdomada undecim Canonici cum quatuor similiter Mansionariis, & sic deinceps alternatim. Itaque manifestum est detrimentum divini cultus. Præterea ut constat ex memorato instrumento, mens Capituli etiam est, quod in posterum prædicti Cappellani, vel Mansionarii in Missis cum cantu celebrandis a Dignitatibus, & Canonicis Officium Diaconi, & Subdiaconi exerceant. Idque eo etiam tendit, ut Canonici non amplius ministerium Diaconi, & Subdiaconi in missis solennibus exhibeant, prout hactenus fecerunt. Hæc vero prisci moris immutatio, quam Capitulum meditatur, non pertinet ad augumentum divini cultus, sed ad augmentum commoditatis Canonicorum. Quamobrem censeo Resolutionem Capituli, ejusque confirmationem ab Episcopo factam non esse ab hac Sacra Congregatione approbandum sed servandum esse solitum.*

Hæc scripserat laudatus Cardinalis, quum a Capitulo nondum oblata fuisset auctio majoris numeri Cappellanorum, quæ hodie exhibetur, adeoque quantum ea ponderis iteratis Canonicorum precibus tribuat, nunc est expendendum. Poterunt etiam ad hujus negocii definitionem considerari, quæ adnotata fuerunt *in una Castri maris servitii Chori* 30. *Julii* 1735. itidemque resolutio edita in Tranen. Indulti 22. Novembris 1738. ubi proposito dubio *An Dignitatibus, & Canonicis*

novicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris sit concedenda gratia inserviendi dictæ Ecclesiæ alternatim, & per hebdomadas in casu &c., Sacra Congregatio respondit *Affirmative cum solitis clausulis*; Duplex autem a Canonicis ibi fuerat adducta caussa pro impetranda ea gratia, *prima* nimirum, quod illi per novennium ante adeptionem Canonicatus gratis Ecclesiæ famulari tenerentur, sicque fere jam consenesceret, antequam præbenda, & Canonicatu fruerentur. *Altera* quod situs Ecclesiæ ob frigoris rigorem, atque humiditatem valetudini Canonicorum esset nimium infestus. Ponderatum insuper fuit ab Eminentissimis Patribus, quod de Collegiata, non autem de Cathedrali Ecclesia ibi ageretur.

Omnibus itaque ob oculos habitis respondendum est.

An Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Vigiliarum sit concedenda gratia inserviendi eidem Ecclesiæ alternatim, & per hebdomadas in casu &c.

Facta erectione sex Cappellaniarum permittendas esse vacationes ad tres menses; ita tamen ut Canonici iis frui nequeant tempore Adventus, & Quadragesimæ, aliisque diebus excipi solitis, & duæ saltem ex tribus partibus Coro semper intersint.

Sess. 23. c. 13. de ref.

VIGLEVANEN. FUNERUM. Improviso morbo, correptus Joseph Frigerius Civitatis Mortarii sub annum 1740. diem suum explevit: Hinc statim nata fuit contentio inter Præpositum Collegiatæ Parochialis Ecclesiæ S. Laurentii, & Fratres Minores observantes Conventus S. Bernardini ejusdem Civitatis, num defuncti cadaver sepeliendum esset in ea Parochiali Ecclesia, vel potius in altera S. Bernardini.

Vicarius Generalis Mortarii, idemque Coadjutor Præpositi S. Laurentii pro ipso sententiam tulit, & quamvis ab ea sententia Fratres Minores ad Archiepiscopalem Curiam Mediolanensem provocassent, ille tamen jussit cadaver interea in Ecclesia Parochiali tumulari, quemadmodum ita factum est: Quum autem deinceps in appellationis judicio confirmata fuerit Vicarii Generalis sententia, prædicti Fratres una cum Advocato Francisco Antonio Frigerio præmortui Josephi fratre, & hærede hanc Sacram Congregationem adierunt, obtinueruntque disceptationem institui non modo de exhumatione cadaveris, illiusque transportatione ad Ecclesiam S. Bernardini, verum etiam de jure sive emolumentorum, sive delationis stolæ, & crucis elevatæ, quod sibi adserit Præpositus S. Laurentii, dum occasione funerum ad eamdem S. Bernardini Ecclesiam accedit.

Porro Ecclesiæ suæ restitui debere defuncti Josephi Frigerii cineres contendunt Fratres Minores eo potissimum freti fundamento, quod quatuor testes coram Vicario Generali examinati, itidemque Josephus Rovatti Protonotarius Apostolicus, atque Rosa Carrotti defuncti uxor testatum fecerint significatam sibi fuisse ab eodem Josepho Frigerio, dum in humanis ageret non semel, sed iterum, ac sæpius inter familiares sermones voluntatem, quod ejus cadaver in Ecclesia S. Bernardini reconderetur.

Non nihil tamen disceptant relati testes in explicanda Josephi mente: Tres quippe ex illis referunt Josephum hanc suam voluntatem declarasse cum illa adjectione *se poteva testare, se poteva morire con lingua*; harumque declarationum tempus, designant, unus quidem ante annum 1730., alii vero duo longe posterius; Reliqui autem nullam peculiarem neque de tempore, quo ista audierunt, neque de hujusmodi conditione mentionem faciunt.

Præterea iidem Fratres, ut pleniorem exhibeant enunciatæ voluntatis probationem, binas facti circumstantias ob oculos ponunt, primam nempe quod Josephus munere fungeretur Apostolici Syndici, sive Procuratoris Conventus S. Bernardini, quodque ejusdem avus, & pater hoc ipso Apostolici Syndici officio perfuncti sint, atque in Ecclesia S. Bernardini, in qua sepulturam elegere utriusque Cadavera modo quiescant.

De emolumentis vero funerum nihil ad Præpositum S. Laurentii pertinere existimant

mant præter quartam Funeralem, quando is ad Ecclesiam S. Bernardini conveniat, funus ibi eligentium sepulturam comitaturus: Præter hanc autem de emolumentis conceptam, aliam quoque specialem intermiscent de pecuniæ, & ceræ quantitate quæ ipsi Præposito debeatur occasione funeris Josephi Frigerii: Sed ista peculiaris quæstio num recte congruat cum Dubiis inferius recensendis, & in Partium contradictorio subscriptis, judicium erit hujus Sacri Senatus.

Denique inquiunt se merito repugnare, quominus Præpositus sive solus sive cum Clero, in associatione cadaverum progrediatur intra S. Bernardini Ecclesiam cum Stola, & Cruce elevata ex iis quæ tradunt *Fargn. de jurep. part.2. cap. 14. & 15. cas.13. nu.3., & seqq Ursaya tom.1. part.2. Disept.14. n.7. & seqq.* neque obstare censent qualemcumque consuetudinem quam pro se jactet Præpositus, veluti sæpius ab ipsis FF. impugnatam, nec etiam qualitatem Ecclesiæ Collegiatæ S. Laurentii, tum quia idem quoque juris obtineat, quando Canonici Ecclesiæ, non Cathedralis una cum Parocho ad Ecclesias Regularium accedant ex resolutione Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in una *Sutrina ultima Februarii* 1708., *quam refert idem Ursaya cit. Disept.14. nu. 13.*, tum etiam quia Ecclesia S. Laurentii sub annum 1657. ex solius Ordinarii authoritate perperam Collegiatæ juribus fuerit insignita.

Tria superius enunciata controversiarum capita distincte enarrat, atque adductis hinc inde rationum momentis expendit Episcopus in sua relatione: Putat ipse vero electionem sepulturæ, quam a Josepho Frigerio factam autumant FF. Minores, non satis probatam esse ex testium dictis veluti quæ imperfectum potius eligendi propositum, quam absolutam electionem præseferre videantur, præsertim si modus ille vel conditio spectetur; sub qua Josephus voluntatem suam expressit, nimirum *se poteva testare*.

De quarta Præposito debita, quando cadavera tumulantur in Ecclesia FF. Minorum Conventus S. Bernardini, refert contentiones inter Præpositum, & prædictos Fratres olim obortas, finem jam accepisse per sententiam ab Episcopali curia prolatam sub annum 1675. atque in judicatum transactam, in qua pronunciatum fuit „ Præposito competere quartam partem illius ceræ, quæ adhibetur „ ad feretrum in associando prædicta cadavera ad dictam Ecclesiam S. Bernar- „ dini necnon etiam totam illam ceræ quantitatem, quæ obventura esset præ- „ fato Præposito, si cadaver in eadem Ecclesia Parochiali esset humandum.

Jus autem ingrediendi (prosequitur idem Episcopus) „ una cum Clero Ecclesiam „ tumulantem S. Bernardini cum Cruce elata, Pluviali, & Stola desumit Præ- „ positus tum ex antiquis Sacræ Congregationis decretis plena manu congestis „ per Pignatel. Consult 47. nu 24 cum seq. tom,3. tum ex Bulla *Pretiosus* „ Summi Pontificis Benedicti XIII. tum ex animadversis per Eminentissimum „ olim Lambertinum, nunc summum Pontificem Benedictum XIV. in notif. 16. „ num.26. ac demum ex consuetudine antiqua per testimonium processus justifi- „ cata, ex qua resultat in funeribus, in quibus intervenit Præpositus cum Ca- „ pitulo, & Clero, eorumdem ingressus cum Cruce erecta, Pluviali, & Sto- „ la in dicta Ecclesia S. Bernardini: Et si facta fuit per PP. oppositio, hæc respi- „ ciebat actum benedictionis cum Aspersorio, & thurificationis, quæ Præpositus tentabat facere super cadavere.

Defensores Præpositi in juribus ipsius nomine proferendis eadem ferme exornant late momenta, quæ Episcopus summatim exposuit in sua mox enunciata relatione; Dispiciendum itaque manet.

I. *An constet de electione sepulturæ, ita ut sit locus exhumationi cadaveris, & transportationi ejusdem ad Ecclesiam S. Bernardini in casu &c.*

II. *Quæ emolumenta debeantur Præposito accedenti tam cum Clero, quam sine Clero pro associatione cadaverum ad dictam Ecclesiam S. Bernardini occasione electionis sepulturæ in eadem Ecclesia.*

III. *An occasione associationis dictorum cadaverum ad dictam Ecclesiam S. Bernar-* dini

dini, liceat Præposito accedenti tam cum Clero quam sine Clero ingredi ejusdem januam cum Stola, Pluviali, & Cruce elevata in casu &c.

Ad I. negative. Ad II dilata, & proponatur auditis Parochianis. Ad III. dilata, & coadjuventur probationes super consuetudine.

Sess. 25. c. 18. de Ref.

NULLIUS FARFEN. ALUMNORUM. Joseph Perellius Oppidi Castrinovi testamento legavit Clericis Regularibus Scholarum Piarum in Conventu S. Pantaleonis Urbis degentibus quantitatem scut. decem millium, vel, si heres eam paratam non haberet, usum fructum complurium Prædiorum tandiu duraturum, quamdiu Scuta decem millia in numerata pecunia solverentur eo imposito Legatariis onere construendi Scholarum Piarum Collegii in Oppido Castri novi ac etiam,, con peso che debbano celebrare tre messe cantate la settimana per l' anima mia, e de' miei defonti, con peso di più, che debbano tenere sei alunni di Castelnovo da nominarsi, e cavarsi a sorte da medesimi Padri con l' assistenza degli Esecutori testamentari. Item che detti Padri debbano aprire la Scuola secondo la loro professione, e di officiare alla mia Cappella della Santissima Natività di Nostro Signor Gesu Cristo dichiarandoli Cappellani perpetui.

Codicillis postea conscriptis significans idem testator optime reminisci, quod nihil ab se in testamento fuisset dispositum de tribus prædiis nuncupatis, *li Colli; il Casale, e le Prata*, & pariter legavit prædictis Clericis Regularibus Scholarum Piarum pro sustentandis alumnis, de quibus in testamento sermonem fecerat.

Testatore vita perfuncto Legatarii nacti sunt prædia sive in testamento sive in Codicillis sibi relicta, propriique Instituti Collegium erexerunt in Oppido Castri novi ex decreto Vicarii Generalis Farfensis ad id delegati a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita; quo in Decreto illud exprimitur ex Peritorum relationibus annuos eorumdem prædiorum, & capitalium fructus summam sc. 450. 62. conficere, esseque alendis duodecim Religiosis idoneos.

Nuper vero hujus Collegii Rector oblatis Sanctissimo D. N. precibus exposuit bona illa, quæ ex pia Josephi Perellii dispositione ad Collegium ipsum pervenerunt, gravium ac frequentium litigiorum sumtibus fuisse obnoxia, ex iisque nec alumnos, nec etiam plures quam sex Religiosos, ad hæc usque tempora sustentari potuisse; eamque ob caussam ab Administratoribus Rev. Fabricæ semel, & iterum de perceptis antea fructibus motam sibi fuisse quæstionem, quæ per sententiam primum contra ipsos Administratores latam fuerit diremta, ac postea per transactionem composita; Ne vero imposterum ejusmodi controversiam, rursus excitari contingeret, supplicavit illud ex Sacræ hujus Congregationis sententia definiendum committi, num secundum pii testatoris voluntatem alumni propriis Collegii sumtibus in eo educari deberent, vel potius inopia redituum istam obligationem ademerit.

Delegata propterea fuit rei, de qua disputatur cognitio, Sacro huic Consessui, eique a Populo Castri novi, sive ipsius nomine supplex inde porrectus fuit libellus, id postulans ne hac in causa quidquam inaudito eodem Populo decerneretur. Utriusque vero tam Rectoris Collegii, quam Populi preces misit Sacra Congregatio ad Eminentissimum D. Cardinalem Abbatem Farfensem, consuetæ instructionis habendæ gratia.

Laudatus Eminentissimus Abbas nunciavit se, postquam super hujus causæ statu Relationem Vicarii Generalis jam exegisset, aliquas illi transmittendæ moras interjecisse, ut interea Communitas Oppidi Castri novi commode posset audiri; Verumtamen ab ea quamvis judiciario admonita nihil coram ipso actum fuisse.

Vicarius Generalis confirmat ea, quæ in precibus Rectoris Collegii exposita sunt, narratque bona hereditaria Josephi Perellii, quæ ad Collegium pervenerunt, ex edito sub annum 1717. Peritorum judicio, haud uberiores reditus comperta fuisse

fuisse, quam scut. 351. 98;, atque ita vix ea sufficere suppeditandæ sex Religiosis alimoniæ, ac ferendis oneribus, quibus subsunt, annui census scut. 37. 57. itemque perpetuæ eleemosynæ Missarum decem supra quingentas, atque etiam quantitatis sc. 12. Parocho annuatim solvendæ pro quodam legato Missarum.

Speciatim vero de tribus prædiis nuncupatis *i Colli*, *le Prata*, *il Casale*, perhibet unum Emphiteutico jure possideri a Philippo de Santis sub annuo canone scut. 6. 10., alia duo parum frugifera deprehendi, ita ut omnia tota quanta sunt vix annuum fructum tribuant scutorum decem, secundum æstimationem Peritorum, qui ab utraque parte sive Communitatis sive Collegii ad id electi fuerunt; Sed, & illud significat annua hæc scuta decem a Rectore, vel potius a Collegio retineri velle pecuniarum loco, quas in sustinendis tot tantisque litibus insumserunt.

Præterea, ut dubitari minus posset de insufficientia redituum, idem Rector nuper obtinuit ex decreto Sacræ Congregationis aliam peragi æstimationem quorumcumque immobilium bonorum per Peritos a Vicario Generali Farfensi ex officio selectos, istique spectato singillatim uniuscujusque prædii valore annuum reditum contraxerunt ad summam scut. 298. 40. Ex hac tamen (ut iidem Periti referunt) subducendam esse Rector contendit unius scuti quantitatem, qualem exhibent fructus cujusdam prædioli recens adquisiti, disjunctique a bonis hereditariis Josephi Perellii.

Eminentissimorum itaque Patrum erit dispicere.

An constet de sufficientia redituum, ita ut PP. Scholarum Piarum Castrinovi teneantur manutenere alumnos in casu &c.

Ex hactenus deductis non constare.

Die Sabbathi 22. Junii 1743.

BRIXINEN. ERECTIONIS VICARIÆ PERPETUÆ Authumans Episcopus Brixinensis ad providendum spirituali bono Populi degentis in Monte Vverbergi necessariam esse erectionem Vicariæ perpetuæ in Ecclesia S. Petri in eodem Vverbergi Monte posita, ac intra fines Parochialis Ecclesiæ in *Colsass* Monasterio S. Georgii adnexæ existente, consilium cepit conferendi ex proprio ære in dotem novi beneficii curati florenos bis mille itidemque mille alios supra biscentum in eumdem finem a religioso quodam Benefactore hab tos, & demum alterum pium legatum omnimodæ suæ dispositioni relictum unacum juribus Stolæ, & nonnullis Anniversariis in eadem Ecclesia S. Petri fundatis, ac a Vicario dictæ Parochialis Ecclesiæ in *Colsass* libenter cessis, ea tamen sub lege, quod beneficium istud ad liberam Episcopi collationem imposterum spectet. *Ses. 21. c. 4. de ref.*

Ejusmodi erectioni obstitere Abbas, & Monachi Monasterii S Georgii, non absolute quidem eam impugnantes, sed in id potissimum conati, ne collatio Vicariæ perpetuæ statueretur libera Episcopo, quippe qui pertendebant, jus ad illam nominandi debere sibi reservari. Quum autem hac super re nequiverint Episcopus, & Monachi convenire, lis inde oborta delata est ad hanc Sacram Congregationem, in qua proposito Dubio -- *An sit locus erectioni Vicariæ perpetuæ, sive assertæ Curatiæ in Vverberg liberæ collationis in casu &c.*, -- Eminentissimi PP. sub diem 16. Martii proxime præteriti, jura sua deducente tantum Promotore Fiscali Episcopalis Curiæ responderunt -- *Affirmative servata in provisionibus forma concursus*.

Ab hoc autem rescripto reclamant hodie præfati Abbas, & Monachi S. Georgii quocirca oportet resumere folium diei 16. Febr. currentis anni, ac denuo perpensis omnibus ibidem expositis unacum juribus Monasterii nomine recens proferendis deliberare.

In decisis, & amplius.

Sess.24. c.12. de Ref. FIRMANA. Ecclesia S. Bartholomei Oppidi Murri Vallium sub annum 1586. Collegiatæ nomine fuit decorata, institutis in ea Præposito, qui caput esset Collegii, novem Canonicis, tribus Mansionariis, ac tribus itidem Clericis, quos Chorales appellant, eorumque singulis adsignati fuere annui reditus. Præposito quidem scutorum centum supra viginti, Canonicis sexaginta, Mansionariis triginta, & Clericis quindecim, iisque omnibus tributa etiam fuit potestas condendi statuta pro felici Ecclesiæ regimine ab Ordinario tamen probanda.

Dum hujus Ecclesiæ Sacram visitationem perageret sub annum 1607. Firmanus Antistes, decrevit, ut Clerici in divinis Officiis ad Antiphonas, Versiculos, Invitatorium, & Responsoria præsto semper esse deberent, unusque ex illis Missæ Conventualis celebrationi ministerium præstaret; Hanc porro Missam solemnibus quibusque diebus Præpositus, aliis vero diebus Dominicis, ac festis, servata Ecclesiæ consuetudine, Canonicus Hebdomadarius caneret, duoque ex Mansionariis, & Clericis Officium Diaconi, atque Subdiaconi explerent, iidemque Pluvialibus induti adsisterent in Solemnibus Vesperis: Denique jussit, eum, qui muneri suo deesset, punctatura mulctari.

Quid punctaturæ nomine deinceps statutum fuerit, ignoratur: Constat tamen probatam fuisse sub annum 1656. a clar. mem. Cardinali Gualterio tunc temporis Firmanæ Diœcesis Præsule auctionem ejus Punctaturæ a Capitulo S. Bartholomæi decretam ad summam usque obulorum viginti, quorum media pars beneficio Sacristiæ cederet, altera vero tribueretur ei, qui Canonici, vel Clerici deficientis munia exsolveret. Eamdemque pœnæ præscriptionem confirmavit modernus Archiepiscopus occasione sacræ visitationis.

Audiens vero postea idem Archiepiscopus non parum neglectam fuisse observationem eorum, quæ de Officio Diaconi, & Subdiaconi pridem sancita erant, illam denuo præcepit in posteriori alia visitatione „ moderando tamen (*sunt* „ *verba Decreti*) punctaturam duorom Juliorum ad unum Julium pro Diaco- „ nis, persolvendum ab illis, qui suo munere non funguntur, etiamsi id pro- „ veniat ex defectu Ordinis, dummodo deficiens sit in legitima ætate ad illum „ suscipiendum constitutus, idque retineatur ex distributionibus, & interim „ Capitulum statim tantumdem extradat ei, qui supplet in hujusmodi Altaris „ Ministerio. Quod si Mansionarius, cui Officium Diaconi, aut Clericus „ Choralis, cui Officium Subdiaconi contingit, careat Ordine ex defectu æta- „ tis, & cæteroquin Divinis Officiis intersit, tunc Capitulum ex reditibus „ Sacristiæ solvat dictum Julium supplenti in Officio Subdiaconi.

Solemnia item Sacra, quæ in prædicta Ecclesia Collegiata S Bartholomæi antea celebrari consueverant, peculiari edito in eadem visitatione decreto contraxit ad minorem longe numerum, ita ut imposterum neque vespertina Officia canerentur in Festis S. Mariæ ad Nives, & Montis Carmeli, neque solemnis ritus amplius adhiberetur conficiendis Sacrosanctis Altaris Mysteriis in diebus Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Sanctissimo Rosario, atque Adventui Domus Lauretanæ sacris, necnon tertia, & quarta Feria majoris Hebdomadæ, atque in pervigilio S. Bartholomæi Apostoli Principalis Protectoris, & præterea cantus omitteretur in utrisque Vesperis dictorum dierum S. Joannis Baptistæ, S. Michaelis Arcangeli, Festivitatis Rosarii, & Beatæ Virginis Lauretanæ celebritati dicatorum tum etiam in primis Vesperis Inventionis Sanctissimæ Crucis, & S. Sylvestri, ac in secundis S. Annæ, & SS. Innocentium.

Ægre tulerunt Canonici. per gemina isthæc Archiepiscopi decreta immutatam fuisse Punctaturarum legem, ac rituum Solemnitatem. Ad eorum itaque preces Sacræ huic Congregationi oblatas jussus ille fuit super hujusmodi decretis eam-

eamdem Sacr. Congreg. instruere; Is autem in sua Relatione significat plures ad se delatas jampridem fuisse querelas de immodico Solemnium Missarum numero, deque nimis gravi punctaturæ onere. Rectius proinde sibi visum esse ait Collegiatam Ecclesiam S.Bartholomæi Ecclesiæ Metropolytanæ tamquam capiti conformare quoad morem celebrandi divina Officia, in eamque sententiam facilius venisse inspecta paucitate Ministrorum, ob quam experimento compertum est Solemnes Missas frequentius agi non posse, quam in Metropolytana, ubi Ministrorum numerus adest longe major: ,, Tenuitas quoque (*subjungit*) non ,, solum distributionum, sed etiam præbendarum, quibus ii Ministri gaudent, ,, me in hac animi sententia confirmavit; Licet enim Mansionarii computatis om- ,, nibus scuta 30., ut in precibus habetur, percipiant, trium tamen Clericorum ,, Choralium unus quotannis percipit scuta 14., alter vero 13., tertius dumtaxat ,, decem, & hæc quidem non solum cum onere residentiæ, sed etiam cum onere ,, applicationis multarum Missarum; Si autem his addatur excessua punctatura ,, pro Solemnibus Sacris, non inveniemus, quibus hujusmodi beneficia confer- ,, re possimus, ac præsertim Clericatus Chorales; Hos enim Adolescentes non ,, accipient in spem ordinationis suæ, si, antequam per ætatem ordinari pos- ,, sint, ad quodlibet Solemnem Sacrum Julium unum solvere debeant. Quia ,, vero sine stipendio non inveniebatur, qui suppleret, propterea decrevi, ,, quod durante defectu ætatis ex reditibus Sacristiæ, cui punctaturæ cedunt, ,, suppleatur stipendium ministranti in Officio Diaconi. vel Subdiaconi.

Pertendunt e diverso Canonici, retinendum omnino esse veterem morem in eorum Ecclesia receptum, sive quoad Solemnem Divinorum Officiorum celebrationem, sive quoad punctaturæ modum, quoniam id postulet conservandi, & majoris, & exactioris divini cultus ratio, tum etiam vis, ac natura peculiaris ejus Ecclesiæ consuetudinis, quæ alteri in Ecclesia Metropolytana vigenti sit anteferenda; neque consuetudinem hanc, sive in se ipsa spectetur, sive habita ratione redituum, quos Mansionarii, & Clerici percipiunt, adeo gravem esse existimant, ut eam aliqua in parte laxari oporteat, nec etiam putant adeo tenues esse eorumdem Mansionariorum, & Clericorum reditus, ut aliquam antiquæ obligationis remissionem expostulent, quum præter certam fructuum quantitatem, scutorum nempe triginta singulis Mansionariis, & scutorum quindecim unicuique ex Clericis attributam, emolumenta quoque adsint distributionum quotidianarum per annum inter inservientes ita partiri solita, ut ab transacti decennii tempore (quemadmodum ex libris Capitularibus id apparere testatus est publicus quidam Notarius) quotannis Mansionariorum cuilibet scuta quinque obveniant, & major etiam quandoque summa.

Nullo denique pacto ferendum illud esse inquiunt, ut quoties ex Mansionariis, vel Clericis aliquis ob defectum ætatis Sacris Ordinibus insignitus non sit, ac Divinis Officiis intersit, non ipse, sed Sacristia mercedem ei præbere teneatur, qui deficientis loco sacrum Ministerium adimpleat, quum ad id potissimum instituta sint beneficia isthæc Mansionariorum, & Clericorum, ut isti fungantur munere Diaconi, atque Subdiaconi. ac præterea Sacristiæ reditus vix ac ne vix quidem pro impensis sacrarum supellectilium sufficiant.

Itaque dispiciendum erit ab Eminentissimis Patribus.

An Decreta facta per Ordinarium Firmanum in ultima visitatione Collegiatæ Sancti Bartholomæi Murri Vallium super reformatione tabellæ Missarum Solemnium, & diminutione punctaturarum Mansionariis, & Clericis non assistentibus eisdem Missis, & Vesperis, necnon suppletionis dictarum punctaturarum ex reditibus Sacristiæ quoad Clericos ad Sacros Ordines non promotos sustineantur in casu &c.

Negative in omnibus.

ANCO-

Sess. 24. c. 12. de ref.

ANCONITANA CANONICATUS. Vacantem per obitum Joannis de Ruffinis in mense Majo Apostolicæ Sedi reservato alterum ex Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis Eminentissimo Domino Cardinalis Masseus Anconitanus Episcopus tam jure ordinario, quam ex Pontificio Indulto conferendi beneficia dispositioni Apostolicæ Sedis reservata, largitus fuit *una cum præbenda de j re competen.* Sacerdoti Cyriaco Vecchioni, qui deinde consuetas Apostolicas literas impetravit.

At contendens Canonicus Joannes Paulus Tommasius velut antiquior optionis jure sibi deberi præbendam, quam perfruebatur Joannes de Ruffinis, & suo, & aliorum Canonicorum nomine humillimas ea de re preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, exposuitque vetustissimam eam in Cathedrali Ecclesia consuetudinem vigere, ut seniores Canonici (quoniam tenuens admodum sunt fructus præbendarum, ac distributiones ejus Ecclesiæ) aliquam saltem gravis, ac diuturni servitii retributionem obtineant, ex facultate potiantur optandi pinguiores præbendas, istaque uti possit quocumque in mense sive ordinario, sive Apostolico Canonicatum vacare contigerit.

Preces istæ Sacræ huic Congregationi remissæ fuerunt: Quamobrem post acceptam super iisdem precibus relationem laudati Eminentissimi Episcopi totam hujus controversiæ summam enunciantem, in disputationem veniunt gemina subnectenda dubia, in quorum præcipuo illud quæritur, num præbenda, quam olim possidebat Joannes de Ruffinis, optionis jure pertineat ad antiquiorem Canonicum Joannem Paulum Tommasium.

Id prorsus impugnat Canonicus Vecchioni inquiens quamcumque optandi consuetudinem nihil virium exercere adversus Apostolicas beneficiorum reservationes, uti sancitum legitur in *cap. fin. de consuetudine in 6.*, & luculentius *in Regula 8. hodie 9. Cancellariæ*, qua expressim cavetur *consuetudine etiam immemorabiles optandi majores, & pinguiores præbendas, necnon privilegia etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica .... adversus reservationem hujusmodi minime suffragari.*

Quibus vero momentis adversus hæc petitionem suam tueatur Canonicus Tommasius, hactenus non innotescit, quum ipsius jura oculis Eminentissimorum Patrum fortasse subjicienda nondum fuerint exhibita.

Onus itaque erit EE. VV. decernere.

I. An bona præbendalia ultimo possessa per quond. Canonicum Ruffini optari potuerint, & possint per Canonicum Tommasi? *& quatenus affirmative.*

II. An fructus eorumdem bonorum a die factæ optionis debeantur eidem Canonico Tommasi, seu potius Canonico Vecchioni in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess. 6. c. 4. & Sess. 25. c. 6. de refor.

LITTEREN. CONCORDIÆ. De jure conferendi Ecclesiastica Beneficia intra Oppidi Graniani limites existentia in transactione sub annum 1212. Litterensem inter Episcopum, ejusque Oppidi, sive Ecclesiæ S. Mariæ, quæ ibidem extat, Archipresbyterum celebrata, deindeque anno 1480 Apostolicæ Sedis authoritate communita speciatim cautum fuit: *Quod Archipresbyter potestatem, & authoritatem habebit conferendi Ecclesias, & Ecclesiastica beneficia.*

Vim inde firmiorem sumpsit isthæ transactio sextodecimo Seculo, tum ex sententia, & literis Executorialibus Rotæ Auditorii decernentibus *super Beneficiorum collatione concordiam suos debuisse, & debere sortiri effectus*, tum ex posteriori alia transactione inter Episcopum, & Archipresbyterum inita, atque a sancta memoria Paulo III. confirmata, ubi declaratum est, *quod is*, (nempe Archipresbyter) *esset in possessione pacifica omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura pro tempore in d. Terra, seu ejus districtu quomodolibet vacantia conferre.*

Ve-

Verum labente sæculo decimoseptimo, quum Episcopus quæsitam sibi possessionem adsereret ea Beneficia conferendi, denuo res in judicium deduci visa est: Sed & anno 1719. acrior effecta fuit contentio. Nam Archipresbyter intentato apud Tribunal A. C. redintegrandæ possessionis remedio favorabilem sententiam obtinuit, quæ ab Rotæ Auditorio postmodum confirmata fuit, rataque ab Episcopo habita per subsequutam litis cessionem.

Non hic tamen finem accepit vetus hæc controversia: sub annum quippe 1731., quum per Archipresbyteri obitum vacasset Ecclesia S. Mariæ, Clerus, & Universitas Graniani a san. mem. Clemente XII. impetrarunt, ut ea Collegiatæ juribus decoraretur, instituerenturque Archipresbyteri dignitas, & quatuordecim Canonicatus,, quorum plena (*ut in Apostolicis literis cautum legitur*) ,, libera, & omnimoda collatio, provisio, & quævis alia dispositio in mensibus ordinariis tantum, & cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis ad pro tempore existentem Episcopum Litterensem, salvis tamen, & ,, illæsis remanentibus juribus, & privilegiis supradictis præfato Archipresbytero huc usque competentibus, nec non Mensæ Episcopali Litterensi cum ,, facultate tamen, & potestate illa inter præfatum Archipresbyterum, ac pro ,, tempore existentem Episcopum Litterensem præfatum impolterum concordandi, semper, & perpetuo spectare, & pertinere debeat.

Ex recitatis Summi Pontificis verbis, atque etiam ex immutatione status Ecclesiæ contendebat Episcopus ademptum quodvis Archipresbytero jus esse Beneficia conferendi; at vero Clerus, & Universitas, jus omne, quod antea illi competeret, integrum prorsus manere propugnabat; itaque nova contentio in caussa fuit, ut plures ad menses Episcopus Apostolicarum literarum exequutionem sibi commissam distulerit, indeque anno 1732. per transactionem utrinque initam conventum fuerit, ut collatio Canonicatuum, & Beneficiorum, quæ sub tecto Ecclesiæ S. Mariæ erecta jam essent, ac deinceps fundari contingeret, ad Archipresbyterum, aliorum vero omnium intra Graniani territorium existentium ad Episcopum spectaret, pactis quibusdam quoad modum conferendi ab Archipresbytero servandum adjectis.

Vix e vivis erepto Litterensi Antistite, cum quo ita transactum fuerat, cepit Archipresbyter Nicolaus de Angelis eamdem transactionem, tamquam vi, metuque sibi extortam impugnare: Quamobrem, quum ipse, ac modernus Præsul sub annum 1734. de ea nonnihil temperanda convenissent, demissæ sacro huic consessui porrectæ fuere preces ab Archipresbytero, cæterisque Canonicis, ut pro communis tranquillitatis, & quietis bono, postremus iste transigendi modus Apostolicæ Sedis authoritate probaretur, quemadmodum præhabito clar. mem. Cardinalis de Porzia suffragio, ac Sacræ hujus Congregationis Consilio a sancta memoria Clemente XII confirmatus fuit per literas anno 1739 in forma Brevis conscriptas, quæ ab Episcopo narratum edisserunt, tum veteris controversiæ statum, tum maximum ipsius Episcopi, Archipresbyteri, & Canonicorum omnium desiderium, ut illa eo, quod mox recensebitur, pacto terminaretur.

Porro sic emendata est præcedens transactio: Nimirum, *Primò* Archipresbyter non tamquam Vicarius Generalis natus Episcopi, quemadmodum in priori concordia expressum erat, sed uti ordinarius collator posset Canonicatus, & Beneficia simplicia sub tecto Ecclesiæ Collegiatæ existentia liberè conferre, atque provisos exhibita sibi Episcopi attestatione, eaque in Collationum literis enunciata, in possessionem immittere: *Secundò* quod idem Archipresbyter uti posset quovis Actuario pro exeplendis actis collationum, ita tamen ut eorum uterque jurisdictioni Episcopi subesset in gradu appellationis: *Tertiò* quod si Archipresbyter Doctor non esset, posset Doctorem Ecclesiasticum sibi benevisum assumere: Et *Quartò* demum, quod deficiente Archipresbytero, in illius locum suffectus intelligeretur Canonicus Decanus, eodemque jure potiretur.

At, quum modernus Archipresbyter Julius de Angelis, ac si nullo omnino inita esset

ta esset transactio, primævo jure uti vellet, edictum publicasset occasione vacantis cujusdam simplicis Beneficii de jure patronatus Laicorum sub titulo S. Mariæ Ægyptiacæ in Ecclesia S. Angeli prædicti oppidi Graniani, proposita fuerunt in Congregatione diei 9. Septembris 1741. urgente Promotore Fiscali Episcopalis Curiæ tria hæc Dubia. I. *An transactio inita anno 1734., & beneplacito Apostolico munita sustineatur.* II. *An edictum publicatum per Archipresbyterum Terræ Graniani sit circumscribendum, seu potius in qua parte sustineatur in casu &c.* III. *An, & quomodo sit procedendum in collationibus Beneficiorum in casu &c.*, quibus die 23 ejusdem mensis responsum fuit: *Prævia circumscriptione edicti Archipresbyteri servandam esse concordiam anni* 1734.

De postremæ hujus transactionis viribus idem Archipresbyter Julius obtinuit postmodum ex rescripto R. P. Auditoris Sanctissimi rursus examen institui coram hac Sacra Congregatione: putat namque illam neque transactionis nomen mereri, quum revera (ut ipse inquit) nullo pacto doceri queat aliquam anno 17 4 celebratam fuisse concordiam suum inter in Archipresbyteratu Antecessorem, ac modernum Episcop m, sed illius dumtaxat, & Canonicorum nomine oblatum fuisse huic Sacræ Congregationi supplicem libellum pro impetranda confirmatione anteactæ sub annum 1732. concordiæ sub iis tamen pactis, & modis superius recitatis.

Sed & ex eo potissimum hanc, qua de agitur, immerito transactionem vocari dictitat, quod ipse anno 1737. ex resignatione a Prædecessore Nicolao de Angelis in sui favorem facta possessionem Archipresbyteratus adeptus jam esset, ante sub annum 1738., ex iis, quæ profert, documentis per protestationes in Episcopali Curia editas, per alium supplicem libellum huic sacræ Congregationi porrectum, ac per edictum ab se publicatum manifeste declaraverit se pristino, atque integro jure frui velle conferendi omnia Beneficia Territorii Graniani: Unde pateat longe a veritate abesse, quod in Apostolico Brevi subsequentis anni 1739. exprimitur de Episcopi, atque Archipresbyteri Nicolai de Angelis desiderio, ut inita inter eos transactio Pontificiæ adprobationis firmitate consisteret.

Contendit prætera, nec ratam, firmamque habenda esse transactionem, quamvis in ea celebranda ipsius Archipresbyteri consensus haudquaquam defuisse diceretur, propterea quod illa ex duabus antiquis transactionibus ab Apostolica Sede confirmatis, itidemque ex gemina sententía ab Rotæ Auditorio prolata, atque in judicatum transacta, ex subsecuta cessione litis ab Antecessore Litterensi Episcopo facta, ac demum ex Bulla erectionis Ecclesiæ Collegiatæ primæva Archipresbyteri jura reservantibus, satis appareat non super re dubia & incerta, uti natura transactionis exposcit, sed super jure claro, & indubitato fuisse interposita, nimiumque idcirco sit Archipresbyteratus dignitati perniciosa.

Quid adversus hæc oppositurus sit Litterensis Antistes, sive Promotor Episcopalis Curiæ, hucusque incompertum est: Urgente autem Archipresbytero causæ definitionem, grave non sit Eminentissimis PP. resumere folium præfatæ diei 9. Septemb. 1741., omnibusque una perpensis pronunciare,

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess. 25. c. 15. de Ref.

NARNIEN. PROFESSIONIS; Puella Maria Constantia Secchioni in vigesimo primo ætatis suæ anno Monasterium Virginum Ursulinarum Terræ Stronconii ingressa, transactis duobus, & viginti Religiosæ probationis mensibus in gravem incidit morbum; Dumque extremum fere ageret vitæ Spiritum in Abbatissæ manibus (ut ipsa testatur) Monialibus ceteris adstantibus ultro, ac sponte solemnia nuncupavit vota, impetrata prius ad id speciali Episcopi facultate, triduoque post è vita excessit.

Per

Per hanc professionem ratæ sunt Moniales propria monasterii effecta fuisse tum ea, quæ Bartholomæa Puellæ mater muliebris mundi nomine jam antea eidem Monasterio tradiderat, tum etiam dotem scutorum tercentorum totam fere variis ex locorum Piorum subsidiis conflatam, atque ex pacto utrinque convento penes tertium depositam in eum finem, ut Monasterio persolveretur statimac Puella solemnem Professionem emisisset.

Hujus propterea dotis vindicandæ gratia supplices eædem Moniales adierunt Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium negotiis præpositam: Interea vero Bartholomæa mater illas in judicium vocavit apud Tribunal R. P. D. Vicesgerentis Eminentissimi D. Cardinalis Vicarii Urbis, ab eoque irritam declarari obtinuit Religiosam Filiæ professionem *ad effectum consequendi prædictam dotem*, condemnarique Monasterium ad restitutionem sive pecuniæ, sive aliarum rerum, quas pro filia in mulieribus suppellectilis caussam acceperat.

Deinceps ex rescripto Auditoris Sanctissimi D. N. præsens controversia Sacro huic Senatui remissa est, illudque dispiciendum modo proponitur, num rite, recteque facta appareat ea, de qua sermo est Religiosa professio, ita quidem, ut Puellæ dos pleno jure fuerit Monasterio quæsita. Id porro impugnat Defensor Bartholomææ, ac piorum locorum, quæ subsidia dotalia contulerunt: inquit enim ex testimonio solius Abbatissæ haud satis idoneam confici probationem initæ professionis, vel si hæ peracta sit, eam multis nominibus irritam fore, nimirum quod edita fuerit nulla animi exploratione præhabita, in mortis articulo, & absque ordinarii præsentia, quodque magis est, nec dum præterlapso integro probationis biennio, quemadmodum in Constitutionibus Monialium Sanctæ Ursulæ confirmatis a S. M. Paulo V. per literas Decreto irritante munitas his verbis præscribitur „ Novitiæ siquidem propter sexus „ infirmitatem, & temporum malitiam ad duos annos in probatione sint &c., „ nec ipsi anni ante decimum sextum cujuscumqe earum ætatis annum finian„ tur, nec convictu cum aliis communi quoad fieri possit, sed sejunctæ licet „ intra Claustra, seorsimque a Professis utantur.

Episcopus refert Puellam Secchioni Deo se devovisse in eum modum, quem Abbatissa testatur, nihilque illius actus firmitati obstare censet, nec etiam desefectum biennii, quoniam istud quidem in Constitutionibus Ordinis præscriptum legatur, non tamen speciatim irrita fiat professio, quam annale dumtaxat probationis tempus antecesserit: generalis autem irritantis Decreti Clausula in fine literarum Summi Pontificis Pauli V. apposita non quamlibet Constitutionum partem afficiat, sed potius earum cujusque naturam famuletur ex iis, quæ tradit *Fagn. in cap.* cum accessissent 8. *n.*27. *& seqq. de Const.*, & consonant. scite deducta *per Eminentiss. D. Cardinalem Petra in commentariis ad Constitutiones Apostolicas tom.*2. *pag.*125 *n.*5.

Nondum prolata sunt jura Monialium, quibus, si adferentur, perspectis, una cum juribus Bartholomææ matris, aliorumque sibi adhærentium, definiendum erit.

An constet de validitate Professionis Constantiæ Secchioni in Monasterio S. Ursulæ Terræ Stronconii etiam ad effectum lucrandi dotem in casu &c.

Iterum proponatur.

MELPHIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Benedictus Mandina Civis Melphiensis Congregationi Clericorum Regularium S. Pauli Majoris Civitatis Neapolis nomen daturus omnia bona sua donavit Carmelio Frater, præterquam summam ducatorum 3000. simili donationis jure largitam Ecclesiæ, seu domui Redemptionis Captivorum ejusdem Civitatis Neapolis, ita quidem, ut ea pecuniæ quantitas frugi collocari deberet, quemadmodum & fructus inde provenientes, donec annui conficerentur reditus ducatorum mille. *Sess.*21. *c.*6. *de Ref.*

Ex his tercentos perpetuo erogari præcepit in Redemptionem Captivorum, septingentos vero tradi per annos septem Fratribus Ordinis Prædicatorum reformatis vel religiosis a iis a Præposito Gongregationis S. Pauli seligendis, ut ejus pecuniæ ope in Melphiæ Civitate Monasterium cum Ecclesia, ejusque ara Majori pluribus designatis Sanctorum Imaginibus ornanda construerent dotarentque; Voluit deinceps, ut finito septennio imposterum ducati biscentum tribui deberent duobus adolescentibus ejus Civitatis vel Secularibus vel Clericis de Familia Mandina, aut aliis Religiosis, qui literarum studiis operam darent, ducati vero quingenti per unumquodque biennium cederent in caussam dotium Mulierum ejusdem Familiæ Mandinæ.

Quod autem spectat ad electionem Religiosorum, & erogationem pecuniæ iis relictæ pro construendo Monasterio, statuit religiose observari debere quidquid declaraverit Congregationis S. Pauli Præpositus, ac si dispositum ab se speciatim id esset, omnemque eidem Prœposito potestatem fecit declarandi ,, tam de jure, quam de facto etiam sine scriptis, & nullo juris ordine servato sed tantum ex mera & libera ejus voluntate, ejusdemque P. Præpositi ,, determinationi, declarationi, & interpretationi quomodolibet, & quotiescumque faciendis, etiam quod de toto facto tractaretur, omnes interessati ,, quicumque sint omnibus futuris temporibus parere, & obedire debeant.

Effusa hac potestate fretus Præpositus, quum ducatis termille Domui Redemptionis Captivorum relictis pridem jam incrementum accesserit annui reditus ducatorum mille, neque secundum pii Fundatoris voluntatem, vel Fratres Ordinis Prædicatorum Reformati, vel alii Religiosi Congregationis nimirum Virginianæ ab eodem Præpositi electi Monasterium extruxerint obsistentibus in id Clero, Universitate, ac etiam Dominio Temporali Civitatis Melphiæ, supplex postulavit ratam, firmamque ab hoc Sacro Senatu habitam iri eam piæ voluntatis declarationem, sive determinationem a se factam commutandi opus Monasterii Regularium in alterum opus subveniendi non quidem Seminario Puerorum Civitatis Melphiæ, ut ejus Rector exposcit sed iis Mulieribus, quæ meretricio questu abjecto ad bonam redeant frugem.

At vero hujus Seminarii Rector parum, aut nihil Melphiæ civibus profuturam esse inquiens eam, quam intendit Præpositus, operis commutationem, quum illic omnino desint ejus generis personæ subsidium recepturæ, æquius, & utilius esse proponit, si pecunia in erigendi Monasterii caussam destinata tribuatur Seminario, quod etsi ab anno 1664. suum ducat initium, nunc usque tamen adeo modicas habet facultates, ut ne propriis quidem instructum sit ædibus ad Alumnorum habitationem, rectamque educationem idoneis, & Episcopus eos in quadam Episcopalis Palatii parte detinere cogatur non sine magno ipsorum incommodo, summoque negligendæ in scientia & moribus optimæ institutionis periculo.

Conformius quoque id esse existimant Donatoris voluntati, quoniam, & Seminarii opus affine plurimum sit alteri Monasterii, & donator ipse perpetua in annos singulos ducatorum biscentum præstatione honestari voluerint unum, & alterum Civem studiorum caussa: Unde multo libentius, si de erigendo Seminario incidisset cogitatio, congruæ illi subventionis beneficia contulisset præsertim quum in Seminario æque ac Monasterio adimpleri facile queant onera ab ipso Donatore injuncta erigendi Altaris sacris, quas exoptarat, Imaginibus ornati, celebrandæ quæ præterea Missæ, ac recitandi, quod solent, divini Officii.

Episcopus in sua Relatione ex caussis superius expositis in eamdem pro Seminario venit sententiam, testaturque novam Monasterii fundationem fere impossibilem esse, ac frustra in eam rem conatus omnes olim jam fuisse adhibitos sive a FF. Ordinis Prædicatorum Reformatis, sive a Religiosis aliis Congregationis Virginiane ob vehementem contradictionem totius Cleri, & populi Civitatis, quippe quæ septem antiquis Regularium Monasteriis referta

ta sit prisca etiam longe numerosiori populi ætate haud plura desiderantibus.

Admoniti, ut jura sua deducerent, Præpositus Congregationis S. Pauli, Prior Conventus S. Severi Ordinis Prædicatorum Reformati, & Abbas Congregationis Virginianæ nihil hactenus protulerunt: Urgente itaque Seminarii Rectore Dubium proponitur.

An sit commutanda voluntas Benedicti Mandini, itaut Capitale ducatorum 4900. sit applicandum Seminario Melphien. in casu &c.

Affirmative.

RECINETEN. CAPPELLANIÆ. Pompejus Hieronymus Mariotti sub annum 1731. testamentum ita scripsit,, Istituisco miei eredi universali per ,, ugual porzione Carlo Mariotti mio Fratello, e Maria Antonia mia Sorella, e seguita la morte d'ambi essi eredi istituiti, sostituisco in detta mia ,, eredità l'infrascritta opera mia, o Cappellanie, a' quali eredi come sopra ,, istituiti, e sostituiti adesso per quando verrà il caso della mia morte, e re- ,, spettivamente sarà fatto luogo alla erezione di detta opera pia dò amplis- ,, sima facoltà di prendere, o continuare il possesso de' miei beni di loro au- ,, torità senza alcun decreto, o fatto di Giudice; e dopo la morte delli sud. ,, Carlo Mariotti, e Maria Antonia adesso per allora istituisco, eriggo, e ,, fondo due Cappellanie meramente laicali, amovibili ad nutum anche senza ,, veruna causa con obligo a' Cappellani pro tempore di celebrare in quella ,, Chiesa, che a'medesimi parerà, dentro però questa Città di Recanati Messe ,, sei in ogni settimana in suffragio dell'Anima mia, e de' miei Antenati. *Sess.21. c.1. de ref.*

Jus vero perpetuum nominandi Cappellanos hosce ad nutum amovibiles æquis partibus spectare voluit ad proximiorem Consanguineum ex stirpe Caroli Mariotti patris sui descendentem, & ad Priorem Confraternitatis S Caroli in ipsa Recineti Civitate erectæ,, Con dichiarazione però, che se fra li discen- ,, denti di Carlo Mariotti mio Padre vi sarà qualche Chierico capace di buona ,, vita, e costumi debba esser sempre preferito a qualunque estraneo benchè ,, Sacerdote con ordine di conferirglisi dette Cappellanie, o alcuna di esse sua ,, vita durante per potersi ordinare in Sacris.

Ex heredibus institutis sola nunc superest præfata Maria Antonia Testatoris Soror septuaginta jam & septem fere annorum ætatem agens. Quocirca Fr Dominicus Antonius Lupi ex Maria Catharina altera Testatoris Pompei Sorore Nepos, atque Conventus Recinetensis Ordinis Min. Conventualium Familiæ adscriptus, proxime iminentem considerans erigendæ duplicis Cappellaniæ casum, supplicavit S. D. N., ut Sacræ hujus Congregationis arbitrio, committere dignaretur dispensationis gratiam, qua ipse velut Clericus propinquior defuncto Testatori cognatus sublato quoque Regularis sui status obstaculo capax sit obtinendi nomine Recietnensis Conventus pro alio Sacerdote remotioris gradus consanguineo memoratas Cappellanias, ut harum ope suppetias aliquas ferre queat magnæ egestati tum eorum, qui & sibi & Testatori sanguine conjuncti sunt, tum proprii Conventus nuperrime a terremotu concussi.

Quum autem ejusmodi preces simpliciter fuerint ad hanc Sacram Congregationem rejectæ, bina hodierno examini subiiciuntur Dubia, quorum uni, vel alteri, consentaneum suæ petitioni responsum ferre sibi blanditur Orator ex eo potissime, quod recitata testamenti verba perspicuam reddant avunculi sui voluntatem erigendi meras Cappellanias Laicales, non vero Ecclesiastica beneficia; inde enim putat haudquaquam officere sibi posse vulgatam illam Pontifici juris sanctionem, qua cautum est, Regularia Beneficia Regularibus, Sæcularia Clericis Sæcularibus debere conferri.

Vicarius Generalis Episcopi Sacram Congregationem auditis iis, quorum intererat, instructam reddere jussi, dum iste occasione visitationis SS. Liminum in

in Urbe moram trahebat, relationem suam transmisit, in qua confirmans quidquid in precibus Oratoris expositum fuerat, unam præterea exhibuit perpendendam facti circumstantiam, nimirum, quod Maria Livia Testatoris Pompeii ex fratre Carolo nepti haud contenta legato ususfructus cujusdam prædii, & annuæ præstationis octo scutorum sibi relicto causam in Episcopali Curia dudum instituerit, eamque nunc acrius prosequatur in Tribunali A. C. pro vindicanda dimidia bonorum hereditariorum parte, quam sibi debitam adserit ex jure universalis Communioni, quæ inter patrem Carolum, ac patruum Pompejum intercesserit; Huic vero liti eadem Maria Livia ultro, libenterque cessura sit, dummodo ex benigna Sacræ Congregationis dispensatione Orator ad Capellanias nominari queant. Ab ipso enim, sive a Conventu S. Francisci opportunum aliquod vitæ non incommode transigendæ subsidium facile consecutur in se fore confidit.

Quamquam vero hisce perspectis idem Vicarius Generalis non dubius suffragetur precibus Fratris Dominici apposite memorans neminem alium sive proximiorem, sive æqualem adesse, qui ex linea prædilecta ad Cappellanias vocata possit Ecclesiasticæ Militiæ nomen dare, & ad earum alterutrius titulum Sacris Ordinibus initiari, attamen non tacet, Recineti degere Simeonem Mucciolini pluribus ab hinc annis jam Sacerdotem, qui remotiori licet gradu distet a stipite per Testatorem designato, nimirum a Carolo Mariotti, ei tamen sanguine conjunctus esse comperitur, quum filius sit Neptis ejusdem Caroli. Et porro hic ipse, Simeon Mucciolini haud diu post exhibitas a Fratre Dominico preces, de quibus agitur, sua interesse putans, ne iis annueretur, curavit apponi in Secretaria hujus Sacræ Congregationis judiciarium illud impedimentum, quod vocant, *nihil transeant*, ut causa hæc ipso non citato minime proponeretur. Quum autem juridica hæc actio fuerit jam expleta, neque hactenus compertum sit, num ille modo velit partes contradictoris agere, onus erit Eminentissimorum PP., utcumque res accidat, sapientissimo, quo solent, consilio declarare.

I. *An ad effectum succedendi in Cappellaniis erectis a Pompejo Mariotti, obstet Fr. Domico Antonio Lupi Minori Conventuali qualitas Regularis*, & quatenus affirmative.

II. *An eidem sit concedenda dispensatio*.

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative, & amplius.

Sess.8. c.7. & sess.21.c.8. & sess.25.c.11 de ref.

MILITEN. JURISDICTIONIS. Duo intra fines Diœcesis Miletensis reperiuntur oppida *Melicu ca*, & *Drusium* nuncupata, quæ Sacræ Religioni Hierosolymitanæ, ejusque Commendatariis quoad temporalia subjacent: Num vero iisdem, vel Episcopo Miletensi in spiritualibus subjecta sint a multò jam tempore disceptatum est.

Anno siquidem 1586. quum aliqua id genus contentio inter Episcopum, & Religionem exorta fuisset, Sacra hæc Congregatio rescripsit eidem Episcopo „ Fratres Hierosolymitanos, eorumve Ministros non habere facultatem literas di„ missorias Clericis secularibus concedendi, sed id pertinere ad Episcopum, „ intra cujus Diœcesis fines sitæ sunt Abbatiæ eisdem Fratribus commendatæ „ Et Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis præposita sub eumdem annum 1586. respondit ipsi Antistiti, ne abstineret a visitandis Ecclesiis in sua Diœcesi existentibus Religioni Hierosolymitanæ subjectis tum ex facultate sibi a Sacro Tridentino Concilio tributa, tum juxta Constitutiones Sancti Pii V. & Gregorii XIII.; & rursus anno 1588. Sacra hæc eadem Congregatio alias dedit Præsuli memorato literas, quibus declaravit, Ecclesiam de qua tunc disputabatur, *visitandum esse ab Episcopo ex cap.7. & 8. Sess.8. & cap. item 8. Sess.21. Conc. Trid.*, itidemque ab ipso visitari posse Abbatias, in qui„ bus non viget regularibus observantia, & item Grancias, quas dicunt, qui„ bus

„ bus a ſecularibus deſervitur , vel quæ ſunt ſub poteſtate Commen-
„ datarii.

Præterea quædam comperitur ſub diem 6. Aprilis 1756. a Sac. Congregatione Epiſcoporum & Regularium edita reſolutio, qua pronunciatum fuit: „ quoad „ ſummariſſimum poſſeſſorium Epiſcopum manutenendum eſſe in poſſeſſione „ approbandi Confeſſarios, concedendi licentias, audiendi Confeſſiones, & re- „ ſervandi abſolutiones quorumdam caſuum in locis prædictis Druſiæ, & „ Melicucca „: Cumque poſthac conqueſtus fuiſſet Epiſcopus, Parochos in dictis locis a Commendatariis electos renuiſſe intereſſe Synodo, eoſdemque craſſa laborare ignorantia, indeque timendum fore detrimentum animarum, quibus ipſi Sacramenta miniſtrabant, Sacra Congregatio Concilii die 20. Decembris 1692. reſpondit „ Epiſcopum uti debere jure delegato juxta præſcri- „ ptum a Sac. Concilio Tridentino *cap.* 11. *Seſſ.* 25. de regularibus, & contenta „ in Bullis S. M. Pii V. & Gregorii XV.

Ad hæc dolente Commendatario, quod Epiſcopus viſitatione ſuſpenſa, Confeſſariis ab Officio interdictis, ceteriſque omnibus, ut ajebat juriſdictionalibus ſublati alterum ex dictis Oppidis reliquerit ſine iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, proindeque ſuper his providere poſtulante, ſacer iſte Conſeſſus die 6. Auguſti 1695. „ commiſit Epiſcopo Oppidenſi, uti viciniori, ut ſine præ- „ judicio jurium utrique Patri quomodolibet competentium, & quatenus Epi- „ ſcopus Miletenſis nondum viſitationem inceperit, pro nunc etiam auctori- „ tate Sacræ Congregationis viſitet, ac ſervatis ſervandis, prout juris erit, „ provideat.

Nuper vero, quum modernus Miletenſis Epiſcopus in Sacra, quam aggreſſus fuerat, viſitatione dictarum Terrarum Druſii. & Melicucca, plura ſibi a Commendatoribus, ſive eorum Vicariis allata experiretur impedimenta, quominus ordinariam juriſdictionem in Clerum, & Populum, delegatam vero in Eccleſias, & Perſonas exemptas ad ſe, uti contendit, privative ſpectantes, exerceret, curavit nomine Promotoris Fiſcalis ſuæ Curiæ ſupplicem ſacro huic Senatui exhiberi libellum, quo rogabatur ad avertenda crebra nimis ſingularum iſtarum litium incommoda ſervato tandem juris ordine nedum pronunciari, perperam dictos Commendatarios ſibi adſtruere juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in præfatis Oppidis veluti a Diœceſi Miletenſi diſſectis, ac territorium ſeparatum conſtituentibus, verum etiam interea temporis, donec litigium iſtud conficeretur, manuteneri Epiſcopum in poſſeſſione exercendi jurisdictionem ordinariam, & reſpective delegatam, ne ſæpedicti Commendatarii, eorumve Vicarii perſumerent amplius (quod aliquando celatim feciſſe dicebantur,) Literas dimiſſoriales ordinandis concedere, facultatem excipiendi Sacramentales Confeſſiones Sacerdotibus ſibi beneviſis cum aliquorum caſuum reſervatione impertiri, contrahentes quoſcumque a juramentis abſolvere, concionandi licentiam tribuere, publicas, Solemneſque Sanctiſſimi Sacramenti Expoſitiones, & alia id genus proprio arbitratu permittere.

Quum autem ſuper hiſce Epiſcopalis Curiæ poſtulationibus cenſuerit S. Congr. audiendos eſſe Commendatarios; iis vero autumarent, controverſiæ hujus cognitionem ſive ad Tribunal A. C., ſive ad Rotæ Auditorium eſſe remittendam, & idipſum quoque tueretur Hieroſolymitana Religio, quæ voluit ad ejuſdem cauſæ defenſionem admitti, Sanctiſſimus D. N. in Signatura gratiæ habita die 29. Januarii currentis anni, cui contentioni hujus deciſio fuerat reſervata, ſapientiſſime jus dicens, hoc pronunciavit reſponſum „ Quoad Territorium „ ſeparatum ad Congregationem Concilii, quæ procedat cum voto Rotæ præ- „ viis duabus deciſionibus, & videntibus omnibus; In reliquis ad eamdem „ Congregationem etiam ad effectum manutentionis.

Ad tramites igitur Pontificii hujus reſcripti poſtulante Epiſcopo de omnibus, & ſingulis actibus in queſtionem deductis ad enunciatum præſertim controverſæ manutentionis effectum ab hac Sacra Congregatione cognoſci, concordatum poſtre-

postremo fuit inter Partes, ut decem, & septem dubia mox describenda hodierno Eminentissimorum PP examini subjicerentur.

I. An in omnibus, & singulis actibus Jurisdictionalibus sit concedenda manutentio Episcopo Miletensi in locis Drusii, & Melicuccæ, seu potius Commendatariis, & quatenus negative quoad omnes, an saltem in sequentibus?

II. An in collatione Ordinum, & concessione literarum dimissorialium, nec non in jure recipiendi probationes super omnibus requisitis Ordinandorum, faciendi publicationes relaxandi edicta, & examinandi testes super verificatione illorum tituli, vel Patrimonii sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis, eorumque Vicariis in ca u &c.

III. An in jure approbandi, & concedendi licentiam audiendi Confessiones, nec non reservandi quosdam casus sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatriis?

IV. An in jure approbandi Prædicatores in dictis commendis, expediendi literas Patentales, & concedendi licentias, & respective impertiendi eisdem benedictionem sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatarariis.

V. An in jure absolvendi a Juramentis tam Cives, & Incolas eorumdem locorum, quam alios Diœcesis Mileten ad effectum agendi, & excipiendi in Judiciis, & quidem privative in omnibus quoad asserios Vicarios Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo.

VI. An in jure concedendi licentiam pro expositione Sanctissimi Sacramenti tam in Ecclesiis Parochialibus quam in aliis dictarum Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis.

VII. An in jure visitandi Ecclesias Parochiales, aliasque omnes dd Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

VIII. An in jure visitandi Clerum earumdem Commendarum quoad scientiam, mores, & vestes Sacras, & prophanas, ac desuper edendi decreta pro honestate Vitæ Clericorum, eorumque institutione sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendariis?

IX. An in exercitio omnimodæ suæ Jurisdictionis tam in visitatione, quam extra nedum contra omnes, & singulos de Clero non habentes tria requisita Concilii, sed etiam contra Cappellanos Curatos destiutos eisdem tribus rerequisitis tam in concernentibus, quam Curam Animarum, & administrationem Sacramentorum, quam, in omnibus aliis sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

X. An in exercitio ejusdem Juridictionis quoad Populum, & Laicos non habentes dicta tria requisita in his, quæ pertinent ad Forum Ecclesiasticum, & Episcopale sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatarii?

XI. An similiter in Exercitio illius Jurisdictionis, quæ de jure, & ex Concilio competit Episcopis super Regulares, eorumque Ecclesias existentes in dictis Commendis concedenda sit manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis,

XII. An in jure cogendi Cappellanos Curatos, dictarum Commendarum ad interveniend. Diœcesanæ Synodo, ejusque Constitutiones observandas sit concedenda manutentio Episcopo.

XIII. An in jure exigendi taxam Seminarii ex Beneficiis erectis, in dictis Commendis debeatur Munutentio Episcopo?

XIV. An in jure cognoscendi Causas Civiles, Criminales, mixtas, Beneficiales, & Matrimoniales dictarum Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

XV. An in jure exigendi rationes administrationis singulis annis a Procuratoribus Ecclesiarum, & Cappellarum, aliisque administratoribus locorum Piorum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

XVI. An

XVI. An in jure convocandi concursum occasione providendi Ecclesias Parochiales earumdem Commendarum, *& quatenus negative quoad Concursum.*
XVII. An saltem in jure examinandi, & approbandi Vicarios Curatos, qui deputantur a Commendatariis debeatur manutentio Episcopo?

Dilata ad primam post proximam, & proponatur omnino etiam unica.

GADICEN. SEU HISPALEN. ORDINATIONIS. Ad duo hæc dubia: I. *An Sacerdos Joseph Franciscus Zuniga potuerit a quocumque Antistite licite ordinari cum Dimissoriis magni Prioris Religionis Hierosolymitanæ Regni Castellæ, seu Commendatarii de Acre, aut alterius superioris Ordinarii dictæ Commendæ, vel potius illicite, itaut incurrerit suspensionem,* & quatenus affirmative quoad secundam partem: II. *An sit locus dispensationi ad cautelam, seu an, & quomodo sit providendum in casu &c.* Eminentissimi PP. die 20. Januarii superioris anni responderunt ,, Sacerdotem Zuniga ,, fuisse illicite ordinatum, & incurrisse suspensionem ob non servatam formam Bullæ *Speculatores*, ideoque indigere absolutione, & ad Episcopum ,, Gadicensem ejus arbitrio. Sess. 23. c. 10. de Ref.

Quum autem huic resolutioni non adquieverit præfatus Zuniga, facta fuit illi potestas postulandi recessum a decisis, quem porro novis quibusdam allatis documentis impetrare sategit sub diem 24. Novembris ejusdem mox præteriti anni; sed Capitulo Cathedralis Civitatensis, ad cujus obnitentis petitionem prodierit memoratum rescriptum demisse tunc exoranti illi nullam capi contrariam resolutionem, donec alia quædam jura opponenda monumentis a Zuniga recens productis exhiberentur, benigne annuit sacer iste Consessus congruum ad id tempus indulgens. Jam vero præces suas enixe repetente Josepho Francisco Zuniga oportet definire.
An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Die Sabb. 13. Junii 1743.

DIgnentur Eminentissimi PP. tres Causas priori loco descriptas, quarum resolutio in novissima Congregatione diei 23. Junii proxime præteriti fuit ad hodiernam dilatam, sapientissimo, quo solent, judicio definire.

ANCONITANA CANONICATUS. Sess. 24. c. 12. de ref.
I. *An bona præbendalia ultimo possessa per q. Canonicum Ruffini optari potuerint, & possint per Canonicum Tommasi;* & quatenus affirmative.
II. *An fructus eorumdem bonorum a die factæ optionis debeantur eidem Canonico Tommasi, seu potius Canonico Vecchioni in casu &c.*

Dilata, & coadjuventur probationes hinc inde.

LITTEREN. CONCORDIÆ. Sess. 6. c. 1. & Sess. 25. c. 6. de ref.
An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.25.c.10. de Ref.

GADICEN. SEU HISPALEN. ORDINATIONIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Pro absolutione ad cautelam.

Sess.24. c.18. de ref.

PERUSINA REMOTIONIS VICARII, SIVE CAPPELLANI CURATI. Quoniam Sacra hæc Congregatio quoad Vicarios Parochialium Ecclesiarum Monasterio S Petri Civitatis Perusiæ Congregationis Cassinensis unitarum edixerat observandam esset constitutionem Pianam, Abbas, & Monachi supplicarunt S. M. Gregorio XIII., ut declarare dignaretur iisdem Parochialibus Ecclesiis numero decem ,, posse deservili per Presbyteros Sæculares ,, Vicarios ad nutum Superiorum amovibiles ab Episcopo approbandos cum ,, assignatione honestæ portionis, quæ Superioribus monasterii, & Vicariis ,, ipsis placuerit ,. non autem præficiendos esse unicuique Parochiali Ecclesiæ, vel duos Monacos, vel Sæculares Vicarios perpetuos, ne, si primum fieret, divini cultus ratio in Ecclesia Monasterii plurimum descresceret, atque negligeretur, si alterum, ipsius Monasterii Mensa graveretur onere præstandi scuta 50 pro congrua cujusque Vicarii portione, præter alia onera Hospitalitatis, Eleemosynæ, quartæ partis fructuum, & quindenniorum, quæ propter Parochiales Ecclesias Monasterium singulis annis Rev. Cam. Apostolicæ contribuit, ac demum subsidii quatuor mille scutorum Congregationibus Regularium a S. Sede impositi.

In ejusmodi autem Supplicationis Calce extare præfertur Rescriptum Summi Pontificis a Cl Mem Cardinali Morono Congregationis Cassinensis tunc Protectore his verbis expressum ,, Hodie facto verbo cum Sanctissimo placuit Sanctitati Suæ supradictam petitionem concedere, & ita observari, prout hactenus observatum fuit, ut quod presbyteri Sæculares Vicarii ad nutum ,, Superiorum amovibiles, ut supra, deputentur, approbati tamen ab Episcopo Ordinario ,, . At de ipsius Rescripti veritate aliquando dubitatum fuisse argumento est Epistola Clar Mem Cardinalis Caraffa Sacræ hujus Congregationis Præfecti sub diem 4. Maii 1590 ad Episcopum scripta ,, Circa la deputatione (sunt verba Epistolæ) de i Vicarj a i Benefici uniti al Monastero di ,, S Pietro, quando a V. S. legittimamente costi della mente di Papa Gregorio di felice memoria per fede sottoscritta dal Cardinal Moroni di bon. ,, mem. Protettore allora di detta Congregatione, non ha dubbio, che V.S. ,, deve eseguire il sopradetto ordine, e prestar credito alla detta fede, lasciando, che in detti Benefizi si deputino Vicari amovibili ad nutum Superiorum ,, Regularium ,,: Hujus quidem Epistolæ exemplar transcriptum legitur in Cassinensi Bullario sub *tit. Const* 235. *pag.*256. *tom.*1.

His ita præhabitis, quæ plurimum conferre possent ad decisionem Dubii inferius descripti, species facti, unde oritur quæstio, nunc est referenda. Sacerdos Franciscus Sarri in precibus S. C nuper oblatis exposuit, se post obtentam anno 1730 ad nominationem Abbatis Cappellaniam, cui animarum cura Parochialis Ecclesiæ S Gualterii Castri Casalinæ adheret, omnia Parochi munia non modo sine ulla cujuspiam offensione, verum etiam magna cum sedulitate, & laude, nec modico ære in supellectilium sacrarum caussam, ædiumque Parochialium utilitatem collato, ad præsens usque fere tempus ibidem exegisse, novissime vero nulla quidem ex caussa, sed ex proprio Abbatis arbitrio, ac solo alterius Sacerdotis gratificandi studio fuisse ab ejus Ecclesiæ regimine amotum; Quocirca supplicavit, ad pristinum Vicarii, quo deturbatus fuit, officium restitui.

Super hisce Sacerdotis Sarri precibus consuetæ datæ sunt literæ Episcopo, ut de re in iis contenta Sacram Congregationem instrueret audito Abbate Monasterii S. Petri Jussa fecit Episcopus, suamque Relationem transmisit una cum ratio-

rationum momentis, tum ab ipso Sacerdote Sarri, tum etiam ab Abbate scripto sibi exhibitis. In his ab Abbate prætexitur immemorabilis consuetudo eligendi pro administrandis Parochialibus Ecclesiis Monasterio subjectis novem, & decem Cappellanos, sive Vicarios *amovibiles tamen ad nutum etiam sine caussa*, atque annuatim ab eo, si id visum fuerit, confirmandos, quemadmodum in formula literarum electionis hujusmodi exprimitur, similesque electionis, & confirmationis actus ab anno 1683. ad annum 1742. in autentico Monasterii libro servari testantur duo Notarii, iidemque Actuarii ejusdem Monasterii.

Contra vero Sacerdos Franciscus Sarri edifferit haudquaquam recte probari posse liberam hanc facultatem, & consuetudinem removendi sine caussa Vicarios, eamque nimium perniciosam esse bono Ecclesiarum regimini, dum ob ipsam, quam Monachi sibi adserunt, effrænem removendi licentiam, atque etiam tenuissimum stipendium Vicariis præstari solitum vix ac ne vix quidem ullus idoneus Clericus earum Ecclesiarum curam suscipere velit.

Episcopus quoque in sua relatione significat eam, quam Abbas velut unicum rationis momentum sibi exposuit, immemorabilem consuetudinem, si vera esset, nimium a juris præscripto aberrare, & spirituali animarum bono non parum obesse. Difficilem vero futuram sibi videri illius consuetudinis probationem; quoniam si Vicarii aliquando ab Ecclesiis abscesserint, id sponte potius fecisse dicendum sit, quam quod sine caussa fuerint expulsi: literæ autem electionis, quas ab Abbate iidem Vicarii obtinent, etsi legem amovibilitatis ad nutum etiam sine caussa præseferant, validum tamen præbere nequeant ejus juris, vel consuetudinis argumentum, quum illæ sub ea formula conscribantur nulla contradicente parte, neque a Ministris Episcopalis Curiæ accurate spectari soleant, vel in actis Cancellariæ intarseri, ac fortasse etiam dissimulatæ fuerint pro bono pacis, & ad evitandas contentiones.

Ob hunc vero pacis amorem censit idem Episcopus ita dirimi nunc posse præsentem controversiam, ut Sacerdos Sarri consilium capiat dimittendi sua sponte parochialem Ecclesiam Casalinæ, ipse vero eodem tempore nominationem alterius Parochialis Ecclesiæ, vel congruam aliam compensationem ab Abbate obtineat: At inposterum interdicendus sit Abbas, ne quempiam a sua Parochiali Ecclesia removeat, nisi legitima ejus rei caussa concurrat.

Recte tamen, & juste Sacerdoti Sarri ademptum ab se fuisse pristinum Vicarii officium Abbas contendit in juribus, quæ nunc ejus nomine proferuntur; quoniam, etsi aliqua necessaria fuisset amotionis caussa, hanc satis exhibeant plures attestationes varia quędam ipsius Sacerdotis dicta, vel facta renunciantes minus composita, & scandali occasionem populo ingruentia, tum etiam aliæ attestationes quorumdam ajentium se testimonium de bonis prædicti Sacerdotis moribus numquam edituros fuisse, quemadmodum ejus rogatu fecerant, si novissent illud in hujus causæ præsidium ab eo conquisitum fuisse.

Verum, quamquam nulla extaret dimittendi Vicarii caussa, pro hac tamen liberum sui met ipsius arbitrium, & voluntatem sufficere existimat, ut integrum sibi esse putet, quando libeat, Presbyteros seculares ad regendam animarum curam in Parochiali Ecclesia Casalinæ, ut & in aliis Monasterio subjectis eligere, vel de officio movere: Id namque jus facultati a san. mem. Gregorio XIII. attributæ, tum etiam antiquissimæ consuetudini deputandi Presbyteros seculares *ad nutum Superiorum amovibiles* consectarium esse videtur ex iis, quæ de amovibilibus, & temporaneis Vicariis, sive Cappellanis Curatis Ecclesiarum, quæ unitæ sint Capitulo, Monasterio, vel Dignitati tradunt cum aliis *Fagnan. in cap. cum ad Monaste-*

rium num.38. de st it. monach., *Garz. de benefi. part.1. cap.2. num.85. & seqq.*, & late materiam hanc tractans, & varios casus distinguens *Card. de Luc. de benefic. disc.80. num.5. & seqq. Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. Canonic. tom.3. addit.19.*, *& Pargn. de jurep. par.2. can.11. cas.4. num.6.*, quibus frequentes consonant Rotæ Decisiones *cor. Peutinger. decis.15. & 53. cor. Caril. dec.96. num.1. cor. Molin. dec.1082. num.30. & seq. tom.4.*, *& in Bononien. Amovibilitatis Cappellani super bono jure 14. Junii 1728. § Firma igitur cor. R. P. D. Crescentio*, ubi ita quoque declaratum asseritur ab hac S. Congreg. *in una Toletana 17. No .1725.*

Hæc, quæ generatim de quocumque Vicario Curato amovibili, & temporario traduntur, facilius locum habere authumat ipse Abbas, quando Vicarius Curatus amoveri potest *ad nutum*, quasi vox ista liberam omnino, & absolutam voluntatem significans vix coerceri posse videatur intra solos justæ, ac legitimæ caussæ limites; atque itidem quando Vicarius Curatus, ut in casu acceptavit literas suæ nominationis, sive electionis expressam amovibilitatis legem *etiam sine caussa* præseferentes, prout utramque hanc circumstantiam expendunt *Garzias*, *& Scarfanton. locis superius citatis Piton. de controv. patron. alleg.100. in supplem. sub n.40. 41. & 51.*, & allegatæ Decisiones Rotæ *cor. Peutinger.*, *cor. Carill.*, *& cor. Molin. d. decision.1082. n.32.*

Si quæ vero extant Sacræ hujus Congregationis resolutiones denegantes facultatem dimitten i pro libito Cappellanos Curatos, eas respondet Abbas intelligi oportere de Vicariis amovibilibus quidem, non tamen *ad nutum*, quorumque nominatio non ad Abbatem, Monasterium, vel Dignitatem aliquam, cui subjecta sit Parochialis Ecclesia, sed ad personas Laicas, nempe Communitatem, Patronum, aut Confraternitatem pertineat, ut hunc casum distinguunt ipse *Card. de Luca de benef. d. disc.80. num.5. & seqq. Fargn. de Jurep. part.2 can.21. cas.3. n. 2. & 3.*

At, num hæc responsio cohæreat cum iisdem S. Congrg. resolutionibus haud satis istæ declarant.

Testantur quidem citati *Fagnan.*, atque *Garzias* rescriptum in una *Civitatensi* fuisse, Vicarios in Ecclesiis Parochialibus Capitulo unitis constitutos posse ab eodem Capitulo removeri ad nutum, ab Ordinario autem nonnisi ex caussa legitima, atque probata, propter quam possent amoveri, etiamsi essent perpetui: Atque e diverso in *Spoletana Juris amovendi Curatum* proposito sub diem 8 Julii 1713 hoc Dubio -- *An liceat Communitati* (quæ nominare solebat Cappellanum pro exercitio curæ animarum amovibiliter) *amovere Cappellanum, seu Curatum ad nutum, seu potius ex causa*, rescriptum fuit -- *Negative sed tantum ex causa approbanda ab Episcopo*, ut in *lib.63. decr. pag.287.*; Idemque responsum fuit in alia *Spoletana* inter summaria precum sub die 1. Decembris 1731. & 8. Martii 1732.

Verum in una *Toletana* 17. Novembris 1725, quum Parochus Ecclesiæ Sanctæ Crucis, significatis prius Ordinario causis, alium Sacerdotem substituisset in locum Joannis Alvarez, quem in suum adjutorem adsumpserat pro exercitio curæ animarum *ad merum* ipsius Parochi *beneplacitum*, atque idem Joannes de hac sua remotione conquereretur, disputatum fuit in genere dubium -- *An Parochus in amotione Sacerdotis assumpti in adiutorium pro exercitio curæ animarum teneatur ipso instante caussam amotionis exprimere, & justificare in casu &c.*, nilque aliud rescriptum apparet, quam -- *Ad D. Secretarium juxta mentem.*

In alia *Civitatis Plebis juris removendi Curatum* de Vicario, quem in Ecclesia Parochiali ad Commendam Sac. Ordinis Hierosolymitani spectante Commendatarius non perpetuo, sed amovibiliter consuevit eligere, & nominare, propositum fuit Dubium -- *An liceat Commendatario removere Cap-*

Cappellanum Curatum arbitrio suo, seu potius dumtaxat ex caussa ab Episcopo approbanda in casu &c., & Sacra Congregatio die 19 Julii 1732 rescripsit -- *Dilata, & ad mentem*, die vero 27. Septembris illius anni. *In casu, de quo agitur, esse locum deputationi alterius Cappellani.*

His omnibus perpensis, eoque pariter, num facultas deputandi Vicarios amovibiles ad nutum a san. mem. Gregorio XIII. Abbati concessa, ad hanc quoque Parochialem Ecclesiam Casalinæ, qua de agitur, referenda sit, determinare oportet.

An remotio Francisci Sarri a Parochia nuncupat. della Casalina facta ab Abbate S. Petri de Perusia sustineatur in casu &c.

Dilata ad sequentem.

URGELLEN. ORDINATIONIS, Bonifacius de Ferrer, & Senioan Clericali primum Tonsura sub annum 1732.; deinceps uno, & altero die mensis Junii 1737. minoribus quatuor ordinibus itidemque sacro Subdiaconatus Ordine initiatus est ab Prædecessore Præsule suo non quidem ex titulo Ecclesiastici Beneficii, quo tunc potiebatur in Ecclesia Collegiata Villæ de Tremp, velut minus idoneo, sed ex titulo patrimonii sacri per publicum instrumentum a Josepho de Ferrer, & de Vigo ejus patre constituti in annua pensione octuaginta Librarum Barchinonensium super omnibus, ac singulis bonis, & speciatim super duobus prædiis *la Torre*, & *Pla de Palau*, facta ipsi Bonifacio potestate percipiendæ hujus annuæ pensionis ex fructibus eorumdem prædiorum; Quam quidem Patrimonii constitutionem præfatus Episcopus peculiari decreto approbavit. *Sess.21. c.2. de ref.*

Petiit deinde Bonifacius a moderno Antistite se ad reliquos Diaconatus, & Presbyteratus Ordines promoveri, sed eum votis suis abnuentem invenit; Quamobrem demissas Sacræ huic Congregationi obtulit preces, ut vel Dimissoriales Literas sibi dari pro suscipiendis in Urbe, ubi nunc degit, iisdem Sacris Ordinibus, vel earum denegandarum caussam ab Episcopo significari decerneret, conquestusque in iis precibus fuit de gravi detrimento ex hac Episcopi contradictione sibi irrogato, quum Sacerdotii expers coactus fuerit jacturam facere pinguis Prioratus, nec frui etiam num queat jure percipiendi quotidianas distributiones in prædicta Collegiata Ecclesia Villæ de Tremp.

Auditus Episcopus renunciavit, se Bonifacio parcere, quod absque Testimonialibus suis literis e Diœcesi abscesserit, eum tamen Diaconatus, & Sacerdotii gradu minime donasse, quod, præter alia, legitime sibi constiterit patrimonii titulum haud rite, & recte servata Synodi Tridentinæ forma constitutum fuisse: Inanes propterea querelas a Bonifacio proponi ejus damni, quod inde sibi obvenerit, maxime quum jus illud percipiendi quotidianas distributiones in Collegiata Ecclesia a libero prorsus Canonicorum, & Beneficiariorum residentium arbitrio pendeat, Prioratus vero, quem is amissum deplorat, sit ad nutum amovibilis.

At vero Orator præter complura documenta de Philosophiæ, ac Theologiæ studio ab se peracto, deque nobili ejus genere, ac moribus ad optimam Ecclesiastici viri formam compositis profert attestationem Emanuelis de Berenguer ajentis illum ad Urbem profecturum Præsuli suo tunc in ipsius Emanuelis domo versanti ore, & scriptis supplicasse pro impetrandis Testimonialibus Literis, atque tunc quidem Episcopum eas se omni comitate fuisse pollicitum, transactis vero quatuor, vel quinque diebus contrarium supplicationi Decretum scripsisse; Hujus rei, uti & denegatæ Ordinationis caussam tribuendam esse inquit soli infenso animo, quo Episcopus prosequi cæpit Josephum de Ferrer patrem suum, omnemque ipsius familiam,

 quando

quando Canonicus Petrus de Ferrer unus ex suis fratribus ab Apostolica Sede obtinuit officium Judicis Commissarii Confidentiarum, adeo ut, quemadmodum nonnulli Testes adfirmant, idem Episcopus variis eorum postulationibus semper obstiterit.

Illam autem, quam memoratus Præsul pertexuit, non rite, & recte constituti Patrimonii caussam, veritati haudquaquam cohærere dictitat, eamque satis refelli tum ex decreto, & facto Antecessoris Episcopi, tum ex ipso publico Instrumento constitutionis patrimonii perhibente omnia gesta esse ad normam Tridentinæ Sanctionis, & Synodalium Constitutionum Urgellensis Diœcesis, quæ pro congruo patrimonii titulo haud ampliorem decernunt patrimonii quantitatem, quam annui reditus octuaginta librarum Barchinonensium, id testante Notario, ac Scriba Ecclesiasticæ Curiæ de Tremp; Neque dubitandum esse inquit de securitate annuæ pensionis a patre sibi constitutæ; Nam & satis locupletem rei familiaris copiam illi, ac Antonio ejus filio primogenito esse, & idoneos fundos pro ejusdem pensionis cautione speciatim obligatos plures edisserunt Cives, ex iisque primus ex Decurionibus Civitatis. Accedit etiam expressa obligatio, cui sub annum 1740. Antonius se, suaque bona omnia obstrinxit persolvendi fratri Bonifacio ex peculio, quod proprio labore, & industria adquisivit (si forte pater in mora esset) quidquid integræ octuaginta librarum summæ deesset.

Adversus hæc, si quid nomine Promotoris Fiscalis Episcopalis Curiæ, qui in Dubiorum subscriptione se præbuit contradictorem, adferetur, grave non erit Eminentissimis Patribus ex rationum momentis hinc inde collatis decidere.

I. An constet de sufficienti constitutione patrimonii Subdiaconi Bonifacii de Ferrer; *& quatenus affirmative*.

II. An Episcopus Urgellen teneatur concedere Dimissorias eidem de Ferrer ad effectum se promovendi ad reliquos sacros ordines coram Eminentissimo Urbis Vicario in casu &c.

Ad primum Affirmative. Ad secundum ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem.

SUBLACEN. CAPPELLANIÆ. In Parochiali Ecclesia Loci Cameratæ extat Cappella, & Cappellania sub invocatione S. Josephi, utraque olim a Martio Constantino fundata. De hac quidem Cappellania sive beneficio perhibent acta visitationis ejus Parochialis Ecclesiæ sub annum 1661., quod annuis quadraginta scutorum reditibus constaret ex fructibus censuum, haberetque onus coadjuvandi Parochum, atque etiam sacrificandi singulis Festis diebus, unde Beneficiarius ejus temporis jussus fuerit, ut librum conficeret pro adnotanda celebratione Missarum in singulos dies.

De hoc eodem duplici onere mentionem faciunt acta posterioris visitationis anni 1709., in quibus præterea legitur ab fundatore ita præscriptum fuisse in testamento die 29 Martii 1626. recepto a Personio de Anticis Notario Cameratensi: Veruntamen, neque in Cancellaria Sublacensis Abbatiæ, neque in Episcopali Curia Tyburtina, cui anno 1627. illa suberat, aliquod inveniri potuit ejusdem testamenti, aut Fundationis Cappellaniæ monumentum.

Ad eamdem Cappellaniam sub annum 1707. a Clerico Matthæo Pelusio libere dimissam præsentatus fuit a patronis Clericus Cajetanus Castruccius: Verum ipse (ut prodit commemoratus actus visitationis anni 1709.) veluti nondum exercendi muneris Parochialis idoneus, institutionem ne illo quidem anno obtinuerat. Qui autem Sacram hanc Congregationem exorasset, ut ipsum

ut ipsum ob diminutos beneficii reditus relevaret ab onere præbendi Parocho adjutorii, statutum ei fuit a Visitatore bimestre tempus, intra quod postulationem suam ad ex tum perduceret, non moto interim sequestro super fructibus apposito pro adimplendis oneribus Missarum, quæ tunc usque fuerant neglectæ.

Nihil interea Cajetanus sollicitus fuit de procurando ab hac Sacra Congregatione consentaneo petitioni suæ rescripto, sed sacris initiatus ordinibus cæpit utrique obligationi morem gerere, deindeque mutato consilio e Castro Cameratæ abscedens alibi diù versatus est, cessavitque non modo ab impendendo Coadjutoris officio, verum etiam a celebratione Missarum Cappellaniæ adhærentium (quarum hactenus prætermissarum numerus efficit bis mille una cum 126.) in irritum cedentibus monitis a Vicario Generali Eminentissimi Domini Abbatis Sublacensis pluries, ac judiciario illis factis, ac spreto iterum sequestro super fructibus beneficii apposito.

Nuper vero sub annum 1740 renovatis coram hac Sacra Congregatione precibus liberam declarari postulavit Cappellaniam a quacumque obligatione sive conferendæ in Parochi munus operæ, sive Missas celebrandi, quasi neutra hæc obligatio indicta fuerit a Fundatore: Verum, quum Sacra Congregatio rejecta ejusmodi petitione Eminentissimo Domino Abbati commiserit, ut Oratorem adigeret ad exactum utriusque oneris implementum, Vicarius Generalis ipsius Eminentissimi Abbatis eidem Oratori varias post moras interminatus est pœnam suspensionis a divinis ipso facto incurrendam, ni Sacræ Congregationis Decreto obsequeretur.

His nondum acquiescens Orator novas preces obtulit Sacro huic Senatui, ac super iis rogatus Eminentissimus Dominus Abbas tum facti seriem, tum animi sui sententiam significare, non retardata interim exequutione præcedentis Decreti Sac. Congreg, luculentam transmisit Relationem, ex qua decerpta sunt omnia, quæ superius enarrata fuere.

Orator porro ab Cappellania, quam possidet, arcere nititur quamcumque adjuvandi Parochi, & Missarum obligationem. ex juris præsumptione, quæ libertati favet, donec legitimis documentis probetur servitus, sive onus Cappellaniæ impositum: Neutrum autem recte probari inquit ex actis unius, & alterius visitationis, quin potius utrumque satis refelli, tum ex actu Consulari, quem exhibet, celebrato sub diem 18. Martii 1613., ubi Priores, & Homines Universitatis Cameratæ consensum suum præbuere fundationi Cappellæ quam Martius Constantinus perficere meditabatur sub eo tamen pacto, & conditione -- „ che essendo Chierici, e Sacerdoti „ si presenti ad essi, e non a forastieri com' è di dovere „ -- (Indenamque colligit munus adjutoris Parochi, tam parum congruere legi Fundationis, quam minime congruat simplicibus Clericis) tum etiam ex quadam attestatione ab Joanne Bernardino Fabritrio olim Rectore hujus Cappellaniæ edita sub annum 1670, in qua sibi tradita fuisse adseverat a Fantino Costantino Cappellaniæ patrono tria prædiola nullo prorsus onere adjecto. Denique intolerabilem causa ur esse obligationem continuæ residentiæ, Missarum, atque impendendi Parocho officii pro tenui mercede quindecim scutorum, qualem hodie tribuunt fructus Cappellaniæ.

Laudatus Eminentissimus Abbas renunciat pro certo semper habitum fuisse a Visitatoribus, atque etiam a Rectoribus Cappellaniæ, quod ista duplicem superius enunciatam obligationem secumferret, neque aliquid contra urgere pactum, sive conditionem ab Universitate Cameratæ conscriptam, ut Clerici, & Sacerdotes ejus Castri in passiva nominatione cæteris præferri deberent: „ Nam (ait) eam fundationi legem præscribere, nec populus „ ullo modo poterat, qui nullo jure, vel patronatus, vel dominii in Ec„ clesia Parochiali potitur, nec ea Martius Constantinus adstringi poterat, „ quo-

„ quominus . vel ab illa variaret, vel beneficio onus coadjuvandi Paro-
„ chum, & celebrandi Missas apponere posset.

Veram tamen esse adfirmat imminutionem redituum Cappellaniæ ob deperditos complures census absque ulla Oratoris culpa, eosque reditus ex Inventario bonorum, ac censuum manu Arch presbyteri Cameratæ exarato, & Sacræ Congregationi exhibito ad annua scuta quindecim contractos apparere, ut propterea æquitati satis conveniat aliquam onerum moderationem decerni, præsertim quum in Ecclesia Parochiali Cameratæ alter constitutus sit Parochi adjutor: „ Gravis autem (*concludit*) ac inexcusabilis fuit Oratoris negligentia in omissa tot Missarum celebratione, quæ propterea summo jure ab ipso celebrandæ esse videntur, sicuti etiam futuro tempore celebrandæ sunt, ut melius, atque opportunius EE. VV. decernent.

Dignabuntur itaque EE PP definire.

I. An Cappellania S. Josephi in Terra Cameratæ sit simplex, vel residentialis.

II. An sit locus reductioni onerum in casu &c.

Ad I. Negative ad primam partem, & affirmative ad secundam. Ad II. Affirmative quoad onus tantum coadjuvandi Parochum arbitrio Eminentissimi Abbatis, qui mandat celebrari Missas tam pro præterito, quam pro futuro, & amplius.

Sess. 5. c. 2. & Sess. 24. c. 4. de ref.

FERETRANA CONCIONATORIS. F. Dominico de Grandis Minori Conventuali veniam a Feretrano Antistite per epistolam exposcenti, quod electus ad obeundum tunc imminentis Adventus tempore concionatoris munus in Maceratæ Feretranæ Oppido, ob temporum, atque itineris difficultatem se coram sistere non posset, consuetam postulaturus benedictionem, respondit Episcopus, ut proximo quidem Festo die muneri suo initium daret, quàm primum tamen patentes ad concionandum literas, quas eis ultro exhibebat, ab Episcopali Curia reportare haud negligeret, quemadmodum eas postea Frater Dominicus in alia Epistola ad eumdem Præsulem data se recipisse testatus est.

Commoti sunt hac de re plurimum Rectores Universitatis ejus Oppidi, qui liberum sibi concionatoris eligendi jus adserentes, solamque Episcopo facultatem impartiendæ benedictionis competere, ex ea literarum patentium traditione juri suo detractum iri authumabant, unde litigium mox recensendum obortum est. Siquidem ab incepto prædicationis opere cessavit Frater Dominicus; Id vero audiens Episcopus contigisse ob minas Rectorum Communitatis, qui protestati fuerant, se consuetum stipendium illi denegaturos, si ex authoritate per enunciatas literas patentes eidem attributa pergeret concionari, gravem inde censuit propriæ jurisdictioni injuriam irrogari, atque ad disquirendam facti hujus veritatem Archipresbytero præfati Oppidi commisit, ut judiciario examini testes subiiceret, quo quidem peracto, instante Promotore Fiscali præceptum dedit Ubaldo Paulini Secretario ejusdem Communitatis (quoniam Nicolaus Planellarius qui ejusmodi monitione prius fuerat excitatus per Epistolam significavit ab se finito Officii sui tempore jam libros, & claves Cancellariæ, successori Ubaldo Paulino tradidisse) ut infra triduum personaliter compareret „ ad
„ exhibendum *coram se* libros consiliorum, & Congregationum particula-
„ rium, haberi solit. a DD. Publicis Repræsentantibus dictæ Terræ ad
„ effectum extrahendi partitam, in qua est adnotata Congregatio facta su-
„ per asserta electione Concionatoris tempore Adventus, ac resolutiones
„ d. Electionem recipien alias dictus Paulini moneretur ad videndum se
„ denunciari excommunicatum.

Com-

Comparuit in Episcopali Curia triduo nondum exacto Ubaldus Paulini, exposuitque Cancellariæ Claves, & Libros necdum sibi consignatos fuisse, sed a Secretario Antecessore suo adhuc servari, cujus rei probandæ caussa congruum aliquod tempus indulgeri petiit: At ratus Episcopus inanem esse excusationem ab Ubaldo propositam eumdem, nisi infra triduum in præcepto adsignatum (cujus una dumtaxat integra dies supererat) libros exhibuisset, *nunc pro tunc* denunciavit excommunicatum; deindeque triduo præterlapso, nec libris exhibitis promulgata fuere istius excommunicationis edicta.

Peblicatio hæc facta est, postquam Episcopalis Curiæ Promotor inhibitoriales Curiæ Metropolitanæ literas ab Ubaldo Paulini impetratas acceperat, prætereaque ab eadem Metropolitana Curia editum subinde est decretum quo mandatum fuit præfatos excommunicationis cedulones defigi, ac pro circumscriptis, & revocatis haberi „ reservata tamen sibi facultate pro- „ cedendi super admissione, vel non admissione appellationis *ad instan-* „ *tiam Paulini petita*, ac procedendi super meritis, & negocio princi- „ pali prout de jure. At contentione ista ad R. P. Auditorem Sanctissimi delata jussit per modum provisionis Ubaldum Paulini a censuris absolvi cum reincidentia usque ad exitum Causæ totius vero negocii cognitionem Sacr. huic Congregationi remisit.

Dum hæc agebantur, Universitatis Oppidi Maceratæ preces oblatæ sunt eidem Sacro Senatui, ut vetaretur Episcopus ab infligendis, quas minabatur, censuris contra ipsius Universitatis Rectores, quasi isti in caussa fuerint, prætermissæ adventus tempore Sacræ prædicationis, dolebanq; præterea iidem Rectores, quod Præsul ille contra veterem consuetudinem vellet sibi Concionatoris electionem vindicare, tametsi ejus stipendium ab Universitate persolveretur, adeoque indemnitati suæ consuli postulabant.

De his autem jussus Episcopus Sacram Congregationem edocere rescripsit, se nunquam cogitasse de vindicanda sibi deputatione Concionatoris independenter ab electione Universitatis, sed unum id contendisse, ut nedum consueta benedictio, verum etiam patentes, quas vocant, literæ suæ deberent etiam a Concionatore Adventus recipi; Audaces propterea visos sibi nimium fuisse ejusdem Universitatis Rectores, qui ob id vetuerunt, ne a Fratre Dominico ad prædicandum jam electo Conciones amplius haberentur; idemque ad sartam tectamque servandam Episcopalem suam jurisdictionem demandasse, ut contra præfatos Rectores modo præmisso procederetur, neque se fuisse obsecutum asserto curiæ Metropolitanæ præcepto, quia spreta quacumque ejusmodi inibitione impun procedi posse contra violatores Episcopalis jurisdictionis monent encyclicæ literæ Sacræ Congregationis Immunitatis 16. Octobris 16 8. apud *Ricc. in Synopsi Decretorum ejusdem Sac. Congregationis Verb. Episcopus quoad immunitatem num.2. Pignattell. Consult. 94. tom 1.* & nuper decrevit *S. M. Benedictus XIII. in addit. ad Decreta S.M. Clementis VIII., & Urbani VIII. impress. in Appendice ad Concilium Romanum pag.290.*

Hæc habet Episcopus in effusa sua relatione oculis Eminentiss. PP. subjicienda. De jure autem eligendi, sive approbandi Concionatores a Communitatibus nominari, congruaque mercede donari solitos actum nuperrime fuit *in Firmana Concionatoris proposita sub diebus 21. Apr., 21. Julii, & 11. Aug. 1742.*; Quid vero tum Universitatis Oppidi Maceratæ, tum Ubaldi Paulini nomine proferendum sit, nondum compertum est; Onus itaque erit, EE. VV. perspectis juribus utrinque facile circumferendis deliberare.

I. An Concionatores etiam nominati per Communitatem tam tempore Adventus, quam Quadragesimæ, teneantur recipere approbationem, & lite-

& literas patentes ab Episcopo pro Concionibus habendis, *& quatenus affirmative*.

II. An in hujusmodi literis patentalibus fieri debeat mentio nominationis.

III. An Episcopus legitimè instituerit Processum ob omissas Conciones tempore Adventus præteriti, illumque valeat prosequi usque ad terminationem, utendo Censuris, aliisque Juris remediis in casu &c.

IV. An licitè poterit appellari ad Metropolitanum Urbini, & sustineantur act. ab eo facta in casu &c.

V. An sustineantur Censuræ latæ contra Ubaldum Paulini in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess.25. c.13. de ref.

ALEXANEN FUNERUM. Complures ex Sodalibus Oratorii Sanctissimi Rosarii erecti in Conventu FF. Ordinis Prædicatorum Terræ Tricasii sub annum 1729. communi deliberatione in publicum instrumentum redacta certum statuerunt modum persolvendi occasione obitus cujusque Confratris emolumenta sive Parocho pro adsociatione Cadaveris, sive Religiosis ejusdem Conventus tam pro comitatu quam pro funere, & exequiis., E perchè (sunt instrumenti verba) tuttociò si è fatto con „ beneplacito di tutti, e trattandosi di libertà di sepolture non intendiamo „ astringere, & obligare niun de' Fratelli se non di loro spontanea vo„ lontà, per ciò vogliamo, che ogni Fratello, a cui piacerà la detta „ legge, si sottoscriva, o facci il segno di Croce sotto la presente Consulta „ con libertà ancora, che volendo i Fratelli Sacerdoti, o altri Fratelli, che „ avessero sepoltura propria in altra Chiesa, sepellirsi in quella, lo possino „ fare a loro beneplacito; Ed in tal caso la Congregazione in vece di fune„ rali già detti, farà celebrare da' Religiosi del Convento per le loro „ anime Messe num. 60.

Recentius quoque nonnulli alii ex prædictis Sodalibus, post absolutas pias quasdam consuetas in Oratorio functiones, factamque novorum Confratrum receptionem, a quodam memorati Conventus Religioso generatim interrogati, ubinam ipsi sepulturæ donari optarent, scriptis declararunt se velle in eo Conventu post mortem quiescere.

Sed & Dominicus Thomas de *Pisano*, eorumque uxores, filii, & nurus in publico Instrumento anni 1734. „ per loro stessi respettivamente, e „ per i loro figli „ Sepulturæ locum delegerunt in Ecclesia nominati Conventus, ejusque prior in eodem instrumento „ per la divozione cono„ sciuta a detti Pisano, e loro mogli verso il Glorioso S. Domenico consi„ derati li medemi come benefattori, in nome di detto Monastero, „ avutone prima conseglio colli Padri di famiglia del medesimo l'ha volu„ to gratificare della Sepoltura stante l'elezione fattane nella Chiesa „ di detto Monastero assegnando da ora, e cedendo gratuitamente confor„ me assegna e cede a Signori Pisano, e mogli presenti, accettanti per „ loro stessi loro Eredi, e Successori la sepoltura, *& jus sepeliendi* in „ essa, che propriamente sta nel Pilastro fra l'Altare di S. Domenico, „ e Porta piccola della sudetta Chiesa, e ciò come supra gratuitamente, „ e per la divozione, che li medesimi portano al glorioso San Do„ menico.

Has omnes superius recensitas sepulturæ electiones, uti etiam alias a quibusdam pro filiis impuberibus factas in FF. Prædicatorum Ecclesia irritas esse contendit Archipresbyter Parochialis Ecclesiæ Tricasii, velut illis suadentibus, & procurantibus editas: Unicuique præterea electioni peculiares alias nullitatis notas impingit, nimirum inquiens Fratres de Pisano, neque (pro eorum familia) de sepultura ex proprio cujusque arbitrio pendente quidquam decernere potuisse, neque uti posse concessione

sione sepulchri, quæ velut alienatio quædam jurium Ecclesiæ absque Apostolico beneplacito rata non sit. Utramque vero improbandam esse, quam sibi Confratres electionem scripserunt, alteram sub annum .7.9. quod ea integram voluntatis libertatem ademerit, & posteriorem alteram; quod hæc in ipsa receptione Confratrum edita fuerit: Deinde nec recte Jacobum Minervam, Angelum Lezzi, & Augustinum Pisano sepulturam elegisse pro impuberibus filiis, quoniam nulla talis in loco Tricasii vigeat consuetudo, nec ea suffragetur patri eligenti sepulturam post obitum filii, uti mortuo jam filio se illi sepulturam elegisse testatur idem Jacobus Minerva.

Summa fere hæc est controversiarum, quæ inter Archipresbyterum, & Priorem Conventus S. Dominici loci Tricasii modo aguntur, nisi quod alia etiam oborta est quæstio de restitutione cadaveris Leonardi Pisano (qui unus est ex filiis Dominici Pisano connumeratis in superius recitato instrumento) recens in Parochiali Ecclesia reconditi. Porro Archipresbyter satis probatam esset existimat defuncti voluntatem, quod in Parochiali Ecclesia humaretur ex jurata Sacerdotis Antonii, & Maria Coppula attestatione „ Come il detto q. Leonardo Pisano loro Cognato, e Marito „ respettivamente prima di morire seriamente, e sodamente parlando in „ presenza di essi costituiti assolutamente disse, ch' egli voleva sepelirsi „ nella Chiesa Madrice della Terra di Tricase sua Patria, dove si erano „ sepelliti li suoi Antenati, e non già nella Chiesa de' RR Padri Domenicani, nella quale con publico instrumento se l'aveva elettta con „ gli altri Fratelli Pisano, nel qual' istrumento disse esservi intervenuto, chi sà come, e senza ferma volontà.

Porrò ad decisionem Dubiorum, quæ inter partes disceptantur, plures confertur juris Theoricæ a Doctoribus communiter admissæ, & nonnullæ sacri hujus Senatus resolutiones; Prima quidem ea est, permitti omnibus Christifidelibus absque ullo discrimine sexus, gradus, & conditionis tam in propria Parochiali Ecclesia, quam extra illam eligere sepulturam juxta *Text. in cap* 1. *de sepult.*; Sustineri autem electionem non solum pro aliquo, ut dici solet, in individuo, sed etiam pro tota familia factam, itaut in familiari sepulchro sepeliendi sint omnes ejusdem Familiæ, qui aliam non elegerint sepultram, soluta tamen proprio Parocho canonica portione, ita namque tradit cum aliis *Barbos. de off. & poteState Parochi p.*3. *cap.*26. *num.*31.

Altera est, ad adquirendum jus sepulchri pro se, & Familia simpliciter requiri, ut Ordinarius loci ad id consentiat: Regularibus vero ex privilegio tributum esse, ut illud in suis Cappellis, & Cæmeteriis (nisi peculiari constitutione prohibeantur) concedere queant, dummodo reipsa Sepulchrum a petente ædificetur *Pirring. in Decr. lib.*3. *tit* 28. §.3. *n.*4. Si tamen ageretur de concessione Sepulchri in Cappella jam costructi, sive de privativo ejus usu, tunc præter legitimum concedentis consensum Apostolico quoque Beneplacito opus esse, monet Eminentissimus Petra *tom.*5. *in comment. ad Const.*5. *Pauli II. sect.*2. *n.*19.

Tertia est, Patrem eligere posse Sepulturam pro Filio impubere extra propriam Parochiam, si tamen id ferat loci consuetudo, ut ex *cap. licet de sepult. n.*6. tradunt *Navar. cons.*2. *n.*1. *de sepult. Pirhing. lib.*3. *Decr. tit.*20. *de seq. n.*9. *Anaclet. lib.*3. *Decr. tit.*28. §.2. *n.*41. *Samuel. de sepult. tract.*1. *disput* 6. *controvers.*1. *concl.*3. *n.*4. *Monacel. tom.*2. *tit.*13. *Adnot. ad formul. num.*91., ubi refert resolutionem Sacræ hujus Congregationis *in Placentina* 27. *Novembris* 1649 ; Quæ autem consuetudo requiratur, concors non est doctorum sententia: aliqui enim quadragenariam exigunt, quos inter *Pirhing. & Samuel. sup. cit.*, decennalem vero sufficere probat Eminentissimus Petra in *Coment. ad Const. II. Honorii III.*

rii III. tom.2. sect. unic. ubi differit etiam, an hæc facultas competat Patri post obitum Filii, & negativæ adhæret sententiæ *sub num.*10. *p.*391. cum aliis ibidem congestis.

Quarta est, electionem Sepulturæ ad suggestionem Clericorum sive Regularium, sive sæcularium factam in ipsorum Ecclesia nequaquam sustineri, uti statuit Benifacius VIII. in *cap.1. de sepult. in 6* ibi „ Animarum periculis, & scandalis, quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volentes universis Religiosis, & Sæcularibus Clericis cujuscumque status, & conditionis existant, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ districte prohibemus ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita seu alias promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias Sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent; Nos enim (si secus actum fuerit) electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis „ idque procedere, quamquam simplices suasiones intercesserint, tuetur *Vrsaja tom.2. par.2. discept.*30. *n.*71.

Quinta demum in eo sistit, quod tametsi Bonifacius VIII. in mox enunciata sua Decretali *animarum periculis* §. *S vero* statuerit Cadavera Defunctorum contra ipsius sanctionem sepulta propriæ Ecclesiæ restitui debere, usus tamen plerumque obtinuit, ut eadem Cadavera non exhumentur, neque ex loco, ubi quiescunt, dimoveantur, juxta censuram *leg. fin. C, de sepulchr. viol.* nisi forte Cadaver loco depositi fuerit alicubi seorsim tumulatum, uti contingit *in Sorana Funerum* proposita in hac Sacr. Congregatione 24. *Aprilis* 17 3., vel Parochus, aut alter quispiam in exportatione Cadaveris sese gesserit violenter, juxta tradita per *Barbos. de Offic. & potest. Parochi par.*3. *cap.*26. *num.*27.

His itaque ad expositam facti speciem accommodatis, perpensisque ceteris Collitigantium nomine circumferendis, pronunciare oportet.

I. An electio sepulturæ facta a Fratribus Pisano pro eorum familia in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Terræ Tricasii sustineatur; ita ut omnia Cadavera ejusdem Familiæ, nulla alia facta electione Sepulturæ, tumulanda sint in dicta Ecclesia, soluta Parocho portione Canonica de jure debita in casu &c.

II. An constet de electione Sepulturæ Leonardi Pisano in Ecclesia Parochiali dictæ Terræ in casu &c. *& quatenus negative.*

III. An illius Cadaver cum Emolumentis funerum, soluta Parocho dicta portione Canonica, restituendum sit Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum in casu &c.

IV. An electio Sepulturæ in dicta Ecclesia Prædicatorum facta a Jacobo Minerva pro filio impubere sustineatur; ita ut Cadavera dictorum impuberum sepulta in relata Ecclesia cum emolumentis funerum restituenda sint Ecclesiæ Parochiali.

V. An electio Sepulturæ facta ab Angelo Lezzi pro filia impubere in eadem Ecclesia Prædicatorum sustineatur, itaut illius Cadaver sepultum in Ecclesia Parochiali sit restituendum dictæ Ecclesiæ Prædicatorum.

VI. An electio Sepulturæ per actum publicum expleta die 23. Octobris 1729. in Ecclesia Fratrum Prædicatorum per Sodales Oratorii Sanctissimi Rosarii in eodem actu contentos, illa ante obitum non revocata sustineatur.

VII. An electio sepulturæ facta in eadem Ecclesia per publicum Instrumentum, seu alium actum ab aliis Sodalibus dicti Oratorii in ipsorum respectivè receptione, & ante obitum non revocata sustineatur in casu &c.

MELE-

MELEVITANA OPTIONIS. Quinque dignitates, ac decem Canonici (quot olim numerabantur) Cathedralis Ecclesiæ, ut præbendarum conservationi, & incremento consulerent, impetrarunt peculiarem a S.M.Urbano VIII. facultatem : „ quod perpetuis futuris temporibus tam „ Dignitates,quam Canonicatus,& præbendas ejusdem Ecclesiæ pro tempo„ re obtinentes pinguiores præbendas ejusdem Ecclesiæ quotiescumque eas „ de cetero vacare contigerit , optare libere , & licite possint, & valeant . . . „ decernentes eos , & Dignitates , ac Canonicatus , & præbendas prædi„ ctas obtinentes hujusmodi , qui in eisdem dignitatibus , ac Canonicati„ tibus , & præbendis per eos pro tempore obtentis , tam quoad illorum „ redditus , quam quoad Fabricam , & alia hujusmodi aliqua melioramenta „ in illorum utilitatem , & commoditatem non fecerint , optione , con„ cessione , & mandato nostris prædictis frui , & gaudere minime „ posse. Sess.24.c.12. de Ref.

Erecti deinceps fuerunt a laudato summo Pontifice in eadem Cathedrali Ecclesia quinque alii Canonicatus , totidemque præbendæ, quarum una Theologalis effici , & alicui Theologiæ Magistro conferri deberet , eique præcipuum novos inter Canonicos locum tribueret . Pro earum vero præbendarum dote constituta est annua summa scut. mille ex ipsius Ecclesiæ proventibus ab Æconomis persolvenda : „ ita tamen ut integra summa „ prædicta veluti ducenta scuta monetæ hujusmodi pro qualibet ex dictis „ quinque novis præbendis in unam massam inter novos Canonicos tantum, „ non autem antiquos communem in usum distributionum quotidianarum „ inter præsentes , ac Divinis Officiis interessentes repartiendarum cum „ hoc, quod portio seu portiones absentis , seu absentium ex dictis quin„ que præbendis, reliquis novis præsentibus, & non antiquis Canonicis, „ & Præbendatis cedant , converti debeant.

His omnibus quinque Canonicis Apostolicæ erectionis Literæ concedunt, ut stallum in choro , ac locum „ vocem in Capitulo , ac processionibus , „ aliisque actibus Capitularibus publicis , & privatis adinstar aliorum „ decem antiquorum Canonicorum in eadem Ecclesia habere , omnibus„ que & singulis libertatibus , immunitatibus , præeminentiis , præroga„ tivis , antelationibus , indulgentiis , favoribus , gratiis , & Indultis „ universis , quibus alii antiqui Canonici prædicti de jure , usu , consue„ tudine , privilegio , aut alias quomodolibet utuntur , fruuntur , potiun„ tur , & gaudent, ac uti , frui , potiri , & gaudere possunt & poterunt „ quomodolibet in futurum similiter , & pariformiter , ac sine ulla pror„ sus differentia in omnibus , & per omnia , perinde ac si prædicti Cano„ nicatus, & Præbendæ in limine Fundationis, & erectionis ipsius Eccle„ siæ , & antiquorum Canonicorum , & Præbendarum prædictorum cano„ nice erecti fuissent, uti , frui potiri , & gaudere libere , & licite „ valeant.

Paulo postea conquerentibus novis Canonicis , quod Melevitanus Episcopus decreto quodam de præcedendi , Ecclesiæque inserviendi ratione edito non leviter deturbasse videretur eas , quas illi cum antiquis Canonicis communes habebant , prærogativas , idem summus Pontifex Urbanus VIII. ex consilio Sacræ Congregationis Episcoporum , & Regularium negotiis præpositæ per alias Apostolicas literas concessit : „ quod idem servetur respe„ ctu præcedentiæ in Choro , Capitulo processionibus , & aliis quibuscum„ que actibus inter ipsos , & antiquos Canonicos , quod hactenus serva„ runt inter se ipsi antiqui Canonici , ita quod nulla differentia in hoc „ habeatur inter antiquos, & novos Canonicos . . . Quoad autem exem„ ptionem a servitio Chori, & distributiones tempore exemptionum perci„ pien. , idem servetur cum novis Canonicis , quod hactenus est serva-

,, tum, & nunc servatur cum antiquis Canonicis, non obstantibus præ-
,, dicto decreto, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quum autem anno 1741. die 27. Mensis Martii per obitum Canonici Joannis Baptistæ Grech vacasset una ex quinque istis præbendis posterius fundatis, quam ille possidebat Canonicatui adnexam, Joannes Andreas Marsisiglia, ex primæva erectione Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis Ecclesiæ, velut ceteris antiquior, sub diem 11. subsequuti mensis Aprilis eamdem optavit, simulque optione a Capitulo admissa possidere incepit: nuncque etiam in possessione perseverat retento Pœnitentiarii officio: Siquidem quum ipse jamdudum ob præbendæ suæ tenuitatem Sacræ huic Congregationi supplicasset pro impetranda facultate optandi, ac pro convalidanda optione a se facta tunc vacantis præbendæ numcupatæ Garbarcha proposito dubio *An Canonicus Pœnitentiarius sua præbenda libere dimissa, aliam optare possit, quæ affecta officio Pœnitentiariæ perpetuo remaneat, & respective sit convalidanda optio præbendæ nuncupatæ Garbarcha ab Oratore facta in casu &c.*, Sacra Congregatio die 25. Februarii 1726. rescripsit; *Quo ad primam partem pro gratia, & quo ad secundam iterum proponatur*; rursusque die 11. Januárii 1727. ad duo hæc dubia. I. *An sit standum, vel recedendum a decisis die 25. Februarii 1726.*, & quatenus affirmative. II. *An sit convalidanda optio præbendæ numcupatæ Garbarcha ab Oratore facta in casu &c.* responsum est *ad primum in decisis, ad secundum negative.*

At Modo, de optione illa præbendæ, quam Canonicus Grech vivens possidebat, recens peracta a Canonico Marsiglia Pœnitentiario orta est quæstio; eam quippe sibi vindicare contendit Albinus Portughes, qui die 18. prædicti mensis Aprilis 1741. vacantem Canonicatum cum præbenda illi adnexa a Melevitano Episcopo tunc temporis in Urbe commorante impetravit.

Putat nimirum idem Albinus præbendam novissime vacatam per obitum Canonici Grech nequaquam potuisse a præfato Canonico Marsiglia optari, propterea quod nullatenus isthæc præbenda, quemadmodum neque reliquæ postremæ erectionis aliquam optionis legem recipiant.

Momenta, quibus uterque Collitigans jus suum in ista colluctatione tueri intendit, necdum satis exposita subjicientur judicio Eminentissimorum PP., qui rogantur respondere.

An sustineatur optio in casu etc.

Die Sabb. 3. Augusti 1743.

PLaceat Eminentissimis PP. Folium postremæ Congregationis sub diem 13. Julii mox elapsi habitæ resumere, & quatuor sequentes Causas, quæ hodierno examini fuerunt reservatæ, definire.

Sess.24. c.18. de ref.

PERUSINA REMOTIONIS VICARII, SIVE CAPPELLANI CURATI.

An remotio Francisci Sarri a Parochia nuncupat. della Casalina facta ab Abbate Sancti Petri de Perusia sustineatur in casu &c.

Ad mentem.

Sess.5. c.2.& Sess.24. c.4. de ref.

FERETRANA CONCIONATORIS.

I. An Concionatores etiam nominati per Communitatem tam tempore Adventus, quam Quadragesimæ, teneantur recipere approbationem, & literas patentes ab Episcopo pro Concionibus habendis, *& quatenus affirmative.*

II. An

II. An in hujusmodi literis patentalibus fieri debeat mentio nominationis.
III. An Episcopus legitimè instituerit Processum ob omissas Conciones tempore Adventus præteriti, illumque valeat prosequi usque ad terminationem, utendo Censuris, aliisque Juris remediis in casu &c.
IV. An licitè poterit appellari ad Metropolitanum Urbini, & sustineantur acta ab eo facta in casu &c.
V. An sustineantur Censuræ latæ contra Ubaldum Paulini in casu &c.

Ad I., & II. Affirmative. Ad III., & IV. ad Mentem. Ad V. Negative, & amplius.

ALEXANEN. FUNERUM. Sess.25. c.13. de Ref.

I. An electio sepulturæ facta a Fratribus Pisano pro eorum familia in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Terræ Tricasii sustineatur; ita ut omnia Cadavera ejusdem Famili , nulla alia facta electione Sepulturæ, tumulanda sint in dicta Ecclesia, soluta Parocho portione Canonica de jure debita in casu &c.
II. An constet de electione Sepulturæ Leonardi Pisano in Ecclesia Parochiali dictæ Terræ in casu &c. *& quatenus negative.*
III. An illius Cadaver cum Emolumentis funerum, soluta Parocho dicta portione Canonica, restituendum sit Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum in casu &c.
IV. An electio Sepulturæ in dicta Ecclesia Prædicatorum facta a Jacobo Minerva pro filio impubere sustineatur; ita ut Cadavera dictorum impuberum sepulta in relata Ecclesia cum emolumentis funerum restituenda sint Ecclesiæ Parochiali.
V. An electio Sepulturæ facta ab Angelo Lezzi pro filia impubere in eadem Ecclesia Prædicatorum sustineatur, itaut illius Cadaver sepultum in Ecclesia Parochiali sit restituendum dictæ Ecclesiæ Prædicatorum.
VI. An electio Sepulturæ per actum publicum expleta die 2. Octobris 729. in Ecclesia Fratrum Prædicatorum per Sodales Oratorii Sanctissimi Rosarii in eodem actu contentos, illa ante obitum non revocata sustineatur.
VII. An electio sepulturæ facta in eadem Ecclesia per publicum Instrumentum, seu alium actum ab aliis Sodalibus dicti Oratorii in ipsorum respectivè receptione, & ante obitum non revocata sustineatur in casu &c.

Ad I. negative. Ad II. affirmative. Ad III. satis provisum in antecedentibus. Ad IV. negative citra tamen exhumationem Cadaverum. Ad V. negative. Ad VI. negative. Ad VII. negative, & amplius in omnibus præterquam quoad VI.

MELEVITANA OPTIONIS. Sess.24. c.12. de ref.

An sustineatur optio in casu &c.

Negative, & Amplius.

MILETEN. JURISDICTIONIS. Causæ hujus resolutio fuit sub diem 22 Junii proxime præteriti ad hodiernum examen dilata, ita rogantibus Commendatariis Melicucchæ, & Drusii. Hodie igitur resumpto Folio ea die distributo, definiendum proponitur. Sess.8. c.7. & sess.21. c.8. & sess.25. c.11 de ref.

I. An

I. An in omnibus, & singulis actibus Jurisdictionalibus sit concedenda manutentio Episcopo Miletensi in locis Drusii, & Melicuccæ, seu potius Commendatariis, & quatenus negative quoad omnes, an saltem in sequentibus?

II. An in collatione Ordinum, & concessione literarum dimissorialium, nec non in jure recipiendi probationes super omnibus requisitis Ordinandorum, faciendi publicationes, relaxandi edicta, & examinandi testes super verificatione illorum tituli, vel Patrimonii sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis, eorumque Vicariis in casu &c.

III. An in jure approbandi, & concedendi licentiam audiendi Confessiones, nec non reservandi quosdam casus sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

IV. An in jure approbandi Prædicatores in dictis commendis, expediendi literas Patentales, & concedendi licentias, & respective impertiendi eisdem benedictionem, sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis.

V. An in jure absolvendi a Juramentis tam Cives, & Incolas eorumdem locorum, quam alios Diœcesis Mileten. ad effectum agendi, & excipiendi in Judiciis, & quidem privative in omnibus quoad assertos Vicarios Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo

VI. An in jure concedendi licentiam pro expositione Sanctissimi Sacramenti tam in Ecclesiis Parochialibus, quam in aliis dictarum Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis.

VII. An in jure visitandi Ecclesias Parochiales, aliasque omnes dd. Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

VIII. An in jure visitandi Clerum earumdem Commendarum quoad scientiam, mores, & vestes Sacras, & prophanas, ac desuper edendi decreta pro honestate Vitæ Clericorum, eorumque institutione sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

IX. An in exercitio omnimodæ suæ Jurisdictionis tam in visitatione, quam extra nedum contra omnes, & singulos de Clero non habentes tria requisita Concilii, sed etiam contra Cappellanos Curatos destitutos eisdem tribus requisitis tam in concernentibus, Curam Animarum, & administrationem Sacramentorum, quam, in omnibus aliis sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

X. An in exercitio ejusdem Jurisdictionis quoad Populum, & Laicos non habentes dicta tria requisita in his, quæ pertinent ad Forum Ecclesiasticum, & Episcopale sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

XI. An similiter in Exercitio illius Jurisdictionis, quæ de jure, & ex Concilio competit Episcopis super Regulares, eorumque Ecclesias existentes in dictis Commendis concedenda sit manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis,

XII. An in jure cogendi Cappellanos Curatos, dictarum Commendarum ad intervenien. Diœcesanæ Synodo, ejusque Constitutiones observandas sit concedenda manutentio Episcopo.

XIII. An in jure exigendi taxam Seminarii ex Beneficiis erectis, in dictis Commendis debeatur Manutentio Episcopo?

XIV. An in jure cognoscendi Causas Civiles, Criminales, mixtas, Beneficiales, & Matrimoniales dictarum Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

XV. An in jure exigendi rationes administrationis singulis annis a Procurato-

ratoribus Ecclesiarum, & Cappellarum, aliisque administratoribus locorum Piorum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

XVI. An in jure convocandi concursum occasione providendi Ecclesias Parochiales earumdem Commendarum, *& quatenus negative quoad Concursum.*

XVII. An saltem in jure examinandi, & approbandi Vicarios Curatos, qui deputantur a Commendatariis debeatur manutentio Episcopo?

Manutenendum esse in omnibus Episcopum.

UGENTINA ORDINUM. Exposuit Frater Bonaventura a Ruffano Clericus Ordinis Cappuccinorum Provinciæ Hydruntinæ, se literis dimissorialibus sui Provincialis munitum, ut Clericali tonsura initiari, & ad quatuor Minores Ordines posset ascendere, adiisse Uxentinum Episcopum, cujus Diœcesis Conventum tunc temporis incolebat, ac ab eo petiisse, ad præfatos Clericalis tonsuræ, & quatuor minorum ordinum gradus promoveri, dictum vero Præsulem sibi renunciasse, quod una die primam tonsuram, & altera nonnisi duos priores tantum Ordines volebat illi conferre; Quemadmodum reipsa, quum is prima die Sabbathi post Pentecostem sese stitisset coram memorato Episcopo, Clericali dumtaxat tonsura obtinuit insigniri, mox vero ad eumdem Antistitem reversus die quadam Dominica, qua Præsul ille statuerat plures Ordinandos ad geminos posteriores Ordines promovere, monitus iterum fuit, & certior factus ab ipso Episcopo, quod ea die duos tantum primos minores Orerat illi collaturus. Verum primis hisce duobus Ordinibus jam susceptis Frater Bonaventura audiens se, ut ipse refert, vocatum cum aliis promovendis ad recipiendos geminos alios minores Ordines, securus accessit, & æque, ac cæteri fuit, ordinatus. Sess.13.c.7. de ref.

Ea autem sacra actione absoluta quum adverterit Episcopus, Fratrem Bonaventuram sese cum reliquis ad suscipiendos binos posteriores Ordines intrusisse, graviter eum increpavit, eidem obtestans, quod sicuti mens sibi fuerat, non nisi duos priores Ordines ei conferendi, ita caveret, ne se opinaretur ad alios valide assumptum; & consentanee ad hanc declarationem Præsul ille in literis exprimentibus Ordines Fratri Bonaventuræ collatos, nonnisi tonsuram, & duos primos Minores Ordines voluit significari. In hoc itaque rerum statu supplicavit Frater Bonaventura ab hac Sacra Congregatione decerni, num ipse modo queat ad Sacros Ordines ascendere.

Episcopus hac de re jussus Eminentissimos PP. instruere confirmat pleraque a Fratre Bonaventura exposita, in eo tamen præsertim immoratur, quod Religiosum istum nimia quadam animositate petentem ad tonsuram, & quatuor Minores Ordines una eademque die promoveri, clericali tantum tonsura pridem initiatum: „ de sua futili, inaque spe (*sunt verba ejusdem „ Episcopi*) agglomerandi una simul quatuor ordines arguendum, increpan„ dumque duxi, atque pluries, serio, & in propatulo eum feci certio„ rem, quod non nisi duos priores Ostiariatus, & Lectoratus eidem tunc „ eram collaturus, *deindeque quomodo res evenerit, prosequitur*. In „ hac intentione firmus, & constans e vestigio ad faldistorium accedens, „ ac de more indutus Ordinationis mysteria exorditus sum, Fratrem„ que Bonaventuram unicum, præsentem, pleneque recognitum ad præ„ fatos duos Minores Ordines, ut jam fassus eram, ex rata mei intentio„ ne promovi. Dum vero complures alii Ordinandi ad Exorcistatus, at„ que Acolytatus Ordines suscipiendos accessere, ipse Fr. Bonaventura „ per me absdubio numquam vocatus non solum fronte obducta, sed

„ toto

„ toto corpore abſconditus (uti teſtati ſunt omnes, qui ſuere præſentes) „ atque ex latere Magiſtri Cæremoniarum manum ſuam extendit, materiemque ſimul, & reſpective cum aliis nimis fidenter, callideque „ me inſcio auſus eſt contingere „: Ut autem ſuadeat Epiſcopus, ſe reipſa tunc minime agnoviſſe Fratrem Bonaventuram, ita pergit in ſua relatione: „ Patres Eminentiſsimi, qui fieri poterat, ut ego de tot ordinandorum manibus diſtinguerem, atque internoſcerem manum Fr. Bonaventuræ Cappuccini, maxime quando cucullus ejuſdem cinericius „ albo tegebatur ſuperpelliceo? At (ſicut accepi) Patres Cappuccini „ Fratrem Bonaventuram de rata, validaque ad quatuor Minores Ordines promotione authumant defenſum iri, quia (ut ajunt) acceſſit „ vocatus, ejuſque acceſſus haud fuit doloſus. Enim vero Fratrem Bonaventuram ego nec vocavi, nec juſſi vocandum. Item de hac, quam „ præſumit, vocatione, deque ſui bona fide idemmet Fr Bonaventura auctor, actor, ſibique teſtis eſt ſingularis „. Quibus ita expoſitis refellens demum Epiſcopus paucorum Scholaſticorum ſententiam, qui putant ad valorem Ordinationis ſatis ſuperque eſſe, ſi Epiſcopus ordinando *ſerio agat*, iterumque repetens, ſe habuiſſe ſeriam, firmam, & efficacem voluntatem, ac intentionem denegandi Cappuccino illi binos ordines poſteriores, concludit hanc ſuam eſſe ſententiam „ Frater Bonaventura „ Cappuccinus ut ſupra intruſus haud valide ordinatus eſt „.

His itaque ab Epiſcopo Uxentino acceptis, & Fratri Bonaventuræ communicatis, nedum iſte pro declaratione jam petita modo iterat preces, verum etiam ſuas adjicit Procurator Generalis Ordinis Cappuccinorum, qui probe deprehendens ex relatione Epiſcopi aſſerentis ſe pluries certiorem feciſſe Fratrem Bonaventuram „ quod nonniſi duos priores Oſtiariatus, & Lectoratus Ordines „ tunc erat illi collaturus, ac una ſimul in controverſiam adducentis, num idem Frater Bonaventura fuerit evocatus cum aliis, quos Epiſcopus ſtatuerat ad geminos poſteriores ordines promovere, haud levem emergere occaſionem dubitandi, num hos valide ſuſceperit, ut pede tuto hac in re procedatur, circumſpectum Sacræ Congregationis judicium implorat.

Frequens apud Doctores eſt quæſtio, an irrita ſit ordinatio eorum qui furtim ſeſe intruſerint ordinationi, quando Epiſcopus ante illam proteſtatus eſt, ſe non habere intentionem iis ſeſe ita intrudentibus ordines conferendi: Putant nimirum aliqui eos ſic ordinatos non recipere characterem ex defectu intentionis miniſtri, ut ajunt *Rebuff. prax. benef. tit. de Cleric. ad ord. male promote gloſſ.* 4. 2. 19. *Navarr. conſil.* 1. *de eo, qui furtive*, *Barboſ. in cap.* 1. *eodem tit. num.* 1. *in fine*, *Pirhing. ibidem n.* 5. *verſ. notandum Schmalzgrueber ibidem num.* 3. alii vero contrariam tenent ſententiam, quia generali intentioni, quam habebat, declaravitque Epiſcopus de non ordinandis furtim accedentibus, prævaleat ſubſequens particularis intentio conferendi ordinem tali homini, qui coram ipſo in eum finem ſe ſiſtit *Theſaur. de pæn. Eccleſ. par.* 2 §. *Ordines cap.* 7. *num.* 2. *Gonzal. in cap. innotuit de eo, furtive*, *Card. de Lugo de ſacram. diſp.* 8. *num.* 119. *Bonacin. de ſacram. diſput.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 4. 2 6. *Marchin. de Sacram ord. tract.* 1. *par.* 2. *cap.* 1. *num.* 17. *et cæteri*. Ex his tamen nonnulli monent eumdem Epiſcopum, ſi fieri queat, explorandum eſſe, qua mente fuerit, dum ordines contulit, ſive poſthac non levis adhuc ſuperſit occaſio dubitandi de valore ordinationis, eam inquiunt ſub conditione iterandam, *Card. de Lugo loc. cit. num.* 119. *Fagnan. in cap. cum veniſſet num.* 98. *de ſacr. unct.*, *et cap. ſuæ literæ num.* 9. *et ſeq. de Cleric. per ſalt. per omnt. Pignatell. conſult.* 140. *num.* 6. *tom.* 4. *Theſaur. loc. cit. et Eminentiſs. Petra tom.* 5. *ad Conſtit.* 7. *Pii II. num.* 6. *pag.* 282. Diſtinguunt præterea aliqui, advertendum eſſe, num Epiſcopi proteſtatio fuerit

rit generalis in quoscumque furtim sese intrudentes edita, ac per Fiscalem promulgata, hanc enim dicunt ad terrorem potius, quam ad alium finem censeri debere factam; secus vero, si ea fuerit in peculiarem aliquam Personam ab ipsomet Præsule directa, tunc enim gravius de collatorum ordinum validitatem ambigendum fore opinantur, ut videre est penes *Donat. in prax. Regul. tom.5. tr. ct.3. quæst.13. num.1. et ci. onacell. in formul. par.2. tit.13. num.41. et s.q. p.76.*

Pluries in hoc Sacro Senatu actum fuit de hujusmodi controvrsiis. Ad præsentem vero propius videtur accedere species proposita *in Aprutina Ordinum die* 11. *Januarii* 1710. quæ in calcem hujus folii transcripta dabitur. Ea itaque inspecta, ac una simul perpensis omnibus hactenus expositis, præter quæ ob notam Oratorum arctissimam paupertatem nihil circumferetur, non dedignentur Eminentissimi PP. respondere.

An Ordines exorcistatus, & acolytatus modo, quo supra, suscepti a Fratre Bonaventura a Raffano sint reiterandi in casu &c.

Prævia pœnitentia salutari imponenda per Superiores Ordinis, reiterandos esse sub conditione.

LISBONEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM Quum Vicarius Capitularis impedivisset probationes, quas Antistita Monasterii meditabatur adducere ad excludendam nullitatem Professionis a Maria Feliciana propositam sub obtentu, quod vi, metuque fuerit ad illam compulsa, id vero non cohęreret praxi ab hoc supremo Senatu jamdiu constabilitæ, juxta quam Superiores Religionis, aut Monasterii in ejusmodi Causis restitutionis in integrum, & nullitatis Professionum non rejiciuntur ab exponendis juribus, quibus forte intendant earumdem Professionum validitatem tueri], proposito sub diem 17. Decembris anno 1740. ad preces memoratæ Mariæ Felicianæ Dubio: „ An sit locus restitu- „ tioni in integrum in casu &c. *rescriptum fuit ab EE. PP.*: Dilata, „ & Ordinarius recipiat ser. ser. probationes deducendas a Superiorissa „ Monasterii, & transmittat. *Sess.25. c.19. de Ref.*

Requisita itaque Priorissa Monasterii, ut quas ipsa vellet probationes adversus controversam Professionem adduceret, in hæc tantum verba se explicasse præfertur: „ E deponendo la Madre Suor Teresa Battista Priora „ del Convento del Santissimo Salvatore dell'Ordine di S. Domenico, „ dice sotto del giuramento delli Santi Evangelj, che di tutto il conte- „ nuto negli articoli, e prova alli medesimi unita la lettera pro infor- „ matione di essi non sà cosa alcuna, supposto, che la medesima testimo- „ nia sia Monaca sono molti anni nel detto Convento, mai sentì parlare „ g i facessero le tali violenze, nè ciò si cra parlato, e che il dirgli man- „ cava un'occhio, e contro la volontà, e il dirsi che andiede alli bagni „ in Noviz a su per causa di un dolore di fegato, che già portò dalla sua „ Casa quando entrò per il Convento, e non sa più cosa alcuna nè del „ detto Convento le aveva parlato in ciò; e dichiarò di più, che la me- „ desima non voleva riconoscere di tal Breve; ne tanpoco voleva lite „ sopra il difendere la detta Professione, perchè come la detta Religio- „ sa non vuole esser Monaca nel d. Convento, resta nella co'cienza di chi „ gli averà da sententiare la validitá, o nullità della Professione, e di „ come non voleva riconoscere nè aveva più che addurre sottoscrisse „ qui &c.

Authenticum hujusce depositionis actum a Vicario suo Generali receptum novissime transmisit Eminentissimus Cardinalis Patriarcha, qui confidens, Eminentias VV. super petita restitutione in integrum nunc fore deliberaturas, sententiam suam aperit precibus Mariæ Felicianæ faventem. Re-

ſtat jam vero ut reſumpto folio diei 17. Decembr. 1740., ubi fuſe expoſita ſunt præcipua ad rem in Proceſſu pridem confecto cumulata, pronuncietur.

An ſit locus reſtitutioni in integrum in caſu &c.

Reliquæ non propoſitæ.

Seſſ. 21. c. 4. de Ref.

MARTURANEN. DISMENBRATIONIS. Sacerdos Antonius Cardamone novam ab Epiſcopo conferri ſibi obtinuit Parochialem Eccleſiam, quam idem Epiſcopus ſub titulo S. Michaelis Archangeli nuper erexerat in Villa S. Thomæ, aliiſque conterminis Pagis nuncupatis *Borroroſo*, *Colla*, *Vaccarizo*, *Virillo*, & *Manelli*, prævia iſtorum Diſmembratione ab antiqua Paræcia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Sciliani Pediviliani.

Dum autem validę, legitimęque diſmembrationis quæſtio coram hac Sacra Congregatione agebatur, idem Antonius Cardamone exponens S. M. Clementi XII. tres portiones curatas in ea Parochiali Eccleſia SS. Petri, & Pauli erectas reperiri, & ipſarum unam jam duodecim ab hinc annos vacare, Apoſtolicas reportavit literas hanc vacantem portionem ſibi concedentes cum Decreto, vel ejus portionis, vel novæ Parochialis Eccleſiæ dimittendæ, ſi hujus erectio valida judicaretur.

Commemoratæ Apoſtolicæ Literæ ſubinde fuerunt executioni demandatæ, atque Antonius poſſeſſionem cœpit illius Parochialis portionis. Verumtamen, quum Thomas Angotti Rector antiquæ Parochialis Eccleſiæ, non modo ejus diſmembrationi contradiceret, verum etiam contenderet exequendas non eſſe Apoſtolicas literas, propterea quod uni dumtaxat Rectori, non pluribus ipſius antiquæ Paræciæ cura incumberet, utriuſque controverſiæ cognitio ex reſcripto R.P. Auditoris SS. D.N. fuit ad hunc Senatum rejecta.

Urgente itaque Thoma Angotti, nec tamen Cardamono jura ſua deducente, propoſita fuerunt die 9. Septembris 1741. gemina hæc dubia -- I. An diſmembratio Eccleſiæ Parochialis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Sciliani Pediviliani, & Eccleſiæ S. Michaelis Archangeli in Parochialem ſuſtineatur in caſu &c. II. An literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, *quibus Sacra Congregatio reſpondit*. Negative ad utrumque & amplius.

Nunc vero Cardamonus impetrato quoad ſecundum Dubium novæ audientiæ beneficio probare nititur ex Diœceſanis compluribus Synodis, ex actis viſitationum, variiſque Marturanenſium Præſulum Epiſtolis occaſione relationis ſtatus Eccleſiæ ad Sacram Congregationem datis, revera tres Parochiales portiones anno circiter 1670. ab Epiſcopo inſtitutas fuiſſe, atque per annos ſex fere & quinquaginta tres, vel duos æquo jure Parochos, ſive Rectores præfici conſueviſſe: Et quamvis ſub annum 1726. quum ſolus Joſephus Cimino alter ex Parochis ſuperſtes eſſet. Marturanenſis ejus temporis Præſul. „ Quoniam enunciata Parochialis Eccleſia „ loci Pediviliani eſt adeo montuoſa, ut Sacramentorum adminiſtratio „ Miniſtro ſedulo, robuſto, promotu, proptereaque juvene omnino indigere dignoſcatur „ (ſunt verba Decreti), ad preces ipſius Parochi, Cleri, & Civium nomine ſibi oblatas ſanciverit, ut deinceps Eccleſia prædicta unico gubernaretur Rectore, qui duos deberet ſibi Vicarios adjungere ad nutum amovibiles „ Itaut de enunciatis Æconomiis, quæ ſecundum ultimum ſtatum ad noſtram liberam collationem pertinere, „ dignoſcuntur, nullus in poſterum ex cauſis prædictis perpetuo titulo „ provideatur „ ; Hoc tamen Decretum nullius roboris eſſe contendit Antonius Cardamone, tum quia nullatenus a Clero, & populo illud petitum fuiſſe doceatur, tum etiam quia ſupra Epiſcopi poteſtatem eſſet, veterum iſtarum portionum ſtatum a Præſule deceſſore compoſitum,

ac

ac longo sexaginta fere annorum spatio servatum, nullo Capituli Cathedralis exquisito consensu, immutare.

Perpensis igitur novis, quæ a Cardamono proferuntur, juribus deliberare oportet.

An quoad secundum Dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

CARPENTORACTEN. Discussus in Congreg. diei 26. Januarii currentis anni quatuor hisce Dubiis „ I. An Decretum Curiæ Episcopalis „ Carpentoracten. latum anno 1635. super administratione Sacramentorum Incolis commorantibus in Prioratu S. Ippolyti sit servandum, & „ *quatenus negative*. II. An unio, de qua agitur, facta anno 1736. „ sustineatur in casu, *et quatenus negative ad utrunque*. III An Canonicus Sacrista Ecclesiæ Cathedralis Carpen. Prior S Ippolyti teneatur „ providere propriis sumptibus administrationi Sacramentorum dictis Incolis, retinendo ibidem Vicarium, qui functiones omnes Parochiales „ adimpleat, seu potius ad hujusmodi onus teneantur propriis sumptibus „ Prior, & Parochus Carumbi, populus, vel Episcopus, seu aliasquomodo sit providendum in casu. IV. An Parocho, Clero, Magistratui, „ & populo loci Carumbi processionaliter accedentibus ad Ecclesiam „ S. Ippolyti teneatur præstare prandium, seu refectionem eadem die, & „ aliam in Dominica infra Octavam dictis Parocho, Magistratui, & Consulibus, *prodiit rescriptum*. Ad I., & II. negative. Ad III. Affirmative. Ad IV. negative, & amplius. Sess.21.c.4.de ref.

At enixe postmodum roganti memorato Canonico Sacristæ, & Priori S Ippolyti novæ audientiæ beneficium adversus resolutionem trium priorum Dubiorum sibi impertiri, benigne annuit Sacer iste Senatus, qui modo rogatur tum ex veteribus, tum ex aliis recens adferendis juribus deliberare.

An, et in quibus sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.

Resolutio spectans ad materiam, de qua agitur in Causa Ugentina Ordinum.

APRUTINA ORDINUM. Exposuit huic Sac. Congr. Joseph Baldus loci Bellantis, quod cupiens adscribi militiæ Ecclesiasticæ exoravit Episcopum, ut ei conferret primam Tonsuram, & duos priores minores Ordines, & rescriptum obtinuit; Ad primam Tonsuram tantum, pro qua sola fuit ab Examinatoribus Synodalibus examinatus, eaque suscepta in ordinatione habita die 20. Septembris 1704. asserens se ad alios minores Ordines vocatum, se immiscuit cum aliis ordinandis, & materiam primi, & secundi Ordinis tetigit, sed ab Episcopo Bullam, seu literas patentes pro prima tonsura tantum reportavit. Cumquè nuper Orator fuerit præsentatus ad Beneficium de Jurepatronatus ab Universitate Bellantis, institit, sed obtinere non valuit ab Episcopo Institutionem; nisi prius obtineat absolutionem, & dispensationem ab Irregularitate, pro qua quidem Sacræ Congregationi humillime supplicavit declarans, nullum Canonicum impedimentum incurrisse, quod non possit ab Episcopo dispensari. Exposita comprobavit Episcopus informare jussus, ac retulit verum non esse quod Orator fuerit vocatus, cum revera is se immiscuerit cum aliis Ordinandis, ac proinde Antistes noluerit illum ad alias deinde sequutas Ordinationes admittere nisi prius obtenta absolutione ab hac

Sacra Congregatione in pœnam fraudis commissæ, quæ omnia pervenisse, ait, ad ejus notitiam ex relatione alterius Clerici ordinati in eadem ordinatione. Ceterum se remittit judicio prudentissimo EE. VV. Hinc proposita causa per Summmarium die 5. Junii proxime præteriti, rescriptum fuit pro meliori informatione an Episcopus in actu Ordinationis intentionem habuerit excludendi non Examinatos pro Ordinibus, vel præcise Oratorem, anne fecerit aliquam protestationem, seu comminationem sub pœna Excommunicationis adversus furtive accedentes ad Ordines. Ad hæc ultimo loco respondens Episcopus ait, quod ipse in actu Ordinationis semper habuit intentionem saltem virtualem excludendi non examinatos pro Ordinibus; sicut in principio cujuslibet Ordinationis semper comminatur pœnam Excommunicationis conra furtive accedentes, nec esse verum subdidit, quod Orator fuerit vocatus, nam propter hoc, noluit ipse Episcopus eidem expedire Bullas, nisi solius primæ Tonsuræ, ut fusius in utraque relatione danda in Summar. Quibus quidem recitatis in Congregatione die 3. Augusti prope elapsi anni, jussum fuit, ut causa poneretur in folio, quemadmodum parendo mandatis, ea hodie proponitur, humillime instante Oratore pro resolutione infrascriptorum Dubiorum ex Juribus ab eo deducendis.

I. An stante supradicta Ordinatione idem Clericus ullum Canonicum impedimentum contraxerit, quod ab Episcopo dispensari non possit? *Et quatenus affirmative*

II. An saltem eidem indulgenda sit relaxatio a S. C.

III. An supradicti Ordines Minores modo quo supra suscepti, sint reiterandi in casu &c.

Die &c. Sacra &c. quoad primum, & secundum benigne commisit Episcopo Aprutino, ut imposita Oratori aliqua salutari pœnitentia, cum eo pro suo arbitrio, & coscientia gratis dispenset: Ad tertium respondit affirmative sub conditione in casu &c.

Die Sabb. 24. Augusti 1743.

TRes ex iis in præteritæ Congregationis folio descriptis superfuerunt Causæ, quas hodie sapientissimo Eminentissimorum Patrum responso definiri oportet, nimirum.

Sess. 25. c. 19. de Ref.

LISBONEN RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmative.

Sess. 21. c. 4. de Ref.

MARTURANEN. DISMEMBRATIONIS.

An quoad secundum Dubium sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Indecisis, & amplius.

Sess. 21. c. 4. de ref.

CARPENTORACTEN.

An, & in quibus sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.

Prævio recessu a decisis quoad I., & III. Dubium servandum esse Decretum

cretum anni 1633. soluta per Canonicum Sacristam Parocho Carumbi pecuniarum summa expendi solita in prandium, seu refectiones, & taxanda per Eminentissimum Præfectum, Quo vero ad reliqua in decisis.

JUVENACEN. Prædecessor Episcopus Chiurlia quædam comparavit oliveta duobus Episcopalis Mensæ prædiis existentibus in Locis *di Belvedere et Antafiti* contermina, eaque augendæ ipsius Mensæ gratia veteribus adjunxit. Magnam quoque emit vinearum, aliorumque bonorum partem sitam in loco, quem vocant *la via di Bari*; Num vero isthæc bona eo pariter animo quæsierit, ut Episcopali Mensæ adjiceret, pervestigandum est. *Sess. 22. c. 11. de ref.*

Hujus scilicet rei disquirendæ occasionem præbet decretum quoddam ab eodem Antistite editum, in quo ad removendam quamlibet avaritiæ suspicionem vetuit prorsus, ne pro caussis criminalibus, & delictis cujuscumque generis ulla pecuniaria pœna, quæ a communi jure præscripta non esset, Clericis infligeretur, sed tantum suspensionis, carceris, exilii, aliave spiritualis, aut corporis afflictiva, prout unusquisque delicti gravitas postularet. Ne vero Successores Episcopi de hujus decreti novitate conqueri possent, illis designavit,, Propter an edicta (sunt verba ejusdem decreti) fructus, & redditus Comprehensorii Vinearum Vitium cum alis arboribus fructiferis, quod ultimo de novo plantare fecimus, quod reddit in anno, deductis expensis, ducatos tercentum, & est situm in Territorio hujus Civitatis il lo o, ubi dicitur la via di Bari juxta &c. & est capacitatis vinearum quinquaginta, nempe vinearum quadraginta vituum, & vinearum quatuor circiter sex viridarii, aliorum fructuum, & vinearum quatuor circiter Cucublinæ, vulgo Cuccerola.

Vita autem functo laudato Præsule Chiurlia, permultæ, ac pleræque de administratione ejus bonorum ad spolium pertinentium obortæ sunt controversiæ inter modernum Episcopum, & Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, quam Antecessor hæredem ex asse scripserat: ex his una illa fuit, num successor Episcopus cogendus esset ad observationem superius recitati decreti de non plectendis ulla pecuniaria pœna delinquentibus Clericis, vel saltem ad ea, quæ in ejus rei compensationem relicta fuerant, bona Cathedrali Ecclesiæ restituenda.

Alterutrum ab hac Sacra Congregatione decerni exposcebatur Capituli nomine; Contra vero Episcopus propugnabat, se neque illi Decreto morem gerere debere, quoniam & juris communis prescripto adversari videretur, & Successorum Antistitum authoritati; neque etiam ad eorum bonorum restitutionem obstringi posse, quum haud amplius ex decreto Prædecessoris sui sub ulla lege, aut onere in Episcopalem Mensam conferri potuerint bona ista, quæ jam ante Decretum editum, atque ab ipso fere temporis, quo empta fuerunt, initio reliquis ejusdem Mensæ prædiis unita, sicque in illius dominium translata fuere. Ad id vero probandum protulit idem Episcopus attestationes plurium Sacerdotum, aliorumque hominum ajentium,, Che il fu Monsignore Vescovo Chiurlia comprò alcune Vigne di Viti vicino le Vigne della Mensa alla Strada, che si và in Bari, e le sudette Vigne le unì, seu l'annessò con le sudette Vigne della predetta Mensa,, quemadmodum alia quædam oliveta annexuerat duobus aliis Mensæ prædiis *di Belvedere, et Antafiti*. Ipsos vero met testes ab eo pluries audivisse, quod omnia hæc oliveta, & vineas emisset,, per annessare alli sudetti Corpi della Mensa Vescovile, e per levare li gran danni, che pativano ogni anno li sudetti accennati Corpi della mensa,

Veruntamen testes isti de vineis existentibus prope viam, quæ ducit ad Civita-

vitatem Barensem, non eamdem produnt facti circumstantiam, quam exprimunt de sublato, vel reserato pariete in olivetis, & prædiis di *Belvedere*, & *Antafitti* interjacente, ut ita ab antiqua prædiorum parte liber ad novam illi adjunctam pateret aditus, nec ulla inter utramque superesset divisionis species.

Proposita itaque fuerunt tertio, & quarto loco gemina hæc Dubia III. An „ ipse Episcopus in causis criminalibus valeat exigere mulctas, seu pœ- „ nas pecuniarias non obstante Decreto dicti Episcopi Chiurliæ illarum „ exactionem interdicente, & quatenus affirmative. IV. An teneatur „ restituere dictæ Ecclesiæ Cathedrali bona sibi relicta in compensatio- „ nem dictarum pœnarum „. Sacra autem Congregatio die 30. Martii currentis anni respondit ad III. affirmative, ad IV negative.

Nunc vero Capitulum, impetrato adversus posterioris Dubii resolutionem novæ audientiæ beneficio, nedum contrariis testibus ab Episcopo productis illud objicit, quod vel ejus coloni sint, vel ipsius servitio aliqua alia ratione addicti, ut ex allatis documentis elicitur, verum etiam nonnullas profert depositiones aliorum testium, qui adfirmant bona illa, in compensationem dictarum pęnarum relicta, & posita in loco nuncupato *la via di Bari*, nihil commune umquam habuisse cum reliquis Episcopalis Mensę prædiis, sed ab Antistite Chiurlia, donec Juvenacensem Cathedram moderatus est, ad annum usque 1724. retenta semper fuisse tamquam divisa, & seperata.

Placeat igitur Eminentissimis Patribus post hæc in facto superaddita decernere,

An quoad IV. Dub. sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis.

Sess. 24. c. 11 de ref. NEAPOLITANA SPONSALIUM. Aurora de Michele, ut cogeret Ducem Balthassarem Coscia ad exsolvendam Sponsalium fidem, quam sibi datam fuisse asseverat, utens tamquam virgo privilegio fori miserabilibus personis concesso literas Monitoriales obtinuit a Tribunali A. C.; Jamque plurimum operæ adhibuerat iis executioni donandis, eodemque fere tempore exposuerat in Archiepiscopali Curia (non quidem animo instruendi ibidem judicii, quod in Romana Curia elegerat, sed ne Dux Status sui liberi testimonium repotaret) missam sibi ab eo fuisse apocham, cujus exemplar ostendit, de jurata mutua contrahendarum nuptiarum promissione.

Verum mutato postea consilio per supplicem libellum eidem Archiepiscopali Curiæ porrectum die decima præteriti mensis Januarii agere ibidem instituit pro adimplemento Sponsalium, cui tamen petitioni opposita fuit a Duce Balthassare exceptio fori declinatoria, quoniam ipse ratione originis, & domicilii esset Beneventanæ Dięcesеos, ubi conscripta dicebatur enunciata prætensorum Sponsalium apocha tum etiam quia per Monitorium ab Aurora impetratum lis cepta esset in Tribunali A.C, tum demum quia ab eodem Tribunali fuerit deinceps lis ista ex rescripto Sanctissimi Domini Nostri avocata, & Sacræ huic Congregationi remissa.

Post hæc nomine ejusdem Ducis institum fuit coram S. Congregatione, ut terminus præfigeretur Auroræ ad probandum quidquid vellet, ac posset circa controversa Sponsalia, cumque Decretum prodierit juxta ejus postulationem, Procurator Aurorę post aliquot dies petiit, ut ab eadem Sacra Congregatione mandaretur exhiberi coram Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano assertam apocam matrimonialem, ejusque legitimam reco-

recognitionem fieri, obtinuitque hac super re dari literas eidem Eminentissimo pro informatione, & voto.

Laudatus autem Eminentissimus in responso a se dato Sacræ Congregationi præsertim renunciavit ea, quæ Defensor Auroræ proposuerat, ut præsens Sponsalium Causa in illa Archiepiscopali Curia cognosceretur. At quia posthac eadem Aurora visa est acquiescere disputationi Dubii pridem subscripti in hoc Supremo Senatu peragendæ. Dux Balthassar, cui plurimum interest litigium istud absolvi, rogat ab Eminentissimis Patribus declarari.

An constet de Sponsalibus, quæ veniant exequenda in casu &c.

Dilata, & proponatur omnino in prima post proximam etiam unica, & interim scribatur Eminentissimo Archiepiscopo, ut mandet exhiberi in actis suæ Curiæ Original assertæ Apocæ Sponsalium, & deveniri ad ejus formalem recognitionem ser. ser.

FANEN. PROCURATIONIS. Joseph Bellutius Plebanus, seu Rector Parochialis Ecclesiæ SS. Apostolorum Petri, & Pauli Oppidi Carticeti sub annum 1735. supplici libello ad Episcopum dato postulavit, ut exhibendæ Procurationis onus, quo solus ipse Plebanus antea minus æque gravari consueverat, inter eos omnes distribueretur, qui Sacræ Visitationi subessent. Episcopus autem inhęrens, (ut ipse ait) Declarationibus Sacræ hujus Congregationis decretum protulit, quo singulos Visitatos teneri ad contributionem sumtuum antecedentis visitationis a se eodem anno 1735. peractæ pronunciavit. *Sess.24. c.3. de ref.*

Non tamen Decretum istud aliquo donatum fuit exitu: Quamobrem Episcopus anno 1729. suam iterum perlustrans Diœcesim, rato manente priori Decreto, jussit exquiri novum hac de re Sacræ Congregationis oracu um. Hoc itaque postulatur hodie a præfato Plebano, cui contradicunt Officiales Confraternitatum SS. Sacramenti, SS. Rosarii, SS. Suffragii, & S. Michaelis, atque etiam nonnulli Rectores simplicium Beneficiorum, seu Cappellarum renuentes quidquam persolvere Procurationis nomine. Propterea quod a tempore quamcumque hominum memoriam excedente solus Plebanus integras ejusmodi impensas sustinuerit. At consuetudinem istam, tametsi veram esse scribat Episcopus, nihil tamen obstare censet petitæ contributioni; Eam vero haud ullo comprobari legitimo documento inquit Plebani Defensor, minusque ita inductam fuisse, ut, quemadmodum opus erat præcedente aliqua Plebani petitione, subsequutaque aliorum contradictione stabiliretur.

Porro ad visitationis impensas teneri Ecclesias omnes, Cappellas, Beneficia, Confraternitates, aliave loca Pia, itidemque personas quaslibet visitationi subjectas, deducitur ex iis verbis *Cap Procurationes* 23. *de censibus -- Procurationes ratione visitationi debentur Episcopis*, uti cum aliis docent *Azor. instit. Moral. lib.3. cap.42. Quæst.1. part.2.*, *Leuren. in Decretal. lib.1. tit.31. sub num.3.*, *Anaclet. in lib.3. Decretal. tit.39. num 50.*, *Schmalzgrueb. ibid. num.105.*, ac plures, quos citat *Bassi de sodalit. quæst.13. num 8.*; ita tamen ut in contributione expensarum a singulis facienda, habeatur ratio tum facultatum cujuscumque, tum laboris, qui in visitatione pro singulis impenditur *arg. Cap. Procurationes 23. de censib.*, *Pax Jordan. elucubrat. tom.2. lib.7. tit.18. num.16.*, *Ventrigl. in Prax. Rer. Eccl. tom.3. annot.24. §.2.*, *Bassi loc. cit.*

Secundum hæc Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis præposita in una *Papien.*, quam refert dictus *Bassi cit. quæst.13. num.8.* ita rescripsit „ L'Ordinario può astringere per rata proporzionata anco con „ pene,

„ pene, e censure le Chiese, e luoghi pii, e tutti, che possono essere
„ visitati a contribuire alle spese della visita pro victualibus, se la Sagra
„ Congregazione in qualche caso, o persona particolare non ordinas-
„ se in contrario:, Sacra etiam ista Congregatio in una *Bojanen.* 14. *Nov.* 1654. uti agebatur de procuratione solvenda Episcop respondit „ Obtinen-
„ tes Beneficia, seu Cappellanias in titulum teneri pro rata contribuere,
„ item Confraternitates visitatas teneri ad eamdem contributionem
„ pro rata.

Notatu pariter digna est resolutio edita in *Auximana Procurationis* 8. *Februarii*, & 15. *Martii* 1727 Propositis enim duobus Dubiis.

I. An procuratio sit præstanda per contributum ab omnibus Parochis, Beneficiatis, Ecclesiis. Monasteriis, & Confraternitatibus Montis Philopatrani, & quatenus affirmative.

II. An Parochi, qui sustinue unt totum pondus procurationis in retroactis visitationibus sint proportionabiliter reintegrandi, & a quo fieri debeat repartitio, & exactio in casu &c. (responsum fuit) Ad I. affirmative. Ad II. Affirmative pro ultimis procurationibus, & amplius.

Plures tamen regula superius tradita patitur exceptiones: Nec enim ad solvendam Procurationem tenentur Laici, non quia Sacri Canones ab hoc onere eos liberent, sed quod ita usu receptum sit, uti cum *Glossa in c.1. V. Laicos de censib. in 6.* tradunt *Barbos. Jur. Eccl. c p.22. num.14.*, *Vallens. in lib.3. Decretal. tit.39. §.4 n.2 Piring. ibid. n.78 Schmalzgrueb. num.105.*, *Passerin. in cap. exigit 2. num.15. de censib. Monacel. For. Eccl. par.3. tit.1. Form. IV. n.4.*; Secundo nec etiam tenentur Hospitalia, & similia loca pro pauperibus, & infirmis instituta, etiamsi amplissimos habeant redditus, uti probant *Barbos. de offic. & potest Ep all g.73, num.50.* aliique apud *Reiffstuel. in Jus Canon. lib.3. tit.39. num.55.*, & *Schmalzgr. ibid. n.106.* Refert tamen *Fagnanus in Cap. Venerabili num.34. & seq. de censib.* hac de re propositum fuisse dubium in Sacra Congregatione die 18 Novemb. 1623. nec tamen definitum, quamquam Patres majori ex parte sentirent procurationem non deberi. Tertio paupertas etiam excusat ab onere contributionis, *per text. in Can. Cavendum 7. c.10. quæst.2.*, & *cap. statutum 11. §. Insuper de rescript. in 6.*, ut observant iidem Authores, *Aliique apud Bassi de sodalit. quæst.13. num.8.*

Quid vero consuetudo habeat virium adversus obligationem solvendæ procurationis, res est variis subjecta inspectionibus. Siquidem in aliquibus Provinciis, seu locis eam potuisse induci generalem consuetudinem a singulari unius tantum, aut alterius Ecclesiæ præscriptione distinctam, juxta quam teneatur Episcopus Pastoralem Visitationem ita gratis explere, ut nihil omnino queat procurationis nomine a visitatis accipere, perspicuis verbis decrevit Synodus Tridentina Sess.24. de ref. cap 3. ut docent Canonistæ omnes cum *Fagnano in cap. Venerabili 24. num.24. & seq. de censib.* De præscriptione vero, quæ ab aliqua particulari Ecclesia allegetur, statutum est in *Cap. Cum instantia 17. de censib.*, quod
„ contra procurationem præscriptio sibi locum nequeat vindicare, etiamsi
„ longissimo tempore procurationis obsequium non impenderint „; Quam textus dispositionem etiamnum vigere, neque correctam esse a Concilio Tridentino, probat *Fagnan. in Cap. Venerabilis num.25 & seqq. de censib. Anaclet. in lib.3. Decretal. tit.39. num.63. & seqq. Piring. ibid. num.76. not.2. Schmalzgrueb. num.112.*

Gravior autem est dubitatio de præscriptione, quæ fuerit immemorabilis: Eam quippe contra procurationes valere sentiunt *Abb. consil. part.2.*, *Consil. 26. num.4. Marian. tract. de visit. num.52. Piasec. Prax. Episc. part.2. cap.3. artic.8. num.15. Schmalzgr. loc. cit. num.115.*; Contrariam

verò

verò tuentur sententiam *Felin. in cap. cum ex officii 16. de præscript. Azor. Inst. Mor. part. 2. lib. 3. cap. 42. quæst. 14. Piring. in Decretal. lib. 2 tit. 26. num. 24. Leuren, in Decretal. lib. 1. tit. 31. sub n. 3.*, quibus consentire videtur *Fagnan. in cit. Cap. Venerabili num. 20. & seq. de censib.*, ubi multis probat procurationem debitam ratione visitationis non esse a subdito præscriptibilem „ Quum contra procurationem, quæ ratione visitationis „ debetur: præscribi nequeat, quemadmodum nec contra visitationem „ ipsam; ut inquit textus in cap. accedentes 11. de præscript.

Itaque tria in hac causa ponderanda sunt. Primo num consuetudo, quæ adversum Plebanum obiicitur, satis probata sit ex eo, quod visitati numquam Procurationem persolverint, vel potius necesse sit petitam fuisse procurationem, & visitatos detrectasse illam solvere, atque ita rem per longum tempus quiete mansisse, uti ex Sacræ Congregationis sententia requiri notat *Fagnanus* verba faciens de Episcopo, qui numquam procurationem exegit *in cit. cap. Venerabili num. 29. de censib.* Secundo, num ista dicenda sit consuetudo potius, quam vera præscriptio; Tertio, num quæ de præscriptione generaliter dicta sunt, æque obtineant in ea præscriptionis specie, qua nihil juris sui aufertur Episcopo, sed integrum onus procurationis in aliquam Ecclesiam transferri contenditur; Hujus etenim præscriptionis firmitati nihil obstare tradunt *Alex. de Nevo in cap. accedentes num. 17. de præscript.*, *Azor. Inst. Mor. par. 2. lib. 3. c. 42. quæst. 11. vers. si roges, Schmalz. loc. cit. num. 113.*; Quamquam *Fagnan. in cit. Cap. Venerabili num. 28.* contrarium sibi adeo persuasum habuisse videatur, ut probet procurationes etiam num præscribi non posse, quoniam credendum non sit præservari a Concilio Tridentino voluisse præscriptionem unius Ecclesiæ in præjudicium alterius, cui accresceret onus solvendi integram procurationem.

Præterea expendendæ sunt resolutiones editæ nonnullis in casibus, in quibus, allegabatur antiqua consuetudo præstandæ integræ procurationis ab una Collegiata Ecclesia, non vero a Confraternitatibus, aliisve piis locis Visitationi subjectis. Nam in *Signina* 2. Augusti 1670.: „ Sacra „ Congregatio auditis &c censuit Beneficiatos, & Confraternitates Ter„ re Vallis Montanæ teneri procurationem contribuere Episcopo Visitanti, „ nec illis suffragari ass. consuetudinem, quod hujusmodi procuratio sol„ vi consueverit a Capitulo, & Canonicis Collegiatæ dictæ Terræ. „ Duobus item. quæ proposita fuerunt, Dubiis in Juvenacen., seu Nullius Terlitii Visitationis. III. An procuratio sit præstanda a sola Collegiata Terlitii (a qua sola Episcopus ajebat exemplo Prædecessoris sui procurationem exegisse) vel per contributum ab omnibus aliis Ecclesiis, & locis piis visitandis & quatenus per contributum. VI. An, & a quo sit facienda repartitio, seu exactio, die 23. Junuarii 1706. responsum est: Ad III. Negative ad primam partem, & affirmative ad secundam. Ad IV. faciendum esse a Capitulo, & in casu controversiæ ab Episcopo Visitatore, & amplius.

Deliberandum itaque est ab Eminentissimis Patribus.

I. An omnes visitationi subjecti, & signanter Confraternitates, nec non beneficia simplicia, ac Cappellas perpetuas possidentes in Castro Carticeto teneantur per contributum ad procurationem in casu &c.

II. An Plebanus, qui sustinuit totum pondus procurationis in retroactis visitationibus, sit proportionabiliter reintegandus ab aliis visitatis in casu &c.

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative pro procurationibus præstitis ab anno 1735. citrà.

Sess. 24. c. 12. de Ref., & Sess. 22. D. c. in obs. & evit. de celeb. Miss.

CAMERINEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Ecclesia Collegiata S. Mariæ de Platea Terræ Mathelicæ a primeva sui erectione unam Archipresbyteri Dignitatem numerat, & octo Canonicos: His deinceps additi fuerunt ex pia Fundatorum voluntate quatuor Canonicatus, qui juripatronatus subsunt Familiæ de Razzantibus, indeque alter Canonicatus Familiæ Salta; ac eorum singulis injunctum fuit a Fundatoribus onus duplicis per hebdomadam Missæ, quod tamen quoad quatuor superius memoratos Canonicatus fertur jam olim fuisse ad duas missas quolibet mense redactum.

Variis autem sub pactis a Capitulo admissa fuit posterior hæc una, & altera fundatio, nimirum quod novi Canonici non secus ac veteres morem gererent Ecclesiæ Constitutionibus, & Capituli Decretis, missas per turnum canerent, divinis officiis interessent, aliqua munia explerent sive solita, sive insolita, atque etiam subessent contributioni expensarum pro sartis tectis Ecclesiæ, Sacris supellectilibus, stipendiis Ministrorum, aliarumve similium; quin tamen ipsi locum, aut vocem in Capitulo sibi possent adserere.

De emolumentis vero, quorum iidem participes fierent, paulo liberalius actum est cum quatuor Canonicis *de Razzantibus*, quam cum postremæ Fundationis Canonico: Illis namque potestatem fecit Capitulum, ut quum interessent exequiis Mortuorum, officiis, ac solennibus Functioninibus intra Collegiatam Ecclesiam celebrandis, consuetas eleemosynas æquo jure perciperent, atque etiam in partem venirent omnium piarum largitionum, quæ imposterum Capitulo essent obventuræ; secus autem conventum est quoad Canonicum Familiæ *Salta*; Huic enim præscriptum fuit, ut nihil quicquam sibi vindicare posset de piis ejusmodi largitionibus, præterquam si ad eas nuncupatim invitaretur a Benefactoribus; consuetas autem eleemosynas occasione exequiarum, officiorum, aliarumque solemnium Festivitatum, quæ in ipsa Collegiata Ecclesia peragerentur, ipse quidem pro æqua parte perciperet, at ea emolementa, quæ nuncupantur -- la cera, danari, e spoglie -- solis antiquis Canonicis, prout hactenus fuerant, præcipua esse deberent.

Ad istarum pactionum normam quinque novi Canonici eodem prorsus modo, quo antiqui, Missas canere, ac cetera incumbentia sibi munia implere consueverant. Verum tamen, neque ab antiquis, neque ab alterius Fundationis Canonicis Missam Conventualem fuisse olim pro Benefactoribus applicatam, argumento est Decretum quoddam Episcopi sub ann. 1703. hanc Missæ Conventualis applicationem præcipiens. Variæ autem controversiæ quum ea super re natæ inde fuerint inter Canonicos primævæ erectionis, & quinque alios, eodem anno 1703. ita fuerunt compositæ, ut Canonicus Matthias Salta, salvo tamen & integro menente successorum jure, sponte sese subjecerit communi applicandæ Missæ Conventualis, aliarumque solemnium obligationi, alii vero quatuor Canonici de Razzantibus pari quidem tenerentur lege, sed illis ob nimiam tenuitatem eorum cujusque redituum ne sex quidem scutorum summam attingentium aliquis ex antiquis Canonicis alterius Missæ vicem pro Conventu li rependeret, ea tamen explicata conditione, ut si qua die plures pro populo Missæ forent applicandæ, tunc iidem quatuor Canonici de Razzantibus ad earum celebrationem, & applicationem per turnum obstringerentur, quin veteres Canonici aliud onus, præter unius tantum Missæ Conventualis applicationem, iis diebus sustinere deberent.

Plures ab hinc annos tam ab illis quatuor Canonicis Familiæ Razzantis, quam a moderno Canonico Petro Salta prætermissa fuit applicatio Missæ Conventualis pro Benefactoribus eo sub obtentu, quod tale ipsis onus haudquaquam hæreret: Id autem animadvertens Episcopus occasione Sacræ visita-

visitationis, præcepit, ut hac de re antiqui, & novi Canonici Oraculum Sacræ hujus Congregationis exposcerent. In sua vero Relatione ad Sacram Congregationem post hæc Eminentissimorum Patrum jussu transmissa, quoniam inter pacta istorum quinque Canonicatuum erectioni adjecta nihil dictum fuisse constitit de obligatione celebrandæ Missæ Conventualis, atque etiam quia exiles admodum sunt reditus quatuor Canonicatuum de *Razzantibus*, æquam judicat eam sententiam „ Quod tam Canonicus „ Salta, quam alii quatuor Canonici supernumerarii teneantur ad cele- „ brationem Missæ Conventualis per turnum cum hac tamen lege, & con- „ ditione, quod Canonici primæ erectionis persolvant de eorum massa „ quinque Canonicis noviter adjunctis stipendium, seu eleemosynam.

Non hic veteri Capitulo arridet statuendæ rei modus: Pertendit enim servandam prorsus esse concordiam utrinque initam anno 170.. Quod si ex caussa tenuitatis redituum remissius adhuc agendum videatur cum quatuor secundæ erectionis Canonicis, eadem pariter ex caussa laxandum potius sibi esse, inquit, priscæ obligationis rigorem, quam novum superimponendum onus eleemosynæ, qualem pro Missa Conventuali tribui oportere censet Episcopus: Notulam siquidem, quam ex Inventariis in Archivio Ecclesiæ reconditis deceptam esse testatur Capituli Secretarius, quæque relegi potest in Summario ejusdem Capituli, sola exhibet scuta viginti inter Archipresbyterum, & octo antiquos Canonicos partienda, plurium vero præbendarum, quas illi possident, fructus subductis oneribus longe minores scutis viginti, sed & gravissimis quandoque sumptibus eos exhauriri fertur, adeo ut sub postrema hæc tempora, ut plures Fabri testantur, ingens quantitas scutorum 850 fuerit a Capitulo impensa in restaurationem Ecclesiæ, refectionem Organi, atque incomparandis repositoriis sacrorum supellectilium.

De celebratione, & applicatione Missæ Conventualis, a quibus, & quando exigenda sit, numve ex caussa tenuitatis redituum aliquam facile moderationem admittat, atque etiam num eleemosyna persolvi debeat celebranti eamdem Missam, satis notæ sunt regulæ ab hac Sacra Congregatione receptæ, atque alias late deductæ in *Florentina 26. Martii* 1735., *in Pisana Applicationis Missæ Conventualis 6 Julii* 173., *& in Senogallien. Missæ Conventualis* 9. *Septembris*, *&* 16. *Decembris* 1741.; quarum similes alias collegit S. D N in suis *Notific. at. tom.*5. *Notific. at.*19. §.2. & in alio eximio opere inscripto *Annotaz. sopra le Feste &c. e sopra il S. Sagrificio della Messa tom.*2. *par.*4. *sect* 2 § 29. *& seq.*

Ad alteram vero, quo spectat quæstionem, de qua postremo loco disputatio instituetur, num scilicet in Vigiliis, in quibus duæ, aut tres Missæ cum cantu sunt celebrandæ, omnes debeant applicari, quoddam extat responsum Sacræ hujus Congregationis die 28 Februariis 1722. Brundusino Archiepiscopo datum his verbis „ Relatis in Sacra Congregatione Conc. Li- „ teris Amplitudinis Tuæ una cum precibus Capituli & Canonicorum Col- „ legiatæ Loci Massa piæ prætendentium se non teneri ad quotidie ap- „ plicandum pro Benefactoribus unam Missam Conventualem, ac alias „ duas & ultra, quæ tempore quadragesimæ, & Vigiliarum ac similium „ dierum conventualiter decantari solent sub prætextu assertæ immemo- „ rabilis consuetudinis in contrarium, EE. PP. censuerunt, Capitulum, „ & Canonicos prædictos teneri quotidie ad applicationem Missæ Con- „ ventualis pro Benefactoribus, ac omnium Missarum Conventualium, „ quæ juxta Rubricas celebrari debent *ut in lib.*26. *Lit. V. S.S. L.*

His omnibus recte perpensis deliberare oportet.

I. An tam possessores pro tempore Canonicatuum de jurepatronatu Domus de Razzantibus, quam alter de jurepatronatu Domus Salta adjunctorum Capitulo veteri Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Mariæ de Pla-

Mathælicæ teneantur Missas Conventuales applicare pro Benefactoribus in casu &c. *& qu tenu affirmative* .

II. An Canonici Capituli veteris teneantur subministrare eisdem respective Canonicis adjunctis Eleemosynam pro dictarum Missarum Conventualium applicatione in casu &c.

III. An sit locus reductioni applicationis ad solos dies Festivos per turnum faciendæ tam per Canonicos Capituli veteris, quam per adjunctos quatenus isti teneantur, in casu &c.

IV. An in vigiliis, in quibus duplicantur, vel triplicantur dictæ Missæ cantatæ, sint omnes applicandæ, vel una tantum in casu &c.

Ad I. & II. Affirmative ad formam concordiæ. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative, sed in casu, de quo agitur attenta tenuitate redituum ex gratia concedendum esse, ut una tantum applicetur.

Sess. 22. C. 6. de refor.

THEANEN. TESTAMENTI. Sacerdos Carolus Zannini condito testamento sub annum 1707., præter alia complura in eo dispositia pro Cappella Sanctissimæ Trinitatis recens ab eo erecta, ac pro consanguineis, aliisve personis, sepulturam sibi delegit in Sepulchro Sacerdotum Collegiatæ Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ Arcis Monsinæ patriæ suæ, scripsitque hæredes „ Li Rev. Canonici Curati odierni, e successivamente „ futuri in perpetuo, & pro tempore delle Venerabili Chiese Parochiali di S. Maria Grande, di S. Angelo del Gallo, e di S. Nicola „ delli Garofani di questa Terra „, ita quidem ut sex partes fructuum quotannis ex bonis hæreditariis provenientium præcipuæ esse deberent totidem Canonicorum S. Mariæ, reliquæ verò duæ inter Caunicos S. Angeli, & S. Nicolai ex æquo partirentur.

Voluit autem, ut omnes iidem Canonici quotidie in Choro Divina peragerent Officia eo prorsus modo, quæ antea Festis tantum diebus consueverant, utque applicarent juxta ipsius Testatoris mentem quatuor per Hebdomadam Missas Conventuales: quod si nollent, vel non possent cum ea lege suam hæreditatem adire, onus illis perpetuum adjecit erogandi universos hæreditarios reditus in celebrationem duplicis per Hebdomadam Missæ cum cantu, aliarumve Missarum in ipsa Collegiata Ecclesia S. Mariæ, tributa cuilibet Missæ cum cantu eleemosyna Carolenorum quinque, aliis vero Carolenorum duorum.

His vero plura in eodem addidit testamento, imo etiam clarius voluntatem suam explicare intendens nonnihil immutavit varios cogitans casus, in quibus, vel ab omnibus, vel ab aliquibus tantum Canonicis det ectarentur obligatio inserviendi Choro singulis diebus; Idque speciatim statuit: „ Come che la mia volontà si è, che dalli predetti Rev. Canonici unitamente per le rate ut supra dichiarate s'accetti detto peso „ dell' Ufficiazione quotidiana in detto Coro ut supra, ed affinchè io per „ quanto sia possibile possa ciò ottenere moderando tutte le cose predette „ da me disposte, a rispetto di detti pesi non altrimenti, in quanto all' „ istituzione dell'Erede ut supra, voglio, ordino, ed espressamente commando, che quante volte detti Rev. Canonici accettassero detto peso „ di detta Ufficiazione, le quattro Messe Conventuali la Settimana „ disposte a mio beneficio s' intendono ridotte, conforme le riduceno „ a due solamente.

Fertur hunc Sacerdotem Zannini ita testatum fuisse, dum gravi morbo decumberet: quum vero postea convaluisset, hanc eamdem suam voluntatem significasse Canonicis, tum etiam aliis expsuisse vehemens suum desiderium, ut quæ de exhibendis quotidie Divinis Officiis ipse statuerat,

rat, confestim, non expectata sui morte perducerentur ad exitum, sibique interim propriis ex bonis ea fructuum portio reservaretur, quæ par esset idoneis reliquæ vitæ commodæ transigendæ subsidiis. Verum repugnantem pio huic consilio quorumdam Canonicorum sententiam in caussa fuisse, cur idem Sacerdos pluries cum amicis, & familiaribus conquestus fuerit de ea recusatione. Id scilicet narrat Episcopus ex pluribus fide dignis testibus se habuisse compertum.

At novo postea correptus morbo idem Sacerdos ineunte anno 1716. Codicillos sub mensem Martii ejusdem anni conscripsit clausos, & sigillatos, in quibus præcepit, ut a Canonicis hæredibus in testamento institutis,, in ,, luogo di detta Officiatura quotidiana,, erigi debe et ex annuis bonorum immobilium fructibus mons frumentarius, unde Pauperes indigenæ, ii præsertim, qui degerent in Paræcia S. Michaelis Archangeli, opportuna donari possent tritici subventione, lege tamen illis imposita restituendi Monti Frumentario per tempus advenientis fructuum collectionis tantumdem ejus quantitatis, quam accepissent:,, Coll' interesse di mezzo quarto per ,, tomola l'anno da esigersi, e pagarsi detto greno in Capitania, ed interesse unitamente nel Mese di Agosto di ciascun anno &c -- subjungens ,, che detto grano per l'assicurazione della restitutione s'impronti con ,, pegni di fliggi a persone, che non hanno modo di restituirlo, ed a ,, quelli, che hanno modò colli dovuti oblighi &c affinchè in ogni conto s' accerti la restitutione, unione, e cumulo ogni anno, ed anno in ,, perpetuo Quod si beneficio temporis Montem Frumentarium augeri contingeret supra quam postularet egentium necessitas, incrementum ejusmodi distribuit voluit eleemosynæ titulo in pauperes graviori egestate pressos, vel in miserabilium puellarum subsidia pro hæredum arbitrio.

In iisdem præterea Codicillis prælegati nomine Canonicis hæredibus utendum fruendum reliquit prædium quoddam ob curam, & sollicitudinem, quam illi essent in administrando Monte Frumentario impensuri: Stipendium etiam constituit annuorum ducatorum decem ei, quem hæredes præfecerint exactioni tritici a mutuatariis restituendi. Ac demum jussit ex reliquis hæreditariis reditibus, fundari, dotarive Cappellam, in qua vel ipsi hæredes Canonici, vel alter Cappellanus communibus eorum suffragiis eligendus tot Missas celebrent, quot ferre possint iidem reditus, duobus Carolenis pro eleemosyna cujuslibet Missæ præstitutis.

Omnia hæc in Codicillis disposita (quemadmodum refert Episcopus) adamussim executi sunt heredes Canonici. Nuper vero parati quum sint omnium consensione dare operam diurnæ in Choro psalmodiæ, facultatem demisse implorant, juxta preces Sanctissimo Domino Nostro oblatas, & ab eo Sacræ huic Congregationi remissas, convertendi tum annuos triginta sex Ducatorum reditus in Montis Frumentarii caussam destinatos, tum alteram annuam summam Ducatorum 66., qualem efficiunt reliqui pecuniarum, & censuum fructus hæreditarii, in quotidianas distributiones impartiendas iis, qui Choro interessent, integra manente ipsis Canonicis obligatione conservandi perpetuo Montis Frumentarij ad quantitatem usque Modiorum biscentum, applicandique secundum Testatoris voluntatem duas per Hebdomadam Missas Conventuales.

Universitas tota Arcis Monsinæ non modo ultro adsentitur Canonicorum Votis, sed plurimum exoptat, ea suum consequi finem; Quod & in publico generali Consilio ad id convocato declaratum est, & supplici quoque libello ad Episcopum dato Syndici Universitatis significatum voluerunt. In eamdem omnino sententiam convenit Episcopus. Hoc enim pacto inquit non solum servari mentem Testatoris in Codicillis expressam, verum & perpetuam, quam semper in corde habuit, quamque non spon-

ſponte, ſed potius coactus immutavit, de pſallendis quotidie divinis laudibus voluntatem impleri.

Præterea hoc ipſum, quod Canonici offerunt, quotidianum Chori ſervitium, rem maxime optabilem eſſe ſubdit - „ Tum quia Oppidum illud „ extat celebrare numerum habitantium ad tria millia circiter, tum „ quia ipſa Collegiata Eccleſia S. Mariæ Majoris ſita in medio Fori illius Oppidi, & ab anno 1715. a fundamento iſtaurata, novis, ac magnificis ſtructuris exornata, Ara Maxima ex politiſſimo marmore decorata videtur: Tum denique hoc eodem anno ex munificentiſſima „ SS. D N. benignitate novis inſignibus Rocchetti, & Mozzettæ cum „ caputio violacei coloris aucta fuit, ita ut prædicta Collegiata Eccleſia nullo alio indiget ornamento, niſi miniſtris, qui in ea quotidie ad „ formam Cathedralis divinas laudes perſolvant.

Hæc Canonicorum petitio propoſita fuit inter ſummaria præcum ſub diem 16 Martii vertentis anni; Quamquam vero circumſtantiæ cum ab Oratoribus, tum ab Epiſcopo recenſitæ ei multum favere viderentur ſuſpenſos tamen tenuit Eminentiſſimos Patres, ne illi annuerent, dubitatio, quæ ipſorum animos ſubiit, num liciti poſſint dici fructus provenientes ex majore quantitate frumenti, quod obſtringuntur Monti reſtituere Mutuatarii, quoque ſucceſſu temporis fructus hæreditarios adeo notabiliter auxiſſe præfertur; ſepius enim uſurariam pravitatem ab Apoſtolicis Conſtitutionibus vetitam redolere declaravit ſacer iſte Senatus quidquid, præter mutuatam frumenti quantitatem, exigitur ſupra id, quod Adminiſtratorum ſtipendiis, cæteriſque ipſius Montis ſumptibus ſit neceſſarium, ut in ſpecie reſpondit Epiſcopo S. Angeli Lombardorum, & Biſacciarum 2. Junii 1663. *lib.12. lit. Viſit. SS. Lim pag 247. ter.*, Epiſcopo Maceraten. 26. Aprilis 1664. *lib 13. lit. Viſit. SS. Lim. pag.49. ter.*, Epiſcopo Cariatenſi, & Cerentino die 16. Novembris 1725. *lib 22. dd. lit. pag.238. ter.*, Epiſcopo Tridentino die 17. Martii 1728. *lib 23. dd. lit. pag.124. ter.*, & aliis paſſim; Adeoque excitata tunc fuit quæſtio, num vice annuendi præcibus Canonicorum præſtaret magis reſcribere Epiſcopo, ut jubeat, nihil ab Adminiſtratoribus controverſi Montis Frumentarii, ultra ſortem frumenti mutuati, impoſterum recipi, niſi quantum ſit ſatis ad Miniſtrorum ſtipendium, & ad expenſas, quas ipſius Montis conſervatio poſtulat; Quemadmodum Sacra hæc Congregatio ſub diem 24. Januarii 1739. rejecta inſtantia Epiſcopi Senogallienſis, qui rogaverat applicari Seminario Epiſcopali non modicam Capitalium acceſſionem quibuſdam Montibus frumentariis ſuæ Diœceſis factam ex majore frumenti quantitate, quam ipſorum Adminiſtratores conſueverant ultra ſortem mutuatam a Mutuatariis exigere, injunctaque diſtributione ejus pretii, quod ipſis mutuatariis, aut eorum hæredibus reſtitui nequiret, in eleemoſynis pauperum, præcepit eidem Epiſcopo, ut in poſterum curaret omnino ab Adminiſtratoribus Montium Conſtitutionem ſan. mem. Leonis X. in Concilio Lateranenſi editam ſervari: Quocirca ad rem hanc motoſius decidendam juſſerunt Eminentiſſimi Patres Cauſam in folio deſcribi.

Reſtat jam vero ut omnibus mature perpenſis ad Dubium, cujus reſolutionem urgent Canonici, quique toti ſunt in adſerenda ſuæ petitionis æquitate, dignentur EE. VV. reſpondere.

An ſit locus applicationi fructuum hæreditatis Caroli Zannini favore Capituli Eccleſiæ Collegiatæ Terræ Arcis Monſinæ cum onere recitandi quotidie officium divinum ad favorem Teſtamenti ejuſdem Caroli in caſu &c

Dilata, & proponatur in prima.

VA-

VASIONEN. DISTRIBUTIONIS ELEEMOSYNARUM. In Sacra Visitatione Loci *du Barroux* comperiens Episcopus nullum ibidem peculiare subsidium extare pro pauperibus mala valetudine affectis, nec recte fieri per Consules universitatis distributionem redituum, sive proventuum, quos vulgari nomine Charitatis appellant, illosque omnibus ejus Loci Habitatoribus sive indigentibus, sive non indigentibus indiscriminatim conferri decrevit, propterea reditus illos infirmis pauperibus tribui, eo, qui per schedulas Parochi ab uno vel altero ex Consulibus signatas præscriberent, modo, annisque singulis administratores eorum proventuum, sive *Charitaderios* teneri ad reddendas rationes, vel sibi, vel Parocho ad id delegato. Hæc leguntur in Decreto, quod scripsit Episcopus, quodque etiam confirmavit Prolegatus Avenionensis. Sess.22. c.8. de Ref.

Haud placuit Communitati ea Decreti pars de schedulis a Parocho reportandis, antequam singuli pauperes aliqua subventione donentur. Supplex idcirco ipsius Communitatis nomine Sacræ huic Congregationi porrectus fuit libellus, quo postulatur, ut integra Consulibus, atque Administratoribus eorumdem redituûm servetur facultas illos dispensandi ægris pauperibus, quin ullam exquiri oporteat Parochi schedulam: Ita namque observatum hactenus fuisse supra quamcumque hominum memoriam exponitur, initaque olim transactione Parochum inter, & Consules magis confirmatum. In eadem siquidem transactione Parochus quarumdam epularum loco, quas annuatim exhibere consueverat „ Promette (ut in in„ strumento legitur) la quantità di sei cimine di buon grano ..., le „ quali saranno date alli Signori Consoli col denaro della Carità di detto „ luogo per esser dopo ridotte, e convertite in pane, e distribuite dalli „ detti Signori Consoli, e Caritadieri alli poveri particolari di detto „ luogo in ciaschedun giorno di Pasqua.

Super his precibus jussus Episcopus Sacram Congregationem instruere scribit constitutum ab se fuisse peragendæ distributionis modum, qualem ipse jampridem pluribus in locis suæ Diœcesis edixerat, atque Sacra hæc Congregatio laudaverat per Epistolam occasione Relationis status Ecclesiæ sibi conscriptam die 8. Augusti 1734. in qua præ ceteris ista significantur „ Panis reliquorumque commeatuum ex pio legat distribu„ tionem, ut abs te decreta fuit, non probat solum, sed summopere „ laudat, suoque decreto pondus addit authoritatis suæ.

Cur autem Schedulas a Parocho, atque uno ex Consulibus subscribendas ipse præceperit, id factum esse inquit „ Ut sciri possit per exhibitionem „ Schedularum, dum ratio redditur, quæ summæ, & quibus fuerint di„ stributæ; qui Schedularum usus eo magis necessarius est, quod tum „ Consules, tum Caritaderii sæpe sæpius sunt illiterati, nec codicem „ rationis conficere valent... Sin autem juxta intentum Communitatis „ Schedulæ, seu Billeti pro distributione a solis Consulibus plerumque „ illiteratis subscriberentur absque ulla Parochi participatione, sane di„ stributio dd. redituum numquam pauperibus & magis egenis, sed per „ Caritaderios ad libitum, & contra fundationum tenorem fiet „ Quemadmodum antea in pauperes promiscue, ac divites reditus ipsos profundi consuevisse enarrat, ac etiam quandoque in proprium Administratorum compendium.

At vero, qui Consulum partes agit, quodcumque malæ dispensationis periculum satis arceri putat per accuratam dati, & accepti adnotationem, quæ in peculiari libro commode perfici poterit a Secretario Communitatis, atque per annuam editionem rationum, cui ultro consules ipsi sese subjiciunt; Unde nihil caussæ proponi, cur libera erogandorum in pauperes redituum facultas, qua usi antea fuerunt, ad Parochi arbitrium & voluntatem contrahatur.

Porro

Porro de similibus *Charitatis* proventibus alterius Loci *d'Entrechaux* quamdam profert ordinationem a bon. mem. Philippo Bondelmonti, dum Prolegati Avenionensis munere fungeretur, editam id inter cætera præscribentem ,, 5 Che le distribuzioni non possano farsi se non che d'ordine, ,, e consenso de' Consoli, e Cartatieri, e si ritireranno le ricevute da quelli, a' quali si farà la distribuzione. 6. Si potrà, se si giudica a ,, proposito prender l'avviso, e informazione dal Curato circa li poveri ,, bisognosi, ed ammalati, de' quali potranno aver conoscenza, ma il ,, suo consenso non sarà altrimenti necessario per questa distribuzione, ,, nella quale egli non avrà alcuna amministrazione.

Num itaque plano Consulum & Administratorum arbitrio relinquenda sit earum rerum dispensatio, quæ pauperum subventioni destinatæ sunt, vel potius probari debeat modus ab Episcopo decretus, pervestigandum est: Sane Diœcesanorum Antistitum curæ, & solicitudini commissam esse quorumlibet piorum operum executionem, produnt Sacri Canones *in cap. tua nobis de Testam. & in Clem. Quia contigit de Relig. dom.* quos Tridentini Patres innovarunt *in cap. 8. Sess. 22. de Ref.* illud quoque speciatim exprimentes quod ,, Eleemosynas Montis Pietatis, seu Charitatis, ,, & pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta Sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur ,, non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili privilegio, aut statuto.

Verum non ideo tributam esse facultatem Episcopis adimendi, vel coercendi liberam, quæ ad alios pertineat administrationem, & erogationem rerum ad opera pia spectantium, dummodo illi rectæ administrationis partes adimpleant, reddantque singulis annis gestorum rationem, respondit alias Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis proposita Æsino Episcopo his verbis ,, Questi miei Illustrissimi Signori hanno ,, ordinato, ch'io scriva a V. S. che dovrà bastarle, che la Confraternità ,, di coteste Compagnie distribuiscano le limosine secondo la mente di ,, quelli, che le hanno ordinate, purchè a lei ne rendano buon conto ,, sempre, quando vuole, per emendare in caso, che vi fosse errore, ,, lasciandone nel restante la cura ad essi ,, ut refert *Pignattel. tom. 7. Consult. 15. num. 32.* In eamdemque fere sententiam legitur altera hujus Sacræ Congregationis declaratio apud *Bellarm. in Concil. Trid. Sess. 22. cap. 9. de ref. in observat Doctrin. circa fin.*, atque similes etiam resolutiones prodierunt in *Ferentina Jurisdictionis* 15. *Martii* 1704. *in Firmana Jurisdictionis* 4. *Augusti* 1714.

Ponderandæ tamen sunt aliæ resolutiones editæ in *Lancianen. Confraternitatis* 20. *Septembris* 1710. ubi *ad III. Dub.* ,, An possint (*nempe Confratres*) libere disponere de introitibus, effectibus, & eleemosynis ,, ejusdem Confraternitatis absque licentia Curiæ Archiepiscopalis, *rescriptum fuit* -- Ad III Affirmative exceptis eleemosynis, in quibus ,, servetur dispositio Bullæ San. mem: Clem. VIII. ,, *atque in Asculana* 24. *Martii* 1725. *in qua ad VI. Dub.* ,, An Officiales sive Confratres ,, possint acceptare legata, & pecunias relictas a Testatoribus investire, ,, vel in usus a Testatoribus destinatos, sive in alios erogare absque licentia Ordinarii, *Sacra Congregatio rescripsit* Negative, & quoad legata pure lucrativa, & erogationem in usus a Testatoribus designatos affirmative, sed cum participatione Episcopi.

Denique in *Juvenacen. Administrationis quæsitum fuit* ,, An administratio ,, proventuum spectantium ad Confraternitates, & loca pia Terlitii pertineat

„ tineat ad Confratres, & officiales cum omnimoda independentia ab
„ Episcopo, vel potius erogatio dictorum proventuum facienda sit a
„ dictis Confratribus, & Officialibus cum scientia, & approbatione Episcopi in casu &c. „ Et Sacra Congregatio die 7. Julii 1736. respondit
„ Negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam ad
„ formam Decretorum bon. mem. Episcopi Chiurlia „; Die autem 22. Septembris ejusdem anni stetit in Decisis.

His itaque sub oculos habitis dignabuntur EE. PP. respondere.

An distributio eleemosynarum, seu redituum, de quibus agitur, fieri possit per Consules, & Caritaderios loci de Barroux absque schedulis, seu biliectis Parochi dicti loci in casu &c.

Affirmative, & ad mentem.

Die Sabb. 28. Septembris 1743.

THEANEN. TESTAMENTI. Decisio hujus Causæ descriptæ in postremo Folio diei 24. Augusti proxime præteriti fuit ad hodiernam Congregationem dilata. Dignentur itaque Eminentissimi Patres, resumto eodem folio una cum juribus tunc distributis deliberare. *Sess. 22. c. 6. de ref.*

An sit locus applicationi fructuum hæreditatis Caroli Zannini favore Capituli Ecclesiæ Collegiatæ Terræ Arcis Monfinæ cum onere recitandi quotidie Officium divinum ad formam Testamenti ejusdem Caroli in casu &c.

Negative, & amplius.

RAVENNATEN. ORDINATIONIS. Clericus Jacobus Fabbrius paucis ab hinc annis minoribus quatuor ordinibus a prædefuncto Ravennatensi Archiepiscopo initiatus, nunc vero idoneæ factus ætatis pro suscipiendis sacris Ordinibus, sese pro faciundo ob eum finem doctrinæ suæ experimento coram moderno ejusdem Ravennatensis Ecclesiæ Episcopo Administratore, atque Examinatoribus una congregatis exhibuit: At eorum animum subiit dubitatio, num revera Clericus Fabbrius Ravennatensi Cathedræ subditus esset ob domicilium in ea Civitate contractum, (nam quoad originem natus is est in Oppido, seu Villa S. Pancratii Foroliviensis Diœcesis, quamquam postridie baptizatus in Metropolitana Ravennæ Ecclesia). *Sess. 6. c. 5. & Sess. 7. c. 15. de ref.*

Removendæ hujus dubitationis gratia idem Clericus demissas Sacræ huic Congregationi preces obtulit, exposuitque complura perpetui, quo sive ipse, sive Laurentius pater suus fruuntur domicilii jure in Civitate Ravennæ; nimirum officium Parochi, quo alter Laurentius Fabbrius Oratoris propatruus perfungebatur in Ecclesia S. Agathæ Majoris ejusdem Civitatis, Sacerdotium ab Archiepiscopo Ferretto Ravennatensi olim Præsule collatum Joanni Baptistæ Fabbrio patruo suo, munera item, & privilegia Civium, quibus gavisi sunt alter ipsius Oratoris, & Laurentius pater: Hic porro (ut in precibus quoque narratum est) instructis sibi Ravennæ ad habitandum ædibus, ac Sepulchro etiam quadraginta jam ab hinc annis sibi, posterisque suis comparato; præcipuis anni temporibus eam Civitatem colit, filios omnes ibidem Sacro Baptismatis lavacro tingi voluit, ac in eadem Civitate cum uxore, & reliqua sua familia continuo moram trahere, adeo ut ipse Laurentius & filii & uxor, non alibi

quam Ravennæ, Paschatis tempore Sacramenta percipiant, neque descripti reperiantur in Albo animarum Villæ S. Pancratii: speciatim vero Orator ipse ab infantia fere in ipsa Civitate semper versatus est.

Super iis precibus tam Administrator Ravennatensis Episcopus, quam Foroliviensis Antistes jussi Sacram Congregationem instruere significarunt ea, quæ ipsos tenent ancipites, uter ex Innocentiana Constitutione, quæ incipit *Speculatores* jus habeat conferendi ordines Clerico Fabbrio. In quippe Constitutione qui ratione originis, vel domicilii censendus sit subditus pro suscipiendis ordinibus, ita explicatur §. 9. 10. & 11. „ Ceterum subditus ratione originis, is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti occasione nimirum, itineris, officii, legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda ... At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius utroque casu se vere, & realiter animum hujusmodi habere jure jurando affirmet.

Ex his autem colligit Administrator Episcopus haud probari constitutum vel a patre, vel a filio domicilium ad formam Innocentianæ Constitutionis; Non quidem a patre, quoniam is e Villa S. Pancratii oriundus in ea quoque integrum fere annum transigere soleat, neque majorem sed aliquantulam rerum suarum partem transtulerit ad Ravennæ Civitatem: Non etiam a filio, quoniam neque ipse dici possit pleraque bona sua in ea Civitate retinere, neque per decennium ibi commoratum esse: Nam & si illuc impubes advenerit, non tamen ad perficiendum domicilii tempus computandos esse inquit alios, quam qui pubertatem excesserunt, ætatis suæ annos, quum impuberes domicilium sibi nequeant constituere.

Eamdem Foroliviensis Episcopus de patris domicilio movet difficultatem, quam proponit administrator Ecclesiæ Ravennatensis; Nullum vero sibi proprium ab Oratore domicilium adquiri potuisse censet, quod is filiusfamilias sit: „ Ceterum (ait) in hac facti serie, quum tam pater Oratoris, quam ipse Orator parati sint medio eorum juramento testari habuisse animum contrahendi domicilium Ravennaten., & in eo continuandi, eo juramento præstito, si EE. VV. gratiosum accedat oraculum indulgens Oratori, ut promoveri possit ab Ordinario Raven., uti Ordinario suo, ego quoque libenter assentio.

Sane, quum ad habendum domicilium, animus illud sibi costituentis sufficiat re & facto demonstratus secundum *text. in l. Domicilium* 20. *ff. ad Municipal. l. cives Cod. de Incol. & l. postliminii ff. de captiv.*, filiisfamilias quoque permissa est proprii domicilii adquisitio ex Ulpiani responso in *l. placet* 3. *& l. non utique* 4. *ff. ad Munic.* „ Placet (inquit) etiam filiosfamilias domicilium habere posse non utique ibi, ubi pater habuit, sed ubicumque ipse domicilium constituerit (idest, ut explicat ibidem Glossa) „ non tantum, ubi pater habet, sed ubicumque filius constituit sibi domici-

„ micilium „ ; Quod probasse videtur Sacra hæc Congregatio *in Bononien. seu Ferrarien. Ordinationis*. Agebatur ibi de Francisco Maria Riccoboro, qui ex caussa delatæ sibi hereditatis ad Oppidum Centum, unde ortum traxit, reversus fuerat, ut in eodem Oppido perpetuo maneret derelicta Civitate Ferrariæ, ubi ejus pater suam habitationis sedem posuerat, & ipse una cum patre plurimos annos agerat, publicis etiam civium muneribus perfunctus. Proposito autem dubio sub diem 14. Novembris 1733. „ An ad Eminentiss. Archiepiscopum Bononiæ, vel potius „ ad Eminentissimum Episcopum Ferrariæ spectet ordinatio Francisci Ma- „ riæ Riccoboni (rescriptum fuit) Spectare ad Eminentissimum Archie- „ piscopnm Bononię cum literis testimonialibus Eminentiss. Episcopi Fer- „ rariæ, & amplius.

Non adeo expedita res est, num impuberi quoque liceat proprium domicilium habere a paterno distinctum. negant id enim *Feder. de Sen. cons.* 153. *Bald. cons.* 334. *circa med. vers. & ex hac apparet lib.*4. *Navar. Consil.* 3. *num.*6. *de tempor. ordin. lib.*1. *Fagnan. in cap. significavit num.*44. *de Paroch.*, propterea quod impuberes careant animo & intellectu ad domicilii mutationem requisito: atque his consentire videntur, quotquot alii docent filiumfamilias *si pubes sit*, vel *post pubertatem* contrahere domicilium posse, uti *Passerin. in lib. sext. Decretal in cap. nul us de tempor. ordinat. quæst.*1. *artic.*2. *num.*52. *Piring. in Decretal. lib.*1. *tit.*11. §. 5. *num.*35. *vers. Quare studiosi*, *Lauren. in eumd. tit. quæst.*568. *sub num.*2. *Castropal. tract.*27. *p.*15. *num.*4. *in fin. Layu. Theol. Mor. lib.*5. *tract.*9. *cap.*9. *num.*11. Pro hac sententia illud etiam adduci posset, quod ob imbecillitatem judici nemini permissum sit ante annos pubertatis completos, neque testamentum facere *l. qua ætate* 5. *ff. de Testam.*, neque sepulturam eligere *cap. licet* 4. *de sepultur. in* 6.

De infante, qui e patria sua ab avo Materno Ariminum evocatus, ibique diu retentus, ac tandem hæres institutus sub conditione perpetuo in ea Civitate manendi, eam hæreditatem adierat, olim disceptatum est in Rotæ Auditorio, num domicilium illic sibi comparasse videretur; Decisum vero fuit utique comparasse, ut *ex decis.* 193. *num* 2. *& seqq. cor. Merlin.* neque aliquid obstare visum est, quod ageretur de filio infante, tum quia is infantiam egressus hæreditatem adivit, tum etiam, quia contrahendi domicilii animus desideratur in iis dumtaxat personis, quæ hunc animum possint habere, ac demum quia pupillus & infans recte capax sit adquirendi domicilii per tutorem, vel patrem tamquam legitimum administratorem ex Bartoli, aliorumque sententia.

Quæ de potestate impuberis seu pupilli ad contrahendum, vel per se, vel ministerio tutoris, aut patris, proprium domicilium adstruuntur in laudata Decisione, putat Clerici Fabbrii Defensor eidem optime accommodari, eoque facilius, quod in Constitutione Innocentiana, ut quis dicatur subditus ratione domicilii, sola præscribatur cohabitatio decennalis, vel translatio majoris partis bonorum cum instructis ædibus, & mora per aliquod considerabile tempus; Quamobrem earum conditionum una vel altera intercedente, haud curiosius, & subtilius pervestigandum sit, num infans vel impubes domicilium nancisci queat.

Patris quoque sedem in Civitate Ravennæ positam filio suffragari propugnat: Eam vero satis demonstratam iri ex permultis illis, quæ superius relata sunt, paternæ voluntatis indiciis: Neque aliquid contra urgere, quod idem pater majorem anni partem agat in Oppido S. Pancratii, ac pleraque bona sua in eo retineat. Inquit enim moram hanc extra Civitatem Ravennæ, ex accidenti esse, ob gerendam nempe bonorum curam, vel saltem non aliud argumentum præbere, quam duplicis paterni domicilii: Neque vero necessariam esse translationem majoris partis immobilium

bonorum, sed sufficere translationem majoris partis rerum, ac bonorum mobilium, ut opinatur *Morena in suo Comment. ad Bal. Spe ulano ... super tit. Domicil. quæst. 3. dub 7. num 250* -- duplici motus ratione -- „ Tum quia bona immobilia facile transferri nequeunt sine magno dis- „ pendio, & leges positive cum dispendio maximo obligare non inten- „ dunt: Tum quia fructus seu reditus transferendo, & bona immobilia „ transferuntur; Nomine enim bonorum ven t usus fructus ut docet &c.

Denique ut fiat satis Innocentianæ Constitutionis præscripto Laurentius pater jurejurando declarat perpetuam suam voluntatem retinendi Ravennæ domicilii, quod olim sibi, suisque posteris adquisivit: Orator quoque simili juramento adfirmat eo constanti fuisse animo, atque nunc esse colendæ impósterum ejusdem Civitatis.

Omnibus itaque sedulo perpensis deliberare dignentur EE. PP.

An Clericus Sacerdos Fabbrius licite ordinari valeat ab ordinario Ravennæ in casu &c.

Affirmative.

Sess. 24. c. 1. & 4. de ref. Mat.

GRANATEN. MATRIMONII. In Mortis periculo positus Diaconus Noboa Præfectus Militum Annam Franciscam de Seixas, & Bolagnos, cum qua geminos jam filios procreaverat, sub initum anni 1715. connubii jure sibi devinxit impetrata dispositione trinæ publicationis a Vicario generali Archiepiscopalis Curiæ Toletanæ, adhibitaque præsentia testium, ac Religiosi ad id delegati: Exposuit enim se, licet pridem cum quadam Bruxellensi Muliere matrimonium contraxisset, illud irritum prorsus esse multiplici ex caussa, quæ inferius recensebitur.

Convaluit e morbo Didacus, pluresque annos cum Anna de Seixas velut conjuge sua versatus est; Sed Maria Cambies e Bruxellis in Hispanias profecta cæpit se Didaci uxorem nominare. Quamobrem is tamquam Polygamiæ reus a Tribunali Sanctæ Inquisitionis passus est relegationis ad certum tempus duraturæ sententiam, deindeque in Archiepiscopali Curia Granatensi mota est quæstio inter Annam de Seixas, & Mariam Cambies, quæ nam legitima censenda esset Didaci uxor, atque tam Officialis Granatensis, quam Hispaniarum Nuncius suum pro Maria judicium tulerunt.

Novam causæ cognitionem de unius, vel alterius matrimonii viribus impetrarunt Didacus, & Anna de Seixas ab Apostolica Sede delegari Astoricensi Episcopo. Sed quum interea e vivis primum excessisset Maria Cambies, deinde vero ipse Didacus, sola superstes Anna, sua maxime interesse putans proprii Conjugii firmitatem tueri, sacram hanc adiit Congregationem postulatque modo dirimi dubium, quod inferius subjicietur, quodque ab ea pendet indagine, num vera Didacus ante Nuptiale fœdus cum Anna percussum vere, ac valide cum prædicta Maria matrimonium contraxerit.

In formali examine Didacus, ut ex actis ad Sacram Congregationem transmissis apparet, declaravit se, dum Bruxellis ageret, primum cum muliere quadam, quam vocant *la Bertoletta*, ac deinceps cum Maria Cambies ejus sorore concubuisse. Quum autem ex ista filium suscepisset, ut a Parochorum molestiis sese liberaret, propriæque liberius indulgeret libidini, rem totam (ut ipse enarrat) aperuit occurrenti sibi Religioso Societatis Jesu eum exorans ut fingeret ex Archiepiscopi delegatione Matrimonio adsistere; quemadmodum ex condicto tam ipse Didacus, quam Maria vespertinis horis adeuntes Collegium Societatis Jesu coram eodem Religioso, ac duobus testibus pronunciarunt mutua conjugii verba, sed specie tenus, & simulato prorsus animo, ita quidem, ut accepta benedictio-

dictione nuptiali, sibique tradita quadam ad rei gestæ probationem schedula diu in Conjugum schemmate perseverarint, susceptumque antea filium tamquam legitimum describi fecerint in libro baptizarorum Parochialis Ecclesiæ imposito illi nomine Petri Emanuelis: E Civitate vero Bruxellensi discessurus ipse Didacus. ut Mulieris quieti, rectæque apud eam filii educationi consuleret, scripturam quamdam confecit, ubi adnotatur tempus Matrimonii cum eadem contracti, atque etiam Nativitatis, & baptismi Petri Emanuelis filii, istaque adnotatio fieri dicitur in eum finem, ut integrum illis maneat jus quodlibet successionis legitimæ.

At formali pariter examini subjecta Maria Cambies adfirmavit, P. Alexandrum Maes ex Archiepiscopi delegatione Didacum sibi matrimonio conjunxisse, ab eoque munitam esse, ne cujuspiam impedimenti scrupulo angeretur: Ipsam vero, quale illud esset, prorsus ignorasse; Et quamvis ejus Soror cum Didaco familiaribus egisset colloquiis, immo & ad eum quondam in Civitatis arce invisendum perrexisset, nihil tamen, quod sciat minus honestum ab iis patratum fuisse; Quidquid autem de turpiter gestis a Didaco sua cum Sorore fuerit in quadam declaratione antea confecta, proprioque ipsius Mariæ charactere subscripta, expressum, id omne falsum esse adseveravit; Inquit enim se per malam cujusdam Religiosi Martini Colladi fraudem eidem declarationi subscripsisse.

Marianna quoque Cambies Mariæ Soror, & Joseph de Lemos judiciario interrogati deposuerunt, nihil unquam fuisse conscios de impedimento affinitatis Didacum inter, & Mariam Cambies intercedente, sed ratum semper, ac legitimem existimasse, quale publice habebatur, ipsorum conjugium: Quin sub idem fere conjugii tempus a Didaco accepisse refert Marianna, quod Judex, seu Vicarius Generalis ineundi Matrimonii dispensationem concesserit, alter vero Testis narrat receptas a Didaco fuisse, quas ei dederat, nuptiarum gratulationes, sibique tunc percuntanti Mariam respondisse, quod Religiosus quidam Societatis Jesu nomine *Quebeney* Confessarius Archiepiscopi Matrimonio adstitisset.

Plures leguntur in actis epistolæ (si veræ sunt) a Didaco post suam in Hispanias abitionem Missæ ad Mariam Cambies, in quibus illæ, se Maritum, hanc vero sponsam nominat, admonetque ne audeat e Bruxellis discedere. Harum unam Anna de Seixas velut a Maria Cambies acceptam in judicio exhibuit, quemadmodum & altera, quæ fertur a Josepho Noboa Didaci fratre sub annum 1721. conscripta, eamdemque Mariam, ad quam missa est, sororem appellans.

Eminentissimus D. Cardinalis de Alsatia Mechliniensis Archiepiscopus publico testimonio significat ea, quæ non coram Parochis, sed coram aliis Sacerdotibus ab Archiepiscopali Curia delegatis celebrarunt, Matrimonia describi solere non quidem in „Libris Parochialibus „ sed apud Ordinarium, vel in Officialatu: In Archivio autem Officialatus Mechliniensis extare schedulam scriptam manu propria R. P. Alexandri Maes, „ dum viveret, Societatis Jesu Confessarii Prædecessoris sui his verbis „ conceptam, Ego Alexander Maes Soc. Jesu Secerdos omnibus has visuris testor, quod anno 1699. (dies determinatus non occurrit) facultate, & authoritate data per illustrifs., ac Reverendiss Archiepiscopum Mechliniensem in debita forma coram Testibus Ludovico Halleman, & Ignatio Coppennol adstiterit Matrimonio D. Diego de Noboa „ Capitanei cum dicta Luisa Cambies quod in debita forma contraxerunt: Dabam Bruxellis hoc anno 1703. quarta Octobris, quando ad „ hoc justis de causis fui requisitus „: Huic schedulæ adfixam reperiri aliam scribit sub datum 7. Julii 1710., fidem nempe Baptismati Petri Emanuelis, qui ibidem dicitur „ Filius legitimus D. Jacobi de Nogoal Præfecti Legionis Hispanicæ, & D. Mariæ Luciæ Cambii conjugum.

„ (De-

„ (Declarat prætera sibi) ex privata scientia constare quod Illustrissi-
„ mus Prædecessor noster prædictus sæpius authorizaverit dictam P. Ale-
„ xandrum Maes ad assistendum variis Matrimoniis secretis.

Id postremum, & in declaratione pridem edita sub annum 1718. & recentius in formali suo examine testatus quoque est Brugensis Episcopus diu Vicarii Generalis munere in ea Archiepiscopali Curia perfunctus: Sed & illud is perhibet, commemoratam Schedulam P. Alexandri Maes anno 1711. exhibitam sibi tamquam Judici fuisse a Maria Cambies, ac Scriptoris, quem laudat, eo fere tempore demortui, genuinam esse. Id quod sibi constare inquit ex perspecto ipsius scriptoris charactere, & ex comparatione Schedulæ cum quibusdam illius epistolis; Mentionem quoque facit de responso per epistolam sibi dato ab Ignatio Coppenol, quod Didacus, & Maria Matrimonium celebrarint coram P. Alexandro Maes, ac duobus Religiosis Testibus, quorum unus erat idem Ignatius.

Denique prætereundum non est, Mariam Cambies sacramentis refectam obiisse scriptis testamento heredibus Maria Francisca filia legitima ex primo viro suscepta, & Petro Noboa, quem pariter dixit filium suum esse legitimum ex Didaco Noboa secundo ejus viro: Hic e diverso hæredem nuncupavit Annam Franciscam de Seixas Conjugem suam; Præterea (ut fidem facit Cappellanus Hospitalis S. Jacobi Hispanorum Civitatis Neapolis) „ Agens in extremis, omnibusque Sacramentis munitus non
„ sine magna cordis contritione accepta SS Crucifixi Imagine benedi-
„ xit..... protestans & jurans per D. N. J. C, qui judicaturus est vi-
„ vos, & mortuos, se innocentem, innocentissimum cujusdam suppositi
„ Matrimonii, quod per injuriam aliqui allegaverunt se Flandriæ olim
„ contraxisse: Quare in visceribus Jesu Christi eos exoravit, ut consule-
„ rent bene conscientiis suis, ne in æternum perirent.

Quæ Annæ Franciscæ Defensor pro tuenda sui conjugii firmitate in medium protulit commodius subjicientur oculis EE. VV. quam expediat hic ea recensere. Pater ista, & alia, superius exposita renunciavit Bruxellensis Apostolicus Nuncius frustra ad rei hujus lucidationem ampliora desiderari testimonia. Illud vero etiam est expendendum, num præstet causam istam decidere non excitatis ad jura sua deducenda filii forte adhuc viventibus, quos Didacus ex memorata Maria Cambies ante initum controversum Matrimonium suscepisse præfertur:

His igitur ponderatis non graventur EE. PP. purgatissimo, quo pollent, judicio respondere.

An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

Dilata, & proponatur, citatis Interesse habentibus.

Sess. 5. c. 1. & Sess. 24. c. 12. de Ref.

MELEVITANA INDULTI. Canonicus Theodorus Græch quartum decimum ætatis suæ annum agens demissis precibus postulavit a Sanctissimo D. N. facultatem vacandi studiis humanioris Literurum, Philosophiæ, Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici „ publico Seminario Cleri-
„ corum illius Diœcesis, & successive in aliqua approbata Universitate „
perque studiorum tempus integre percipiendi fructus sui Canonicatus, atque etiam distributiones quotidianas laxata eidem residentiæ lege apud Cathedralem Ecclesiam: Sanctitas autem sua Oratori concessit „ ut per se-
„ ptennium proximum tantum a servitio chori præmissa de caussa vacare
„ possit, & interim omnes fructus sui Canonicatus percipere amissis di-
„ stributionibus, quotidianis: Quod si fructus omnes ipsis distributio-
„ nibus, constent, vel si reditus Præbendæ tertiam partem distri-
„ butionum non attingant, duas ex tribus distributionum, vel præbendæ,
„ ac distributionum simul cumulatarum respective percipiat amissa tertia,

„ quæ

,, quæ intereſſentibus accreſcat ; ita tamen ut Orator ipſe dum moram traxerit in Seminario diebus feſtivis , & vacationum inſervire , Eccleſiæ,
,, & officiis perſonaliter intereſſe teneatur .

Utens propterea Canonicus Theodorus tributa ſibi facultate, ad Seminarium perrexit , in eoque verſatus eſt , donec poſtremis Carnis Privii diebus , utut mandato Epiſcopi vetaretur quiſque per id tempus e Seminario egredi , perque Civitatem ſpatiari , ex patris ſui voluntate abſceſſit , indeque profectus eſt (ut fertur) ad quemdam Burmulæ locum octo milliaribus ab Eccleſia Cathedrali diſſitum , ubi etiam num commoratur ex cauſſa vacandi literarum ſtudiis in Conventu Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum .

Pontificio fretus indulto putat optime ſibi licere ab Eccleſia Cathedrali abeſſe ſtudiorum cauſſa , quamquam in Seminario haud victitet : Putat etiam non ampliorem quam viginti ſcutorum ſummam ab ſe perſolvi debere pro quotidianis diſtributionibus . Verum nomine Canonicorum poſtremæ erectionis ipſius Cathedralis Eccleſiæ (quorum unus eſt Theodorus) adverſus utrúmque illud objicitur , quod immo ex Indulti præſcripto , n que fas ei ſit aliter reſidentiæ legem excutere , quam ſi vel Seminarium colat, vel publicum aliquod ſtudiorum athenæum , neque ſola viginti ſcuta , ſed integra ſexaginta quo annis conferre debeat in quotidianas diſtributiones . Pro his enim inquiunt ex fructibus ſeu reditibus cujuſqu præbendæ , quam poſſident ultimæ erectionis Canonici a nuam ſummam ſcut 325. æquantibus , haud minorem ſexaginta ſcutis quantitatem decerni ſolere , vix quidem tertiæ eorumdem fructuum parti reſpondentem , quod & teſtatur Epiſcopus in ſua relatione .

Jure ipſo communi cautum eſt , abſentiam ſtudiorum cauſſa , ut legitimam excuſationem Beneficiariis præbeat , ſi non ſummi Pontificis, Epiſcopi ſaltem licentia cohoneſtari debere , ut aliis adductis probat *Eminentiſs. Petra in Commentar. ad Conſtit. 10. Bonifa i VIII & ſeqq. tom.3* ; Num vero neceſſe ſit, ut Beneficiarius operam det literarum ſtudiis in aliqua publica Univerſitate , ſive Academia , quæ Summi Pontificis , vel ſupremi alterius Principis auctoritate erecta ſit . fatetur ipſe laudatus *Eminentiſſimus Petra ad cit. Conſtit. num 6.* Communem eſſe adfirmantium ſententiam , haud facile tamen ei ſubſcribendum cenſet , neque ſine rationis momento dici poſſe , quod ſuffragetur quoque ſtudium in quocumque publico , & celebri Gymnaſio , ut opinati ſunt *Rebuf. in Prax. Diſpenſ. lib.3. num.30. verſ.7. Sanctarel. Variar. Quæſt.3. num.13. Monet. de diſtrib. par.2. Quæſt.10. n.17.* : Etenim in *cap. Tuæ de Cler. non reſid.* non aliud reſcripſit Innocentius III poſtulatis Altiſſiodorenſis Epiſcopi, quam indulto ſtudiorum non frui Canonicos ,, dum accepta licentia ad
,, Villas , & Caſtra ſe transferuntur , in quibus nullum eſt vel minus com-
,, petens ſtudiorum exercitium .

In eam rem profert quoque idem Eminentiſſimus Petra *ſub cit. num 6. circa fin.* reſcriptum Sacræ hujus Congregationis in una *Mediolanen. 19. Novembris 1673.*, ubi propoſito dubio ,, V. An ipſi debeantur duæ ex tribus par-
,, tibus diſtributionum, quamvis non inſervierit ſub prætextu , quod ſtudiis
,, Sacræ Theologiæ vacaverit in Scholis PP Societatis Jeſu Mediolani ,
,, Sacr. Congr. auditis utriuſque partis Procuratoribus , & noviter dedu-
,, ctis accurate perpenſis : Ad V. prævio receſſu a Deciſis reſpondit affir-
,, mative ut in lib.28. Decret. pag 288.

Hæc vero num cohæreant cum Pontificia conceſſionis forma ſuperius expoſita diſpiciendum erit ab EE. PP. , indeque deliberandum .

I. An Canonico Theodoro ſuffragetur Indultum , ſeu potius ſubjectus fuerit punctaturis a die , quo exivit a Seminario ad inſtar aliorum Canonicorum abſentium , *Et quatenus affirmative quoad primam partem* .

II. An obligatus fuerit , ac teneatur pro diſtributionibus quotidianis exſolvere

vere consuetam taxam scutorum 60. vel potius dumtaxat scuta viginti in casu &c.

Dilata ad mentem.

Sess.22.c.8. & 9. de Ref.

VITERBIEN. LEGATI PII. Petrus del Signore sub annum 1645. in suprema sua voluntate frugi collocari jussit capitalem summam centum scutorum, eumqe Missarum numerum, qui fructibus & eleemosynæ obulorum viginti pro qualibet Missa constitutæ responderet, quotannis celebrari ad Cappellam, sive altare S. Philippo Nerio dicatum in Ecclesia Parochiali S. Laurentii Civitatis Viterbii.

In hunc itaque finem Christophorus del Signore Petri filius & hæres an.1672. pro ea quantitate scutorum centum quamdam ipsius domum supposuit annuo censui scutorum sex, quem deinde Margarita Christophori Soror ejusque heres redemit, alio tamen simili censu in causæ piæ favorem comparato super bonis Thomæ Bastoni; Sed & ipse postmodum, anno scilicet 1721. ut se suaque bona ab hac census obligatione liberaret, capitalem summam scutorum centum restituit Sacerdoti Joanni Laurentio del Signore tunc possessori illius Cappellaniæ sive Legati Pii, eodemque tempore Sacerdos Joannes Laurentius centum scuta, quæ a Thoma Bastoni acceperat, depositi nomine tradidit Dominico Constantino affini suo.

Unus & alter fere annus prætererat, nec dum tamen pecunia deposita convertebatur in alterius rei frugiferæ emptionem: quod proinde, ut commemorati Joannes Laurentius, & Dominicus Costantinus exacte præstarent, ad id jussi fuerunt mandato Episcopalis Curiæ sub annum 1723.; Verum prædictus Joannes Laurentius aliud deinceps Episcopalis Curiæ Mandatum obtinuit adversus Dominicum, ut is omne molestiarum periculum sibi susciperet: Et quamquam ipse Dominicus ab eo mandato provocasset ad Tribunal A. C., edidissetque ibidem acta Episcopalis Curiæ, res tamen ita substitit, neque ultra quidquam actum fuisse apparet.

Eodem fere labente anno 1723. Sacerdos Joannes Laurentius gravi correptus morbo heredem in testamento scripsit „ Un beneficio semplice da „ erigersi nella Ven. Chiesa Parochiale di S. Leonardo di questa Città „ sotto il titolo di esso Santo con il peso in perpetuo al Beneficiato pro „ tempore, che gli celebri, o facci celebrare Messe trenta l'anno per suf- „ fragio dell'anima propria, e de' suoi secondo la sua intenzione e fa- „ cendole celebrare da altro Sacerdote gli si debba pagare alla ragione „ di bajocchi 17. e mezzo per Messa, volendo, che si debbano celebrare „ d. annue Messe in perpetuo nella d. Chiesa.

Jus vero nominandi Cappellanum perpetuo spectare voluit „ al Signor Cri- „ stoforo Figlio del Sig. Domenico Costantini, e della qu. Margarita del „ Signore conjugi suo dilettissimo nepote, ed alli suoi eredi, e ceppo di „ sua casa in perpetuo, senza che vi possa mai avere azzione, o ragione „ alcuna verun' altra persona privilegiata, e privilegiatissima „ Ac denique Testamentarium Executorem elegit eumdem Dominicum Constantinum „ Dovendone il medesimo rendere del tutto esatto conto pregan- „ dolo per l'amor di Dio ad accettare questo peso confidando molto nella „ di lui bontà e diligenza, e che non lo farà restar defraudato di quanto „ sopra ha disposto,

Testatore mortuo Dominicus confecto prius inventario bonorum omnium ad hæreditatem spectantium penes Episcopalem Curiam egit ut anno 1730. perficeretur demandata simplicis beneficii erectio; quumque postea Christophorus Dominici filius idemque Patronus beneficium istud fuisset adeptus, perque sex annos retinuisset, arrepto demum ineundarum nuptiarum consilio, illud resignavit in manibus Episcopi, unaque simul ad ipsum præ-

præsentavit Sacerdotem Dominicum Parri: sed iste pariter post datam sibi institutionem, acceptamque beneficii possessionem, aliquot vix annos in ea permansit, deindeque libere in Curia Episcopali beneficium dimisit: Unde factum est, ut illud Clericus Bartholomæus Parri nuper a Christophoro patrono præsentatus consequeretur, nuncque etiam retineat

At Christophorus Constantini oblato nuperrime Sacræ huic Congregationi libello, in quo exposuit, se nihil antea resciviſſe de pio Legato scutorum centum, quod Petrus del Signore conscripserat, neque pariter de modo, quo peracta est superius enunciati simplicis beneficii erectio, postulavit decerni ex bonis hæreditariis Sacerdotis Joannis Laurentii redintegrationem ejusdem Legati Pii, sive beneficium istud in ejus locum subrogari.

Siquidem hæsisse contendit Sacerdoti Joanni Laurentio, ejusque bonis obligationem redintegrandæ summæ scutorum centum, quam ille pro census redemptione a Thoma Bastoni acceperat rependendique damna exinde Legato Pio illata, propterea quod is propria ex culpa prætermiserit fructuosam reddere eam pecuniæ quantitatem, tametsi fuisset ad id ab Episcopali Curia judiciario monitus; Quinimmo in eo etiam peccaverit, quod summam præfatam non deposuerit, penes Ædem Sacram, uti mos est, atque Administratoribus Locorum Piorum Diœcesanæ Constitutiones præscribunt, neque penes aliquam personam idoneam, sed penes Dominicum Constantinum affinem suum, quem multo antea facultatibus lapsum fuisse testatur Cancellarius Communitatis Viterbii, veluti rem juratis duobus testibus sub annum 1717. receptis comprobatam.

Ex his autem putans Christophorus Constantini manifestam reddi obligationem, quæ inhæret Sacerdoti Joanni Laurentio, ejusque bonis redintegrandi Legati Pii scutorum centum, reficiendique damna inde illata, consectarium illud postea deducit, non alio quam exsolvendæ ejusdem obligationis animo demandatam fuisse a Joanne Laurentio simplicis beneficii erectionem secundum ea, quæ de solutionibus, aliisve præstationibus ad necessariam præcedentis obligationis caussam referendis tradunt *Menoch. lib.4. præsumt.70. num 4. & Rot. in rec. dec.550. num.3. part.4. tom.1., decis.202. n.10. part.13., & dec.595. num 21. pag.19.*, ut propterea decernenda videatur in prioris Legati vicem subrogatio ejusdem beneficii.

At vero Episcopus censet nihil minus veritati accedere, quam Testatoris animum de reintegrando Pio Legato scutorum centum, quoniam in totius testamenti contextu ne ullum quidem verbum occurrat hanc illius mentem significans, ac præterea diserte expressa fuerit voluntas erigendi ex universis rebus hæreditariis Ecclesiastici Beneficii, non autem morem gerendi antiquæ, cui testator obnoxius foret, obligationi erga Legatum Pium.

Onus itaque erit EE. PP. sapientissime pronunciare.

I. An hæreditas Joannis Laurentii del Signore teneatur ad reintegrationem Legati Pii relicti a Petro del Signore in sorte scutorum 100. una cum damnis, & interesse in casu &c. *& quatenus affirmative.*

II. An fuerit sufficienter reintegratum dictum Legatum cum dispositione facta per dictum Joannem Laurentium in suo ultimo testamento, ita ut Cappellania in eo relicta redigenda sit in præfatum Legatum Pium in casu &c. *& quatenus negative.*

III. An & quomodo sit providendum in casu &c.

Ad I. Affirmative, reservatis Juribus contra depositarium. Ad II. Negative. Ad III. Provisum in primo, & secundo, & amplius.

Sess. 25. c. 8. de Ref.

PRÆNESTINA FUNDATIONIS BENEFICII. Joseph Leonus in supremo suæ voluntatis elogio varia inter Legata unum conscripsit quantitatis scut. 200. pro duabus singulis pronepotibus suis Maria Angela, & Rosa „ E ciò a titolo di dote da consegnarseli nell'atto della loro Monacazione, o Maritaggio per una volta sola, e non altrimenti „ atque in reliquis universis bonis heredem instituit Parochialem sive Archipresbyteralem Ecclesiam S. Petri Apostoli Civitatis Prænesti Patriæ suæ „ Ad „ effetto (quemadmodum ipse testator loquitur) che con la mia eredità venga eretto e fondato in essa Chiesa all'Altare del Volto Santo „ un Beneficio residenziale col titolo di Canonicato di Jurepatronato „ Laicale con tutti li pesi, prerogative, jus, ed altro relativamente a quanto si trovarà da me fatto per atto inter vivos circa tal Canonicato.

Id porro abs se factum iri significavit præclaro incitatus exemplo, quod tum feliciter regnans S. M. Clemens XII. præbuit munificentissimæ subventionis, qua vetus illud Apostolorum Principis templum eleganti forma restauratum, amplificatum, ornatumque fuit: Tum etiam permotus non leviter ex plurimis officiis & precibus ab Advocato Cæsare Stephano Mocci Concive suo impensis pro insigni adeo Beneficio a Summo Pontifice reportando, nec non ex iis, quæ a Civitatis Magistratu exhibita fuere grati animi obsequia erga summam laudati Pontificis beneficentiam.

Postremo voluntatis suæ executorem elegit ipsum Stephanum Cesarem Mocci collata ei facultate conficiendi inventarii, capiendæ pro Ecclesia herede possessionis bonorum hereditariorum, eadem bona administrandi, exigendi nomina debitorum, agendi, tuendive lites in judicio, frugi collocandi pecunias pro eadem Ecclesia, ac demum faciendi, quidquid necessarium atque opportunum ei videretur, ad erectionem usque Canonicatus, & nominationem Canonici.

Potestatem quoque tribuit executori, si vivens ipse Testator Canonicatus erectionem non perduxisset ad exitum, eam perficiendi, declarandique „ Tutto quello, che parerà, piacerà a lui d'intorno a tale erezione di „ Canonicato, assegnarli l'entrata, li pesi delle Messe per suffragio dell' „ anima mia, e di altre funzioni Sagre, riservare il juspatronato a favore di chi lui vorrà, ed anche a favor suo, e suoi parenti, e generalmente fare, ed adempire tutto quello stimarà convenevole, avendo „ io al medesimo Signor Avvocato Mocci confidato la mia volontà, ed „ intenzione circa il suddetto Canonicato, e perciò si dovrà stare in questo „ a quello dirà, e dichiarerà esso mio Sig. Esecutore testamentario, come „ se fusse stato da me detto, e dichiarato nel presente mio testamento, „ e non altrimenti &c.

Desiit Testator in humanis agere Canonicatu, seu Beneficio nondum erecto: Quamobrem Testamentarius Executor ex auctoritate sibi data, post confectum inventarium, nec leves curas in administrandis firmandisque bonis hæreditariis adhibitas, rationem reddidit suæ administrationis in Episcopali Curia, in eaque petiit expleri fidei suæ commissam Beneficii erectionem: At quibus modis & conditionibus probanda hæc esset, satius duxit Eminentiss. D. Card. Petra Prænestinus Episcopus, ad Sacræ hujus Congregationis judicium deferre, motus præsertim ex eo, quod Sacerdos Hieronymus Nobili Archipresbyter memoratæ Parochialis Ecclesiæ S. Petri oppositorem se præbuit Executoris petitioni, nisi re ipsa crearetur Beneficium sub nomine Canonicatus residentialis, uti testator expresserat; non autem Beneficii simplicis, cujus capaces quoque essent impuberes, atque itidem nisi ex universa defuncti hæreditate ipsa Ecclesia perciperet quartam Falcidiam, omnesque hæreditariæ pecuniæ fructus, qui erectionis tempus antecederent, ac demum legatum scut. 200., quod ob mortem puellæ Rosæ absque spiritualibus, vel secularibus nuptiis effectum fuit caducum.

Nunc

Nunc itaque Advocatus Mocci Executor proponit coram Sacro isto Consessu conditiones & pacta, quæ vult Beneficio residentiali (sic enim illud appellat) in limine fundationis adjicere: Eorum autem summa hæc est. Primo quod universa bona hæreditaria annui fere nunc reditus scut.55. conferantur in dotem beneficii, integra tamen Executori manente facultate non solum prosequendarum litium, & agendi quidquid opus fuerit pro recuperandis reliquis bonis ad hæreditatem spectantibus, sed etiam distrahendi, si tamen id suadeat Beneficii utilitas, eadem bona in dotem constituta absque ulla Ordinarii licentia.

Secundo quod ipse Executor, suique & fratris descendentes & hæredes perpetuo gaudeant jurepatronatus Laicorum activo, & passivo, eo qui præscribitur ordine in formula instrumenti Eminentiss. Ordinario exhibita: Deficientibus autem personis ex genere vocato juspatronatus fiat hęreditarium; Quod si ultimi possessoris hæreditas successu temporis devolveretur in locum aliquem pium, vel personam Ecclesiasticam, jus nominandi pertineat ad Rectores Communitatis Paræciæ Sancti Petri, qui anteferre semper teneantur Sacerdotem Clerico, ac Parochianum alteri ex civibus.

Tertio quod idem Beneficium nullis omnino subjaceat Apostolicis derogationibus, reservationibus, affectionibus, & collationibus, adeo ut in casu derogationis Provisus Apostolicus numquam fructus suos faciat, sed isti adquirantur Fabricæ Ecclesiæ.

Quarto si per legitimum tempus vel patronus præsentare, vel præsentatus institutionem petere neglexerit, non antea Eminentissimus Ordinarius devolutionis jure uti possit, quam novo iterum per citationem personalem quadrimestris termino iis pręstituto.

Quinto fructus inexacti, aliique obvenientes tempore vacationis Beneficii, omnes cedant in utilitatem Cappellæ *del Voto Santo*, non autem Rev. Apostolicæ Cameræ, sive spolii, sive alio quolibet nomine.

Sexto Beneficium perpetuo liberum maneat onere pensionis, quæ neque volente ipso Beneficiario imponi queat, atque etiam ab onere contribuendi Seminario, & aliis quibuslibet, ut ita Beneficiarius honesta nunquam careat retributione gravis præsertim incommodi ab eodem subeundi propter difficultatem itineris ad Parochialem Ecclesiam, nec illi desit, quo aliquam possit opem ferre indigentium necessitati.

Septimo, quod ex descendentibus tam Cæsaris Stephani Mocci, quam fratris sui præsentari liceat Clericum prima tonsura initiatum, ac minorem annis 14. qui sola interim recitandi parvi Officii B. M. V. obligatione teneatur, donec ad ætatem pervenerit Sacro Subdiaconatus ordini præscriptam, itidemque onera Beneficii per alium adimpleat, quousque idoneæ factus ætatis intra decem saltem & octo menses Sacerdotio donetur.

Octavo Beneficiatus, quoties non fuerit ex familia fratrum Mocci, perpetuo resideat intra limites Paræciæ S. Petri.

Plures quoque aliæ leges Beneficiario imponuntur celebrandi nempe anniversarii, sacrificandi ter in hebdomada festis præsertim diebus, habendæ custodiæ Corporis S. Clementis Martiris, aliorumque piorum operum, & expensarum, quæ recensere hic parum vacat. Postremo tamen cautum est, ut si quidquam ex universa Testatoris hæreditate detrahi contingeret, & speciatim Falcidiam, & Legatum illud scut.200. quod ob mortem puellæ Rosæ caducum effectum fuit, uti autumat Rector Parochialis Ecclesiæ, non alia Beneficio ex his omnibus quæ scripta sunt, integra maneant onera, quam anniversarii, trium per hebdomadam Missarum, atque custodiæ memorati Sacri Corporis, & ceræ in ejus honorem exhibendæ Festo Sancti Clementis die; idemque beneficium jure suo uti possit reposcendæ quantitatis

titatis scut. 120., quæ ab Executore hæreditatis impensa dicitur in utilitatem Parochialis Ecclesiæ.

Leges istæ, & conditiones, quas ab hac Sac. Congregatione probari postulat Executor Testamentarius, magis explicatæ legi possunt in earum compendio, quod ipsius Executoris nomine circumferetur, ubi authores quoque cumulantur de harum conditionum plerisque pertractantes.

Ad Falcidiam, quod spectat, num hæc detrahi possit a Causa pia hærede instituta adversus alteram Causam piam legatariam, gravis est quæstio variis Doctorum placitis involuta, quam intactam relinquere, maluit Sac. Rothæ Auditorium in *Hortana, seu Civitatis Castellanæ Falcidiæ impressa apud Mons. Card. de Luca lib. 9 Decis. 64.*, & peculiaribus ex circumstantiis in ea causa occurrentibus Falcidiæ detractionem negare, quia nimirum agebatur de legato cum onere celebrationis Missarum, proindeque majus privilegium præteferente, quam quod sibi posset adserere Ecclesia hæres instituta, tum etiam quia plures conjecturæ adesse videbantur, quod testator voluisset bona legata, omnia omnino & integra cedere in Causam a Testatore designatam, in quarum alterutra facti specie non esse locum inter causas pias detractioni Falcidiæ cum aliis tradit *Eminentiss. Petra in Comment. ad Const. Apost. tom. 2. ad Const. Apost. tom. 2. ad Constit. X. Innoc. III. sect. 3. num. 83. & seqq.*

Num ejusmodi circumstantiæ in casu, de quo agitur sese exhibeant, considerandum erit ex iis quæ superius in facto enarrata sunt: Sed quoque operæ prætium erit advertere, num duplicis, & distinctæ causæ piæ favorem testator respexerit, ita ut una, Ecclesia scilicet, vere proprieque hæres dicenda sit, & altera, Beneficium nempe in eadem Ecclesia erigendum Legatarii vicem sustineat: Etenim si distinctio ista hæredis, & Legatarii non sit, extranea erit quæstio de Falcidiæ detrahendæ jure proposita.

De hac duplicis veluti personæ distinctione dubitandi occasionem præbent Testatoris verba; Non enim iste Parochialem Ecclesiam hæredem instituit, ac disjunctim certa quædam bona legavit pro fundatione Beneficii, neque itidem hæredi Ecclesiæ onus adjecit erigendi Beneficii (quæ oneris adjectio sortiri fortasse posset naturam peculiaris legati) sed ut superius prænotatum est in universis suis bonis Ecclesiam hæredem instituit „ Ad „ effetto che con la mia eredità venga eretto, e fondato in essa Chiesa . . . „ un beneficio residenziale; „ Ab hac enim caussa seu fine erigendi beneficii conjectura sumi posse videtur, an testator purum hæredis nomen Ecclesiæ reliquerit, vel pro uno eodemque intellexerit Ecclesiam, & Beneficium: Sed reapse compendium omne hæreditatis in Beneficium voluerit derivari.

Urgente itaque Executore Testamentario, nec dum tamen Archipresbytero Parochialis Ecclesiæ jura sua deducente, definienda se offerunt tria hæc

I. An Ecclesiæ Archipresbyterali S. Petri in Castro Prænestino competat detractio Falcidiæ ex bonis hæreditariis quondam Josephi Leoni in casu &c.

II. An legatum scut 200. per dictum Testatorem relictum Rosæ de Leito, & per istius obitum caducatum habeatur prædictæ Ecclesiæ, vel potius accreverit pro dote Beneficii in eadem Ecclesia erigendi in casu &c.

III. An erectio Beneficii in prædicta Ecclesia sit facienda juxta conditiones ab Executore Testamentario designatas in casu &c.

Dilata, & exquiratur Votum Eminentiss. Ordinarii.

Sess. 25. c. 19. de ref.

GRATIANOPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Jacobus Antonius Ferrati sub annum 1737. oblatis S M. Clementis XII. humillimis precibus, (quæ postea rejectæ ad hanc Sacram Congregationem

nem fuere) in integrum restitui postulavit adversus lapsum quinquennii, ut caussas nullitatis in judicio proponere sibi liceret adversus Religiosa, quæ pridem in Conventu Minorum Conventualium Civitatis Camberii nuncupavit vota.

Varias Orator adstruit caussas, ob quas irrita censenda sit Religiosa ipsius Professio; Defectum nempe antecedentis legitimæ receptionis, sive in filium certi alicujus, & designati Conventus, sive in Novitium: Ait enim simoniace receptum fuisse a Superiore Conventus Loci Moretæ repugnantibus aliis ejusdem Conventus Religiosis, deindeque inter Novitios admissum a Superiore Conventus Camberii absque diligenti præhabita disquisitione Patriæ, vitæ, conditionis, & morum, & absque Ministri Provincialis authoritate; Defectum item triennalis experimenti, quod ab Oratore ipso velut non inter Clericos, sed inter Conversos cooptato subeundum erat in simplici Tertiariorum sive oblatorum gradu: Ac denique nec in officiis pietatis, neque in rerum spiritualium exercitatione fere unquam transactum, quin immo interruptum per duos fere menses probationis annum, pernoctando extra Conventum, & inserviendo alteri cuidam Religioso.

Quoniam vero Orator totus nititur in Constitutionibus Ordinis, ut ex priori duplici capite nullitatem suæ Professionis ostendat, præ oculis habenda est regula illa satis recepta, & alias sæpius ab hac Sacra Congregatione probata, quod Professio valida sit, & si factam contra expressam Constitutionum Ordinis legem, nisi lex ipsa confirmata fuerit ab Apostolica Sede in forma ut ajunt specifica, & nullitatis pœnam expresse indixerit, uti probant *Fagnan. in cap. Qui Presbyterum num.8. & seqq. de pænit. & remiss.*, *Passerin. de stat. hom. tom.3. Quæst.189. Inspect.4. n.73. & seqq. Eminentiss. Petra ad Constit.2 Anastas.II. n 9. & seq. tom 2.*

Ad filiationis præterea defectum quod spectat, Sac. hæc Congregatio die 26. Januarii in causa Ordinis Minorum Conventualium, in qua plerique ex Religiosis illius Ordinis Professiones suas hanc ob caussam impugnabant: ,, Censuit non esse admittendas instantias nullitatis Professionis ex capite ,, nullitatis filiationis, ac supersedendum esse in co fectione processuum, ,, si qui forte incepti essent super nullitate Professionis ex dicto capite ,,; quod decretum a S. M. Benedicto XIII. probatum fuit, ut in *lib.76. Decr. pag.51. & seq.*; illud tamen Oratoris defensores nihil ei obstare inquiunt, sive quod ipse contra Professionem agat non quidem ob invalidam, sed ob numquam antea factam sive valide sive invalide receptionem in filium, sive etiam quod ante latum decretum hujusmodi pluries de nullitate suæ Professionis conquestus jam fuerat: unde præsumendum non sit summum Pontificem derogare voluisse juri suo antea quæsito.

Altera, quæ proponitur decernendæ irritæ Professionis, caussa intermissi nimirum Novitiatus, num ea spectatis peculiaribus Ordinis Constitutionibus, aliquid habeat ponderis, facile judicabunt EE. PP. Spectato autem communi jure, certum quidem est annum probationis ita integrum, & continuum esse debere, ut si Novitius degat extra Claustra absque superioris licentia, rursus inchoandum sit tyrocinium per integrum anni tempus, alioquin Professio subsequta viribus careat: sed an idem quoque dicendum sit, quando Novitius accedente Superioris licentia divertit e Monasterio, atque alibi moram trahit non una est Doctorum sententia, quæ in utramque affirmantium & negantium partem videri potest apud *Fagnan. in cap. insinuante Qui cleric. vel vov. num.38. Ciarlin controv. for. lib.1. cap.108. num.26.* aliosque copiose relatos *a Passerin. de stat. hom. tom.3. quæst.189. inspect.5. a num.86. ad* 110. prolixe quæstionem hanc disputante *Matthæuc. in Official. Cur. Ecclesiast. cap.34. num.17. & seq. Piring. in Decretal. lib.3. tit.31. num.28. Anaclet. in eumd. tit. num.106. Zeos. ibid. num.7.*

num.7. circa finem Engel. num. 24. in fin. Leuren. tom. 3. quæst. 812. num. 3. circa finem Schmalzgruebr. ibid. num.61. 62. & 63. Pignatel. tom 9. Consult.175. num.8. & seqq., & Rot. in recent. Decis.175. num.2. part.1. tom.1. & Decis.361. num.1. & seq. par.19. tom.1.

Sacra hæc tamen Congregatio illi non semel adhæsit sententiæ, ut completo probationis anno rite recteque fiat Professio quamvis per aliquam ejusdem anni partem, atque etiam plures per menses Novitius extra Monasterium victitaverit concedente Superiore, uti patet ex resolutione olim edita in una *Pampilonen.*, quam una cum luculenta Martini Navarri consultatione illi adnexa, operæ prætium visum est in præsentis restrictus calce integram exhibere. Quo tamen anno illa prodierit non satis constat: Unde nec apparet, an posterior fuerit Decretis S.M. Clementis VIII. ad receptionem & institutionem Novitiorum spectantibus, atque impressis *in Bullar. tom.3.* post ejusdem Summi Pontificicis Constitutionem in ordine *la 83.*, quæ decreta quum plura in iis statuantur a Novitiis haud alibi peragenda, quam intra Monasterii Claustra, dubitandi occasionem præbuerunt, an solum contineant præceptum, vel potius novam induxerint formam, qua non servata nullo in numero habendus sit probationis annus uti cum aliis difficultatem movet *Matthæuc. d. cap.34. sub n.17. & Passerin. loc. cit. sub num.91. 92. & 93.*, sed hic *n.*109. ex posteriori alia declaratione hujus Sacræ Congregationis edita sub annum 1617. tamdem concludit verius illud censeri, quod ea Decreta nullam novam inducant formam.

Et revera eadem Sacra Congregatio sequiori quoque tempore censuit Professionem valere cujusdam Fratris ex Ordine Cappuccinorum ad Ordinem Conventualium S. Francisci translati, licet annum probationis agens ex Superiorum licentia per tres menses extra Claustra mansisset, *in Januen. 1. Decemb. 1668.* ut in *lib. Decret.26. pag.77.*, atque etiam Conversi cujusdam Tertii Ordinis S. Francisci, qui Novitiatus tempore non semel extra Conventum cum habitu, & Superioris permissu pernoctarat, ut in *lib.40. Decr. ad I. Dub. sub diem 18. Novembr. 1696.*; Quibus consona esse videtur altera, quæ prodiit, resolutio in *Januen. Restitutionis in integrum 26. Junii* 1700. quæ extat apud *Ursaj. tom.8. par.1. discept.33.*

Ad juris examen hæc pertinent, quæ perpendenda sunt una cum documentis ab Oratore prolatis, atque vel ex judiciario processu, vel aliunde depromptis, ut postea deliberetur.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Negative.

Sess. 24. c. 3. de refor.

POLICASTREN. PROCURATIONIS. Disputata fuerunt anno 1737. coram hac Sacra Congregatione inter Episcopum, & Clerum Ecclesiæ receptitiæ S. Nicolai Oppidi Laureæ Superioris plura hæc dubia. I. An Episcopus in actu visitationis possit exigere ab Archipresbytero, & Clericis participantibus Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Laureæ procurationem in casu, *& quatenus affirmative*. II. An dictus Episcopus possit exigere ab eodem Archipresbytero, & Clericis, ultra procurationem Ducatorum quindecim in pecunia, victualia, & vecturas equorum pro se, & familia in casu. III. An idem Episcopus non completo anno ab ultima visitatione, possit iterum eamdem Ecclesiam visitare, & procurationem a visitandis exigere, *& quatenus negative in omnibus*. IV. An præfatus Episcopus teneatur restituere huc usque exactum: Die autem prima Junii ejusdem anni responsum fuit: Ad I. negative quatenus Episcopus resideat aliqua parte anni in Terra Laureæ. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam. Ad IV. Ad mentem.

Rursu

Rursus vero sub annum 1742. oportuit instantibus iisdem Archipresbytero, & Clero S. Nicolai bina hæc dubia proponere. I. An constet de exactione procurationum contra formam Resolutionis Sac. Congregationis diei 1. Junii 1737. in casu &c. *& quatenus affirmative*. II. An Episcopus Polycastri incurrerit pœnas contentas in *cap. exigit. de censib. in 6. & cap. 3. Sess.24. de Ref. Sac. Concil. Trid. in casu &c.* Atque die septima mensis Aprilis illius anni Sacra Congregatio rescripsit -- *Ad utrumque affirmative & amplius*.

Sed & multo antea delatæ sunt a Parocho alterius Ecclesiæ Sancti Jacobi prædicti Oppidi ad eamdem Sacram Congregationem querelæ de variis, quas Episcopus occasione visitationis pertendebat, exactionibus; Quamobrem die 10. Julii 1728. proposita ishæc fuere dubia. I. An liceat Episcopo Policastren. dum residet in Terra Laureæ exigere a Parocho S.Jacobi dictæ Terræ, illiusque adhæren. Procurationem in casu &c. *& quatenus negative*. II. An ad effectum eximendi Parochum dictum, illiusque adhærentes a solutione dictæ procurationis, sufficiat residentia Episcopi in dicta Terra per solos sex menses cujuslibet anni, vel potius requiratur major, vel minor residentia in casu &c. III. An ultra procurationem in pecunia possit quoque Episcopus accipere a dicto Parocho illiusque adhęrentibus victualia, & vecturas equorum in casu &c. *& quatenus ad omnia negative*. IV. An teneatur Episcopus restituere hinc usque exactum in casu &c. Verum omnia hæc tunc indecisa remanserunt atque illorum disputatio ad hodierna usque tempora non fuit amplius promota.

Nunc vero plures e Clero ejusdem Ecclesię S. Jacobi Presbyteri authumantes Clerum ipsum S Jacobi eodem prorsus jure censendum esse atque alterum S. Nicolai demissis precibus postularunt, ut quemadmodum in exigendis occasione visitationis pecunia, victualibus, ac vecturis equorum, aliisve muneribus idem omnino ab Episcopo factitatum est cum Clero S. Jacobi, ac cum illo S. Nicolai, sic iisdem quoque decretis ab hac Sacra Congregatione prolatis pro Archipresbytero, & Clero S. Nicolai, prospectum iri debeat suæ indemnitati.

Excitatus Episcopus scribit solutam hactenus fuisse procurationem. a Clero S Jacobi, eamque detractari ab illo minime posse exemplo alterius Cleri S. Nicolai: Hunc enim idcirco ait ex Decreto Sacræ Congregationis pronunciatum fuisse ab expensis visitationis immunem, quia tunc dicebatur ipsum Episcopum aliquando commorari in Oppido Laureæ Superioris, ubi Ecclesia, & Clerus S. Nicolai existunt. At quum ipse numquam degat in Oppido Laureæ Inferioris, neque sine magno incommodo possit visitationis tempore, uno eodemque die, ab eo loco reverti ad Lauream Superiorem, sive ob intercedentem plusquam unius milliarii distantiam, sive ob itineris difficultatem, sive demum quia nunquam contingere potest, ut paucis horis, vel uno die absolvatur Sacra Visitatio per Lauream Inferiorem, ubi ultra parochialem Ecclesiam quadraginta Presbyteris participantibus, atque Clericis triginta refertam, extant aliæ vigintiquatuor Cappellæ, ac nonnullæ Confraternitates laicorum, debetque præterea ministrari populo Sacramentum Chrismatis, ac solet etiam Sacramentum Eucharistiæ, non eodem proinde jure, quo Clerus S Nicolai, censeri queat alter S. Jacobi ab onere Procurationis exemptus.

Vecturas autem equorum narrat in tota Diœcesi ab immemorabili tempore præstari consuevisse, vel ex conventione, vel ex difficultate viarum impedientium usum currus ac Rhedæ easque a Clericis libenter, & forte etiam certatim præberi. „Ceterum (inquit) quæ in precibus venditantur de „ cibariis, & strenis, nequaquam subsistunt in facto: Nam tria prandia „ mihi præberi consueverunt, pro quibus pauca summa expendi potuit ... „ Quod in aliis annis major expensa appareat, id omne tribuendum in-

„ curiæ,

„ curiæ, vel malitiæ procuratorum Cleri, qui de tempore visitationis „ parant prandia pro semetipsis, eorumque domesticis... Strenæ vero „ ter tantum toto tempore mei Præsulatus datæ sunt meis Familiaribus, „ & quidem me prorsus inscio, ac ex mera liberalitate Procuratorum Cle- „ ri raro admodum, ac in parva, & spernibili summa, nempe Carole- „ norum 9. in anno 1737. Carolenorum 5. in anno 1739., & Caroleno- „ rum pariter 9. in anno 1740., uti Participantes affirmant.

Verumtamen adversus eam, quam Episcopus obiicit, asperitatem ac distantiam itineris reponunt actores breve adeo, & expeditum illud esse ab Episcopali palatio ad Inferioris Laureæ Pagum, ut uno horæ quadrante commode absolvi queat, vel si per longiorem quoque ac planiorem viam arripi velit dimidia vix horæ parte conficiantur. Unde Vicarius ipse Generalis Episcopi per autumni tempus vespertinas dumtaxat unius diei horas impendere solitus fuerit in obeunda personali visitatione Sacerdotum S. Jacobi, atque in accessu ad Pagum Laureæ inferioris, redituque ad idem Episcopale Palatium, quemadmodum plurimi ejus rei testimonium perhibent.

Spectant hæc ad procurationum sive exactionum controversiam, cui adnectitur alia mox enarranda. Plures scilicet ex prædictis Sacerdotibus S. Jacobi conqueruntur vix Episcopum rescivisse instauratam ab iis veterem de indebitis exactionibus quæstionem, ut statim is curaverit subscribi a Clero S. Jacobi declarationem quamdam, quæ testatum faceret grati animi obsequium, quo Clerus ipse tenebatur erga sui Amantissimum Præsulem: quia vero ipsi renuerunt huic declarationi propriam subscriptionem adjicere, propterea ad subeundam personalem visitationem evocati, tamquam Sacrorum Rituum ignari fuerunt ab sacrificandi officio suspensi, tametsi idem Episcopus eorum aliquos ad audiendas confessiones, atque ad concionandi munus pridem probasset, alios vero plures sacris ipse donasset ordinibus, omnesqpe demum eodem anno generali Clericorum visitationi fuissent ab illo suppositi, neque in ea, aut alias umquam ejusmodi inscitiæ vitio notati.

Super hisce querelis auditus Episcopus respondit nunciatam sibi a Convisitatoribus Sacrorum præsertim Rituum ignorationem, in qua Sacerdotes illi misere versabantur, in caussa fuisse, cur suspensionem ad tempus iis indixerit. Ejusmodi autem relatione accepta, quam a veritate aberrantem conclamabant Sacerdotes a divinis suspensi, oportuit literas ad Metropolytanum dare, ut his vel alius ab se delegatus facto experimento propriæ cujusque aptitudinis tam in scientia literarum, quam Rituum peritia, quos idoneos ipse dignosceret, pristino restitueret Altaris ministerio: Quemadmodum postea Vicarius Generalis Archiepiscopi omnes idoneos repertos ad illud redintegrandos esse decrevit.

Hæc & alia, quæ superius exposita sunt, caussam præbent disputandis iis, quæ mox recensentur, Dubiis.

I. An Episcopus Policastren. in actu Visitationis possit exigere a Parocho, & Clero S. Jacobi Laureæ inferioris Procurationem in casu &c. *& quatenus affirmative*.

II. An ultra Procurationem in pecunia ducatorum quindecim idem Episcopus possit percipere tria prandia, & vecturas equorum pro se, & familia: sive potius dictus Clerus, & Parochus teneantur subministrare pabula pro equis Episcopi, ejusque familiæ toto tempore Sac. Visitationis in casu &c. *& quatenus negative ad utrumque*.

III. An constet Episcopum omnia prædicta exegisse; ita ut teneatur restituere hucusque exactum ad formam Cap. exigit de censibus in 6., & Sac. Conc. Trid. sess.24. c.3. de ref. in casu &c.

IV. An sustineatur suspensio à celebratione Missarum inflicta contra Sacerdotes

dotes dicti Cleri S. Jacobi ex capite prætensæ suppositæ ignorantiæ Sacr. Rituum in casu &c. *& quatenus negative*.

V. An dictus Episcopus teneatur ad reformationem damnorum per dictos Sacerdotes passorum ex causa relatæ suspensionis in casu &c.

VI. An inhiberi possit dicto Episcopo, ne inconsulta Sacra Congregatione procedat ad actus irretractabiles contra eosdem Sacerdotes in casu &c.

Ad I. Negative. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Affirmetive. Ad IV. Negative. ad V. Affirmative, & quoad liquidationem ad Dominum Secretarium. Ad VI. Affirmative pro tempore arbitrio Sac. Congregationis.

EUGUBINA CAPPELLANIÆ. Artemisia Marini uxor Jacobi Capocaccia sub annum 1672. Cappellaniam ad Altare S Josephi in Ecclesia S. Mariæ a Platea Terræ Pergulæ post ejus mortem effectum habituram fundavit, dotavitque in quantitate scut. mille monetæ Urbini ab hæredibus solvenda in totidem censibus in fundationis instrumento descriptis. Onus vero Cappellano adjecit quatuor per hebdomadam missarum, ac sumtuum ceræ, hostiarum, & vini rejecta in hæredes obligatione conservandæ, ornandæque Cappellæ. „ Voluitque etiam & mandavit, quod „ DD. ejus hæredes semper, & in perpetuum teneantur & obligati sint „ ad manutentionem, & legitimam defensionem supradictorum censuum, „ sive aliorum in eorum defectum, ut supra subrogandorum, ac de evi- „ ctione generali, & particulari in forma tam quoad sortem quam etiam „ quoad fructus. *Sess. 22. c. 9. de Ref.*

Fundatrice e vivis erepta census illi in Cappellaniæ jura pervenerunt, eoque tempore istorum reditus pares erant quantitati scut. 70. Urbinatensium; sed postea ex frequenti eorumdem censuum redemptione, ac temporis vitio non parum decreverunt, hodieque redacti conspiciuntur ad annuam summam scut. 55. 50. Olim tamen accidit, ut per novas quasdam emptiones censuum in veterum subrogationem factas a Procuratore Advocati Antonii, & Petri Mariæ fratrum de Capocaccia patronorum Cappellaniæ, tunc in Urbe degentium, summæ Capituli scut mille in ipsius Cappellaniæ dotem constitutæ addita fuerit quantitas scut 75.

Nunc autem quæstio nata est inter Dominicum Sindone velut Administratorem hæreditatis Petri Mariæ Capocaccia ultimi patroni, & Sacerdotem Franciscum Monarum, qui ex ipsius Administratoris præsentatione nuper ad Cappellaniam fuit institutus, num scilicet ea quantitas scut. 75. supra Capitalem summam scut. 1000. reperta, censeri debeat inter Cappellaniæ bona, vel potius tamquam per errorem ejusdem Cappellaniæ Doti adjecta, restituenda sit hæreditati Petri Mariæ Capocaccia, a qua in Cappellaniam devenit, ac præterea, num contingens fructuum decrementum damno hæreditatis vel Cappellaniæ sit adscribendum: Pro cujus controversiæ decisione optimum illis consilium visum est Sacræ hujus Congregationis oraculum mutua consensione flagitare.

Censet Episcopus in sua Relatione prædictam quantitatem scut. 75. haudquaquam a Cappellaniæ bonis divelli oportere; „ Quia (inquit) in præsen- „ ti agitur de separando dictum augmentum scut. 75. per Cappellanos „ bona fide, & pacifice per medium sæculi, & ultra possessum; nec ve- „ risimile redditur, quod neque Principalis, neque ejus Procurator in „ adeo longo temporis defluxu occasione revisionis computorum, quæ „ solent regulariter fieri quolibet anno, prius non detexerint supra enun- „ ciatum augmentum, quod non ex errore, sed potius ex pietate arbi- „ tror evenisse, dum non raro accidit pios, pinguesque hæredes, ut in „ præsenti casu, in adimplendis legatis piis non separare, si aliud parvi

„ in traditione rerum, vel pecuniarum superfit pro majori benefactorum „ suffragio, tanto magis in hoc præsenti casu, in quo Cappellaniæ fru- „ ctus sunt pene in tertia parte diminuti.

Quod spectat ad alteram controversiæ partem ita prosequitur idem Episcopus; „ Existimo hæredes non teneri ad manutentionem fructuum usque „ ad summam scut 70. quia verba prolata in testamento quod Cappellani „ debeant manuteneri tam in sorte, quam in fructu censuum assignatorum „ vel assignandorum, putarem esse intelligenda de fructibus in genere a „ dictis censibus productis, vel producendis non autem in præcisa summa „ scut.70. tanto magis quia Testatrix in ejus testamento quoad Capitale „ pluries specificavit summam sc. mille numquam tamen expressit summam scut.70. pro fructibus, sed tantum fructus in genere, quod utique „ si voluisset, silentio non præstitisset.

Placeat itaque EE PP. respondere.

I. An Administratori hæreditatis patronæ Cappellæ de Vulpellis liceat avellere scuta 75. excedentia summam scut.1000. a Fundatrice assignatam pro dote Cappellaniæ in casu &c.

II. An dicta hæreditas patrona teneatur supplere fructus tractu temporis diminutos usque ad primevam summam scut.70. in casu &c.

Negative ad utrumque, & amplius.

Resolutio, quæ ad Decisionem Causæ Granopolitana Restitutionis in integrum conferre videtur.

Sess.25. c.15. de Reg.

PAMPILONEN. Franciscus Angues fuit electus in Canonicum Novitium a Priore, Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Pampilonen. Ordinis S. Augustini, & fere Sexquimense anni Novitiatus intra septa prædictæ Ecclesiæ tantum resedit, ac residuo tempore illius anni de licentia, & mandato prædictorum, ac sub eorum obedientia mansit in quadam Curia agendo negotia dicti Capituli magnæ importantiæ, & in fine anni fecit professionem per Procuratorem ad id specialiter deputatum. Dubitant nunc Prior, & Canonici dictæ Ecclesiæ *An ejus professio valeat*, & a Sacra Congregatione Concilii Tridentini hujus dubii declarationem humiliter petunt.

Pro parte negativa facit primo *cap.15. sess.25. Conc. Trid.*, quatenus habet, quod professio ejus, qui post susceptum habitum non steterit in probatione per annum, non valet; & is, de quo est quæstio, non videtur stetisse in probatione nisi sexquimensium; secundo, quod, cessante causa, cessat effectus *cap. Cum cessante de Appellat.* at causa faciendi validam professionem, est probatio, quia Novitius probat rigorem Regulæ, & Monasterium probat mores Novitii, an conveniant ei *cap. Ad Apostolicam de Regul.* & in casu proposito, nec præfatus Novitius probavit rigorem Regulæ, nec Monasterium ejus mores; ergo non intervenit probatio, quæ justificaret professionem; tertio, quod illa verba *cap.1. de Regul. in 6.*, quod si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit, significant Novitium debere per totum annum in Monasterio manere, ad hoc ut censeatur detulisse habitum per unum annum, adeo quidem quod, si aliqua parte anni manserit foris, interrumpitur annus probationis, & non conjunguntur illæ partes interruptæ, sed debet incipere ex integro a prin-

cipio posterioris partis secundum *Anchar. Panorm.*, & Communem in *cap. ad Apostolicam de Regul.* etiamsi per solos tres dies foris maneret secundum *Cap. allegat.*47. communiter recept., & videre est apud *Franc.* & citatos ab eo *cap.*1. *de Regul. lib.*6. *num.*3.

Quibus tamen non obstantibus, tenenda est pars affirmativa tum quia prædictus Novitius detulit habitum susceptum per totum unum annum, partim intra Monasterium, partim extra illud manens sub obedientia Superioris, & cum ejus licentia justa de causa data, & faciens ejus præcepta, & mandata, quod videtur sufficere ad implendum annum suæ probationis Novitiatus; tum quia nullo jure caveret, quod Novitius debeat manere semper & continuo totum annum intra Monasterium, & quod Patrum sanctionibus non est statutum, superstitiosa inventione non est præsumendum *cap. Consulisti* 2. *quæst.*4., tum quia *Abbas* antiquus dixit in *cap. Cum illorum de sent. excomm.*, quam refert *Abbas Jun.*, *sive Panorm. cap. Ex rescripto Col.*2. *de jur. jur.*, quod Religiosus manens extra monasterium sub obedientia Superioris, & cum ejus licentia, videtur residere intra illud, quod omnes refert, & sequitur *Navar. in tract. de paupert. super cap. Non dicatis* 12. *q.*2. in ea parte in qua comminiscitur *in cap. Statuimus* 19. *quæst.*3. *n.*74. allegans etiam *Silvam* idem tenentem *in verb. Religio* 3 *quæst.*19. *vers. Quinto*; Tum quia, etiamsi prædictus *Abbas*, nec aliquis alius id dixisset, ita tamen dicendum erat, alioquin sequeretur, quod omnes Novitii, qui intra annum exeunt Monasterio de licentia suorum Superiorum, in quibus ceperunt habitum, ut peregrinarentur in stationes, vel alia loca pia, vel viserent suos parentes, aut cognatos ægrotantes, vel ut mendicarent, vel testificarentur, vel recrearentur, vel alia justa de causa, non complerent annos suorum Novitiatuum, quoniam, ut prædictum est, annus Novitiatus interrumpitur, per exitum Novitii a Claustro per tres, vel quatuor dies sine licentia sui Superioris: tum quod alias sequeretur, quod errant Reges, & Principes omnes, qui sunt Generales Religionum militarium, qui frequenter post datum habitum suarum Religionum suis militibus Novitiis statim, aut certo post duos, vel tres menses mittunt ad defendenda aliquot Oppida munita, vel ad ipsamet bella, ut in eis compleant Novitiatuum annos: Tum quia *cap. Insinuante Qui Cler. vel Vov.* cum ei adnotatis satis superque probat, quod annus Novitiatus extra Monasterium de licentia Superioris justa de caussa data agi, & compleri potest; Tum quia consuetudo est optima legum interpres *cap. Cum dilectus. de consuet. l. Minime ff. de leg.*, ac illa habet, quod prælati Religionum etiam non Militarium cum datur habitus suorum Ordinum aliquibus viris insigniter erudits, vel in exercendis artibus mechanicis, aut aliis valde expertis, mittunt eos intra annum Novitiatus ad disputationes, & alia negocia peragenda, & ad instruendos alios ignorantiores, qui operantur in Villis Monasteriorum ad aliquot dies, hebdomadas, vel menses: propterea non cogunt eos ad inchoandum novos ann. Novitiatuum; Tum quia frequenter longe asperiorem, & duriorem vitam ducunt extra Monasteria, quam ducerent intra illud, & probant magis duritiem obedientiæ in eundo, & redeundo, & laborando, & male edendo, quam qui intra Monasterium sub umbra obediunt, bene edendo; Tum quia nullo jure est necessarium, ut Novitius probet, & experiatur omnes asperitates Monasterii in individuo, sive in specie, sed sufficit, ut experiatur austeritatem ejus in genere per totum unum annum degendo sub obedientia Prælati. Si enim Novitius statim post susceptum habitum inciperet ægrotare, & maneret æger quatuor, sex, vel decem menses intra Monasterium sub obedientia posset in fine anni profiteri secundum mentem omnium DD., quorum nemo dicit, nec, ut puto, auderet dicere

cere contrarium; ergo non est absque ulla lege dicendum, quod teneatur experiri omnes austeritates in specie *argum.* §. *Consideremus in aut. ex sem. in col.*3. Non obstant opposita: enim respondetur, concedendo, quod professio facta, antequam steterit in probatione per annum, non valet, negando tamen, quod is, de quo quæritur, non steterit in probatione per annum; quin immo stetit in ea partim in Monasterio, partim foris in negociis ejus de licentia Superioris justa de caussa data, & paria sunt consistere in Monasterio, vel foris cum tali licentia prædicta. Ad secundum respondetur, negando, quod in casu proposito non præcesserit probatio sufficiens per prædicta. Ad tertium respondetur, quod satis manet in Monasterio, qui de licentia Prælati ejus manet extra illud sub obedientia sua, salva, quæ justorum fuerit sententia.

Martinus ab Azpilcueta Doctor Navarrus.

Sacra Congregatio Concilii censuit, valere, ut in lib.2. Decr. pag.150.

Die Sabb. 23. Novembr. 1743.

Sess.22. Dec. in obs.& evit. de celeb. Miss.

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. In Congregatione habita die 2. Decembris Anni 1741. proposita hac caussa placuit EE PP. respondere (Dilata, & firmetur status) cum igitur, ut refert Episcopus, legitime nunc status firmatus fuerit, vocato, & audito Civitatis Magistratu, qui nihil habebat, quod posset excipere contra gratiam reductionis petunt Canonici Capituli Loccatelli, ut definiatur Decretum Prædecessoris Episcopi Senogalliæ non esse exequendum, cum ea firmatione status compertum sit redditus cujuscumque Canonicatus deductis oneribus certis ad annua scut.30. pervenire, quod cognoscens Episcopus in ea est sententia: „ Reductionem ab hoc Sac. Consessu indultam, & a Mutio „ Dandino Senogalliensi Episcopo die 14. Martii 1693. exequutam, & „ usque ad præsens pacifice servatam pari modo successivis temporibus „ servari, & indulgendam ab EE. VV. & decernendam esse permitti „: Ex iis igitur quæ in folio diei illius 2. Decembr. deducta fuerunt, quæque nunc post firmationem status proponuntur, definiri poterit Dubium.

An Decretum defuncti Episcopi declarans unumquemque ex Canonicis Capituli Loccatelli teneri ad quotidie applicandam Missam pro Fundatore substineatur, itaut sit exequendum in casu &c.

Negative.

Sess.8. c.7. & sess.21.c.8. & sess.25.c.11 de ref.

MILETEN. JURISDICTIONIS. Proposita hac Causa in Congregatione diei 22. Junii. Placuit EE.VV. ad alteram Congregationem responsum differre: Iterum igitur proposita die 3. Augusti responsum est *manutenendum esse in omnibus Episcopum*: Cum nunc tertio proponatur ex iis, quæ in folio diei 22. Junii data fuerunt, poterunt quæ sequuntur Dubia definiri.

I. An in omnibus, & singulis actibus Jurisdictionalibus sit concedenda manutentio Episcopo Miletensi in locis Drusii, & Melicuccæ, seu potius Commendatariis, & quatenus negative quoad omnes, an saltem in sequentibus?

II. An in collatione Ordinum, & concessione literarum dimissorialium, nec non in jure recipiendi probationes super omnibus requisitis Ordinandorum, faciendi publicationes, relaxandi edicta, & examinandi testes super verificatione illorum tituli, vel Patrimonii sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis, eorumque Vicariis in casu &c.

III An

III. An in jure approbandi, & concedendi licentiam audiendi Confessiones, nec non reservandi quosdam casus sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendataris?

IV. An in jure approbandi Prædicatores in dictis commendis, expediendi literas Patentales, & concedendi licentias, & respective impertiendi eisdem benedictionem, sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis.

V. An in jure absolvendi a Juramentis tam Cives, & Incolas eorumdem locorum, quam alios Diœcesis Mileten. ad effectum agendi, & excipiendi in Judiciis, & quidem privative in omnibus quoad assertos Vicarios Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo.

VI. An in jure concedendi licentiam pro expositione Sanctissimi Sacramenti tam in Ecclesiis Parochialibus, quam in aliis dictarum Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis.

VII. An in jure visitandi Ecclesias Parochiales, aliasque omnes dd. Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

VIII. An in jure visitandi Clerum earumdem Commendarum quoad scientiam, mores, & vestes Sacras, & prophanas, ac desuper edendi decreta pro honestate Vitæ Clericorum, eorumque institutione sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

IX. An in exercitio omnimodæ suæ Jurisdictionis tam in visitatione, quam extra nedum contra omnes, & singulos de Clero non habentes tria requisita Concilii, sed etiam contra Cappellanos Curatos destitutos eisdem tribus requisitis tam in concernentibus, Curam Animarum, & administrationem Sacramentorum, quam, in omnibus aliis sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

X. An in exercitio ejusdem Jurisdictionis quoad Populum, & Laicos non habentes dicta tria requisita in his, quæ pertinent ad Forum Ecclesiasticum, & Episcopale sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

XI. An similiter in Exercitio illius Jurisdictionis, quæ de jure, & ex Concilio competit Episcopis super Regulares, eorumque Ecclesias existentes in dictis Commendis concedenda sit manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis,

XII. An in jure cogendi Cappellanos Curatos dictarum Commendarum ad intervenien. Diœcesanæ Synodo, ejusque Constitutiones observandas sit concedenda manutentio Episcopo.

XIII. An in jure exigendi taxam Seminarii ex Beneficiis erectis in dictis Commendis debeatur manutentio Episcopo?

XIV. An in jure cognoscendi Causas Civiles, Criminales, mixtas, Beneficiales, & Matrimoniales dictarum Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis?

XV. An in jure exigendi rationes administrationis singulis annis a Procuratoribus Ecclesiarum, & Cappellarum, aliisque Administratoribus Locorum Piorum sit concedenda manutentio Episcopo, seu potius Commendatariis.

XVI. An in Jure convocandi Concursum occasione providendi Ecclesias Parochiales earumdem Commendarum, *& quatenus negative quoad Concursum*.

XVII. An saltem in Jure examinandi, & approbandi Vicarios Curatos, qui deputantur a Commendatariis debeatur manutentio Episcopo?

In decisis, & amplius.

ROMA-

Sess. 23. c. 15. de ref.

ROMANA, SEU NARNIEN. PROFESSIONIS. Cum proposita fuerit Causa isthæc in Congregatione habita die 22. Junii & placuerit, ut *iterum proponeretur* ex rationibus, quæ in folio illius diei deductæ fuerunt, respondendum erit Dubio.

An constet de validitate Professionis Constantiæ Secchioni in Monasterio Sanctæ Ursulæ Terræ Stronconii etiam ad effectum lucrandi dotem in casu &c.

Iterum proponatur.

Sess. 24. c. 1. & 4. de ref. Mat.

NEAPOLITANA SPONSALIUM. Hæc quoque causa proposita fuit in Congregatione habita die 24. Augusti, & jussum fuit,, ut iterum ,, proponeretur, & interim scriberetur Eminentissimo Archiepiscopo, ,, ut mandet exhiberi in Actis suæ Curiæ Original assertæ Apocæ & de- ,, veniri ad ejus formalem recognitionem servatis servandis,,: Cum nunc igitur proponatur, rogantur Eminentissimi Patres ut perspecto folio illius Congregationis definiant.

An constet de Sponsalibus, quæ veniant exequenda in casu &c.

Dilata, & proponatur omnino in prima post proximam, etiam unica.

Sess. 7. c. 3. & 4. de ref.

LUNEN. SARZANEN. CAPPELLANIÆ. Ususfructuariam bonorum omnium suorum Testamento scripsit Uxorem Nicolaus Marasius. eaque defuncta hæredem instituit Hospitale in ædibus suis ædificandum, ,, con che detto Ospedale (sunt ipsa Testamenti verba) sia obligato tene- ,, re un Sacerdote, che celebri quotidianamente ogni giorno una Messa ,, per l'anima mia nella Chiesa,, quæ in iisdem ædibus extrui deberet: redditus omnes hæreditatis erogari voluit in ægros inopes Carrarienses, & si quid reliquum esset in solos inopes, ita tamen ut quolibet vespere egeni omnes, qui in Hospitali essent cum Sacerdote, quem memoravimus, in ejusdem Hospitalis Æde preces Virgini Matri, quas Litanias dicimus canere tenerentur: Electionem Sacerdotis (che dovrà stare in detto Ospedale) ab ordine seu Concilio Carrariensi faciendam jussit præsente Priore S. Andreæ, cui curam quoque Hospitalis commisit, duosque probos, honestosque viros eligi, qui rationes accepti & impensi ex redditibus omnibus hæreditariis singulis annis exigerent a Sacerdote, eumque dispunctis rationibus liberarent.

Nondum Hospitali Temploque constructi, Cappellanus, & Administrator electus fuit Sacerdos Franciscus Ubaldus Berrettarius, qui cum susceptæ administrationi impar esset, publico instrumento Cappellaniam retinuit cum annuo redditu aureorum sexaginta, Administrationem vero dimisit, & renunciavit non ordini Concilioque, sed Priori S. Andreæ, qui alio publico instrumento una cum Massæ Carrariæque Principe Administratorem nominavit Sacerdotem Angelum Mariam Passanum adsignato eidem stipendio aureorum triginta annuorum: hæc gesta sunt Anno 1707. quo primum duo hæc munera Cappellani, & Administraroris disjuncta fuerunt.

Cum vero Anno 1741. adversa valetudine graviter laboraret Berrettarius, & de alio nominando Cappellano ageretur, coacto Concilio lectæ fuerunt Epistolæ Serenissimæ Mariæ Theresiæ Massæ, & Carrariæ Principis, quibus Sacerdotem Andream Zenium commendabat, qui ob id uno omnium consensu Cappellanus renunciatus fuit, hac tamen adjecta conditione, ut si perspecto Testamento Marasii definiretur non posse Cappellani officium

cium a munere administratronis sejungi, nova facienda esset electio: Inde alia lecta est ejusdem Serenissimæ Ptincipis epistola, qua se Zenium commendasse declarabat ratione tantum Cappellaniæ, non vero administrationis, cui nihil epistola sua derogatum voluit, atque harum literarum authoritate Administrator omnium consensu nominatus fuit Sacerdos Hieronymus Passanus renovata conditione adjecta electioni Zenii Cappellani, volente Concilio, ut si duo munera disjungi, & separari non possent, nulla esset electio.

Possessionem utriusque muneris nacti fuerunt Zenius Cappellanus, & Passanus Administrator: At cum inde Zenius Fontiæ Parochiam obtinuisset, qui Locus Carraria distat tertio lapide, iterum coacto Concilio novæ literæ Serenissimæ Mariæ Theresiæ lectæ sunt, quibus rescribebat curasse, ut a Juris Pontificii Peritis quatuor propositæ quæstiones definirentur, quibus responsum dederunt „ Cappellaniam Laicalem esse non Ecclesia„ sticam, separari non posse ab Administratione Bonorum, incompati„ bilem esse cum Parochia Fontiæ, novamque Cappellani electionem fa„ ciendam esse primo non citato & audito, nec absque paculo hoc posse „ omitti: Ideoque jubere se, ut nova continuo fieret electio Cappellani commendans Equitem Antonium Nicolaum Tonettum, qui majori suffragiorum numero Cappellanus electus, paulo post Cappellaniæ possessionem nactus fuit: Hinc orta lis inter Zenium & Tonettum, qui contendit Parochiam Fontiæ incompatibilem esse cum Cappellania Hospitalis, nec Capellaniam posse ab Administratione separari, & disjungi.

Rationes Tonetti sunt: Testamento Nicolai Marasii onus Sacerdoti datum fuisse singulis diebus sacrum faciendi, & preces cum pauperibus in Æde Hospitalis canendi, unde consequens sit, ut cum eidem præceptum fuerit, ut in Hospitali resideret verbis illis (che dovrà stare in detto Ospedale) quæ personalem residentiam præseferunt, ut docent *Fagnanus in cap. Conquerente n.20. & 21. de Cleric. non residen. Lotter. de re Benef. lib.2. quæst.40. n.80. & lib.3. quæst.27. a n.1. ad 5. Garzias de Benef. part.7. cap.1. §.1. num.98.* Voluerit Testator onera quoque Sacrum faciendi, & Preces canendi personalia esse & a Sacerdote *per se ipsum* impleri: Quod incompatibile est cum officio Parochi, qui ex Tridentini dispositione diebus Domini, & Festis Sacrum pro Populo facere, in ædibus Parochiæ suæ, iisque deficientibus intra illius ambitum habitare & residere tenetur: Ut si Cappellanus hospitalis ex voluntate Testatoris expressa in ædibus illius habitare tenetur, si ex tacita ejusdem voluntate *per se ipsum* sacrum facere, & Preces canere die qualibet debet, facile intelligi possit eumdem Cappellanum non posse eodem tempore alio loco, qui tertio lapide distat, Parochi munus implere, habitare & residere, & per se ipsum pro Populo facere, & consequenter fatendum sit duo isthæc munera omnino incompatibilia esse.

Ex eadem Testatoris voluntate educit Tonettus Cappellaniam ab Administratione separari non posse, quod Cappellanus veluti Rector ab eodem constitutus fuerit, qui Hospitali, & Pauperibus illius ægrisque præesset, ut ex tacita Testatoris voluntate & conjecturata illius mente divisio & separatio Cappellaniæ, & Administrationis vetita censeatur, cum præsumendum sit electam fuisse ad administrandos redditus Hospitalis industriam personæ illius, quæ ab ordine Concilioque Carrariensi Cappellanus nominatus fuisset: Nec mutare quod anno 1707. sejuncta fuerit Cappellania, quam Berrettarius retinuit ab Administratione, quæ Passano data est; Unus enim hic actus eo tempore factus, quo nondum Hospitale, & Templum extructa fuerant, observandus non est, cum Testatoris voluntati adversetur, cum factus sit non ab Ordine, Concilioque, cui datum fuit a Marasio jus nominandi, sed a Cappellano & Priore S. Andreæ,

quibus

quibus non licebat deteriorem facere conditionem Hospitalis, & Ordinis, qui publico actu, dum Cappellanum, & Administratorem disjunctim elegit, sarta tecta ut supra retulimus, jura sua esse voluit, novamque electionem fieri, si Cappellania ab Administratione separi non posset. Ex is denique colligit Zenium hac conditione Cappellaniam obtinuisse, ut cum ex his, quæ dicta sunt, constet separationem Cappellaniæ, & Administrationis fieri non posse, nominatio Cappellani resoluta sit, & rescissa, & ita habenda sit, ac si numquam facta fuisset.

Hæc urget Tonettus: Zenius contra, licet in jus vocatus, nondum rationes suas libello complexus est. Quantum vero ex epistola Lunensis Episcopi colligi potest, non negat Zenius Cappellaniam cum administratione conjunctam incompatibilem esse cum Parochi officio: Intendit tantum, & Parochiam retinere, & Cappellaniam ab administratione sejunctam, quo statu res erat, cum Cappellanus ab Ordine electus fuit, quoque statu negat Cappellaniam incompatibilem esse cum Parochia, quam inde obtinuit, quod in Testamento Marasii onus Sacerdoti datum non fuerit per se ipsum sacra faciendi: Quod si separatio Cappellaniæ ab Administratione fieri nequeat, & ad implendam Testatoris voluntatem necesse sit eumdem Sacerdotem, & Sacra facere, & redditus Hospitalis administrare, dandam sibi putat optionem, ut vel Cappellaniam cum administratione conjunctam seligat, vel Parochiam.

Ex his igitur quæ proponuntur, aliisque e peritiori EE.VV. juris prudentia educendi definiri poterit Dubium.

An Cappellania Hospitalis Misericordiæ Civitatis Carrariæ sit incompatibilis cum Parochiali Ecclesia Loci de Fontina, & per Parochum retineri valeat.

Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam, & amplius.

Sess.25. c.8. de ref.

CAMERINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Testamento Petri Sancti Fantii hæres instituta fuit Respublica, sive Communitas Campi Rotundi datis tamen conditionibus, & oneribus perpetuo implendis, ut scilicet annui redditus, fructusque hęreditarii deponi deberent singulis annis in Æde Sacra Urbis, ut ex iis quota portio solvi posset Medico, & Ludimagistro, & annua sc.10. erogarentur ab eadem Communitate in conservandas, muniendas, restituendasque publicas vias, Ædes, operaque ejusdem Communitatis, reliquum vero depositorum redditnum fructuumque erogari deberet in assignationem & distributionem dotium inopum, honestarumque Virginum, quæ natæ essent, & moram facerent in eodem Pago Campi Rotundi, constituta singulis dotibus quantitate aureorum quinquaginta & dotium numero ad pecuniæ depositæ modum distribuendo, vetita demum bonorum omnium suorum alienatione, ut in causas & erogationes expressas perpetuo conservarentur.

Morte obita a Testatore, apertisque Tabulis implevit, ut par erat, Communitas singulis annis voluntatem defuncti: At cum in humili Pago, & infrequenti tres aut quatuor tantum quotannis nubant Puellæ, factum est, ut detractis dotibus Testatoris Pietate constitutis superessent adhuc in Æde Sacra pecuniæ depositæ, atque ob id ipsa Communitas anno 1733. Beneficio optimi Principis Clementi XII. facultatem obtinuit e pecuniis depositis summam sc.535. erogandi in ædificium, & reparationem duorum Pontium, & Philippus Bezzius, qui sanguine Testatori conjunctus erat, & numerosa familia onerabatur, idem Beneficium ab eodem Pontifice obtinuerit prævio suffragio hujus Sacri Senatus, qui his verbis respondit:

pondit: „ Pro Gratia Applicationis ſcut.300. favore filiæ; ſcutorum vere „ 200 favore cujuslibet ex neptibus, quæ detrahantur ex annuis fructibus „ ſuperextantibus poſt ſolutas dotes Puellis commemorantibus in Campo „ Rotundo a Communitate quolibet anno nominandis, necnon ſolutis aliis „ oneribus a Teſtatore præſcriptis cum diſpenſatione reſpectu filiæ, & „ neptum oratoris tam ſuper nativitate, quam ſuper mora in dicto loco „ Campi Rotundi „: Cujus Gratiæ exequutioni cum ſe paratam primo præſtitiſſet contradictricem Communitas Campi Rotundi, inde tamen agnita æquitate Beneficii Principis litem deſeruit, & controverſia transactione ſopita eſt.

Cum vero nunc plures ſuperſint in æde Sacra pecuniæ depoſitæ e fructibus, & redditibus hæreditariis, Jacobus Bonellius Tolentini natus libellum dedit, quo filiabus dotem ex iis aſſignari petebat, filiis vero annuam præſtationem conſtitui, quo in aliqua Accademia operam ſtudiis dare poſſent; Lucia Corradina, & Morichettus ejus vir e Pago Belfortis Camerinenſis Diœceſis alio libello dotem quinque filiabus conſtitui poſtularunt: Joſeph., & Felix Fratres Euſtachii nati in eodem pago Campi Rotundi annuam præſtationem, ut ſe alere poſſint, rogant. & Maria Magdalena Euſtachia eorum Soror & dotem filiabus, & alimenta præſtari poſtulat: Hi omnes Teſtatoris conſanguinei ſunt, & inopes, ut ex Epiſtolis Epiſcopi Camerinenſis, & ex probationibus ab eodem Epiſcopo datis apparet: Sed & Communitas Campi Rotundi poſtulat id, quod e fructibus depoſitis ſupereſt, detractis dotibus, ſibi tribui, quod publicæ viæ reficiendæ ſint, molendinum frumentarium reparandum, Mœnia & Ædes Publicæ reſtituenda, Eccleſia Parochialis munienda, ipſa vero impar tot impenſis; nec ſatis id, ſed futuro quoque tempori proſpici petit, & annua ſc.50. ſibi dari, ut Viæ, Ædes, Eccleſia, opera publica repararentur, & ut pro modo ſuperextantium fructuum nominatio eidem permittatur unius, alteriuſque optimæ ſpei Adoleſcentis, qui in Urbe Studiis incumbat annua præſtatione ſcut.36. ad ætatem annnorum 20. Ipſe demum Epiſcopi Camerini, qui anguſtas Seminarii Ædes ampliare cupit, ſummam ſaltem ſcut. quingentorum ſibi ſolvi poſtulat, ut vicina domus ematur, & redditus, fructuſque omnes, qui detractis dotibus, & oneribus ſuper erunt, Seminario in perpetuum tribui, non renuens Alumnum, qui ex eodem Pago Campi Rotundi ſit, in eodem Seminario ſine ulla alimentorum ſolutione recipere; At hi omnes conſpiratione quadam animorum facta in ſuperextantes fructus hæreditarios irruunt. Quia vero Communitas Campi Rotundi duplicem ſubſtinet perſonam, & uti hæres aliorum petitionibus obſiſtens intendit fructuum, qui deductis oneribus omnibus ſuperſunt, jure liberam ſib eſſe diſpoſitionem, ideo hac in re omnes contra eam diſputant, tum inter ſe de prælatione contendunt; nullum jus eſſe Communitati, uti hæredi ſcriptæ in Teſtamento Petri Sancti Fantii ex facto, & ex jure diſputant; Ex facto quidem, quod ipſa Communitas hoc agnoverit, quæ Beneficium hoc ut ſupra retulimus, petierit, & obtinuerit a Summo Pontifice accipiendi e pecuniis depoſitis ſumma ſcut.535. non petitura, ſi jure ad ſe pertinere cognoviſſet, quodque liti cum Bezzio qui gratiam obtinuerat, conteſtatæ ceſſerit, & tranſegerit, quo facto nullum ſibi jus eſſe monſtraverit.

Ex jure vero, quod nequeat hæres de re, quæ ex Teſtatoris voluntate certum tum uſum habet, libere diſponere, eamque in alium uſum convertere, præſertim cum res ſit de legatis Piis, quorum in jure tantus eſt favor, ut vetitum hæredi ſit quartam Falcidiam ex iis detrahere, adeoque cum Petrus Sanctus juſſerit, ut quod reliquum eſſet ex fructibus, oneribus Legatorum detractis, in dotium erogationem diſtribueretur, apertum ſit non poſſe, quod ſupereſt, ad hæredem libere pertinere, ſed totum, & inte-

grum juxta Testatoris voluntatem esse erogandum; nec a Communitate excipi posse, impleri quidem, non everti Testatoris dispositionem, cum dotes pauperibus puellis distribuantur, sed quæstionem esse de reliquis fructibus, qui supersunt dotibus, oneribusque aliis detractis, quique impleto opere dotium, & Legatorum ad hæredem pertinere debent ex responso Jurisconsulti in *L. Lucius Tertius. §. A te peto ff. de leg.2.* E quo tradunt interpretes vulgo quidquid post impletum opus a Testatore injunctum superest, ad hæredem spectare.

Respondent namque Testatorem demonstrative tantum inopes honestasque puellas Campi Rotundi nominasse, quibus reliquum hæreditariorum fructuum dotis nomine tribuendum esset; mentem autem ejus, & dispositionem ad opus pium dotium præstandarum præcipue directam fuisse, ut si mens ejus & dispositio defectus puellarum, quæ demonstrative, non taxative vocatæ sunt, impleri non potest, non ad hæredem pertinere debeat relictum, sed in aliud simile opus pium erogatio reliquæ pecuniæ facienda sit: Atque ad hanc rem trahunt vexatum illud Modestini responsum in *l. Legat.16. ff. de usu & usufr. legat.* quæque ex eo tradunt *Bartolus in l. Pater filium. §. Tusculanus ff. de leg.3. Mantica de conject. ult. vol. lib.4. tit 5 art.5. n 5. Barbos. de Jur. Eccl. lib.3. cap.27. num.81. Tondut. quæst. Benef. par.1 cap 83 num.5. Rota dec.152. num.5 part.18. recent.*

Quod si adhuc non liqueret, an defectu puellarum Campi Rotundi pars illa fructuum superextantium ad hæredem spectet, vel in aliud opus pium eroganda sit, præsto tamen esse juris dispositionem qua cautum est, ut cum Legatum Pium ad eum modum, quem voluit Testator, impleri impossibile est, Legatum nec caducum fit, nec ad hæredem libere pertinet; sed in simile pium opus implorato Episcopi officio, tenetur hæres illud convertere, cum Legatum Pium eo, quo potest meliori modo semper implendum sit. Dispositio siquidem in Deum propriamque Animam directa est, & hanc rationem sequitur Legatum, ut modus implementi nihil referat, ut arguunt *Romanus, & Aretin. in l. Impossibilis de Verb. oblig. Tiraquell. de privileg. Piar. Caus. privil.38., & 74. Tondut. quæst. benef. par.3. cap.175. num.9. Cardinalis de Luca in Adnot. ad Concil. Trident. disc.21. num.3. Rota cor. Falconerio tit. de legatis dec.14. num.15.* Et ob id, sive deficiat locus, in quo Legatum Pium impleri debet, sive deficiant personæ, implenda Testatoris voluntas est alio simili opere Pio, ut de loco tradunt *Fagnan. in cap.5. num.13. de Testam. Tondut. quæst. Benef. part 1. cap.83 n.5. Pignatell. consult.46. num.4. vol.10.* de personis vero idem *Fagnan. d cap.3. n.27. de Testam. Amostaz. de Caus. Piis lib.4 c.3. n.74. Pilon discept.2. n.4. & seq. Rota post eamdem disceptationem n 39. & 49.*, & proprius ad rem, quam tractamus, id habent *Gonzalez. in cap. nos quidem. 3. de Testam. Grazian. discept 339. n.29. & Scarfant. ad Ceccoper. Lucubrat. Canon. lib.4. tit.5. num.11. & 12.*

Atque hæc contra Communitatem hæredem proponuntur; nunc de prælatione, quam sibi quisque dari adversus alium postulat, agendum est. Favet Bonellio Judicium Episcopi, qui ei succurrendum censet ,, assignan-,, do (sunt ejus verba) ex fructibus superextantibus dotem in quantitate ,, taxanda ab ista Sacra Congregatione pro Matrimonio Spirituali vel Car-,, nali eligendo, uni ex oratoris Filiabus, quæ modo degens in mona-,, sterio titulo educationis reperitur in decimo quarto suæ ætatis anno con-,, stituta, & per quinquennium aliam summam arbitrio pariter Sac. Con-,, gregationis pro manutenendo uno ex ejus filiis masculis in aliqua stu-,, diorum universitate ,, : Inde vero de jure disputat non obesse Bonellio quod Tolentini natus sit, & moram non faciat in Pago Campo Rotundi, paupertatem, inopiamque ejus ex facto probari monstrat contra Communitatem quæ illam negabat, & demum Bonellio annuendum censet,

set, facta conjectura voluntatis defuncti ex Legato prædii eidem, ut ajunt, a Testatore dato.

De Luciæ Corradinæ, & Morichetii ejus Viri precibus nullum apertum est Episcopi judicium: refert tantum possidere eum in Territorio Belfortis bona immobilia, quæ æstimantur scut. 3520., gravari onere octo Filiorum, quos inter sex fœminæ numerantur, quinto consanguinitatis gradu Filios ejus Testatori esse conjunctos.

Contra Communitatem Campi Rotundi apertum est judicium ejusdem Episcopi, qui refert ex facto vera non esse, quæ illa narrat, idque probat testificatione Epistolæ, quam adiicit Vicarii sui Foranei Campi Rotundi; negat hic mœnia reparanda esse, quod eo statu sint, quo erant sexaginta ab hinc annis, & si reparanda sint, levissima id impensa fieri posse; Molendinum frumentarium integrum esse, & illius conductorem onus suscepisse purgandi, & conservandi ductum aquæ; Viis reficiendis constituta fuisse a Testatore annua scut. 10., licet hæc satis non sint; Quo vero ad Parochialem Ecclesiam refert Episcopus in Sacra illius Visitatione agnovisse quibusdam reparationibus opus esse, quas intra certum tempus faciendas esse decrevit, sed nondum impleta fuisse decreta ob inopiam, qua misera Communitas premitur, & ob id rogat Episcopus ex fructibus hæreditariis superextantibus summam illam Communitati adsignari, quæ reparationibus illis adimplendis satis esse possit.

Felici Josepho, & Mariæ Magdalenæ Eustachiis annuendum censet Episcopus, quod quarto consanguinitatis gradu Testatori jungantur, quod dura paupertate laborent, victumque manibus, & industria sibi quærere cogantur; Sed Bonellius, & Morichettus ob id præferendos esse negant, quod ignobiles illi sint, nec aliquid vetet labore & industria eos sibi quærere victum, ut pauperes dici non possint, cum contra non deceat Bonellium, & Morichettum honestiori loco natos quique nobiles eorum Patriæ reputantur, ut in concursu Ignobilium sint præferendi.

Hæc omnia Eminentissimorum Patrum Judicio subjiciuntur a Bonellio, & Morichetto, aliorum enim jura nondum edita sunt, hisque perpensis respondendum erit dubio.

An Communitas Campi Rotundi possit libere disponere de Fructibus superextantibus ex hæreditate Piersanctis Fanti, vel potius, an & cujus favore sit consulendum Sanctissimo pro applicatione eorumdem fructuum in casu &c.

Dilata, & ad mentem.

IMOLEN. VALIDIDATIS CENSUS. Cum plures inter duo Capitula alterum S. Mariæ, & S. Hilarii, alterum S. Jacobi, quæ Lugi erant Præeminetiales controversiæ jamdiu agerentur, optimum visum fuit Capitulo S. Mariæ ad eas tollendas Summo Pontifici Clementi XII. supplicare, ut eorum Ecclesiam in Collegiatam Insignem erigeret; Annuit Pontifex supplicationi, & in Constitutione sua adjecit „ quod Capitulum, & „ Canonici pro expensis ratione erectionis in Sæcularem & Insignem Col- „ legiatam faciendis ære alieno se obstringere debebit, cum hoc etiam „ quod tam Præpositus, quam Canonici, & Mansionari pro tempore re- „ cipiendi in actu eorum receptionis, & deinde annuatim pro rata ad ex- „ tinctionem debiti contracti contribuere teneantur. *Sess.22.c.11. de ref.*

Capitulum igitur S. Mariæ, & S. Hilarii mandatum dedit ad censum contrahendum sortis aureorum mille, quæ quantitas satis esse videbatur ad impensas explendas: cum vero Capitulum Sancti Jacobi omnem moveret lapidem, ut eamdem gratiam obtineret, nihil cunctandum rati Ca-

 nonici

nonici Sanctæ Mariæ censum scut. 800. contraxerunt anno 1734. die 16. Januarii.

Lites hasce omnes, controversiasque præcidit Sanctissimi Pontificis nostri Providentia, qui motu proprio utrasque Collegiatas univit in Templo S. Jacobi nomine SS. Petroni, & Prosperi, voluitque, ut si quis ex iis obiret, quæ ad deficientem sive Præpositum, sive Canonicum, sive Mansionarium spectabat, in Massam Ecclesiæ inferretur, equa debita ab una alteraque Collegiatis Ecclesiis, illarumque Capitulis, & Canonicis legitime contracta expungerentur: omnia vero, & singula bona, quæ ad unam & alteram Collegiatam Ecclesiam pertinebant, in unam indivisibilem Massam transferri, & coalescere præcepit, jussitque ut ex communi Massa fructus omnes & redditus Præpositis & Canonicis præstarentur integre, donec ad numerum in Constitutione statutum devenirent.

At ne ipsa unione novæ lites & Controversiæ orirentur, satius duxit, qua est Prudentia præditus Imolensis Episcopus, bonorum utriusque Collegiatæ administrationem Canonicis; qui in ea pridem erant; permittere, electo suffragiis totius Capituli uniuscujusque Ministro: quod ex Epistola ipsius Episcopi scimus. At ne sic quidem sperata quies & concordia assequi potuit; Censum enim aureorum octingentorum pecuniis Massæ Ecclesiæ redimendum esse volebant, qui Canonici erant S. Mariæ, & S. Hilarii, contra vero eorum pecuniis esse redimendum defendentibus Canonicis, qui erant S. Jacobi, quod nullus census ille sit, nec legitime contractus defectu Beneplaciti Apostolici; hinc orta quæstio, quæ nunc proponitur definienda.

Non obesse defectum Beneplaciti Apostolici contendunt Canonici S. Mariæ & S. Hilari, quod aperta sint verba quæ supra retulimus Clementinæ Constitutionis, ut voluntati Summi Pontificis, & scientia æris alieni a Capitulo contrahendi inficiari nequeat, unde educunt nihil opus fuisse ad actus validitatem distincto Beneplacito cum in alienatione Bonorum Ecclesiæ, quæ fit authoritate & & scientia Pontificis, nec alia requirantur solemnia, nec opus sit distincto alio Apostolico Beneplacito, ut defendunt *Abbas consf.41. n.3. lib.1. Geminian. consf.48 num.9. Decius consf.341. num.12. vers & quando concessio. Pignattell. consul.95. n.50. vol.6. & Eminentissimus Petra ad Constit.5. Pauli II. Sect.3. n.2. vol.5* Eoque amplius hoc custodiendum sit, quod Pontifex modum quoque constituit, quo æs alienum posset dispungi, ut necessario dicendum sit facultatem omnem saltem tacite in Capitulum contulisse illud contrahendi, secus absurdum esset, ut de redemptionis modo disposuisset, nisi authoritatem & facultatem dedisset obligandi & contrahendi.

Accedit ultima ratio, quæ ex facto proponitur; Capitulum enim S. Mariæ post contractum censum scut.800. libello dato postulavit ab hac S. Congregatione facultatem contrahendi alium censum scutor.1200., ut & primum redimeret, & impensas necessarias impleret, narravit autem in illa census impositione distinctum Beneplacitum Apostolicum non adfuisse, sed tacitum illud tantum a Clementina Constitutione deductum, petens ob id, si opus esset, a censuris absolvi; cum autem & absoluti a censuris fuerint Canonici, & facultatem impetraverint novum censum contrahendi, colligunt agnitam fuisse contracti census validitatem, secus illa facultas data non fuisset.

Ex his census, de quo agitur, validitatem defendunt: At si EE. VV. in aliam placeret ire sententiam, vestra postulant authoritate censum illum sanari; quod constet de legitima causa, ob quam Beneplacitum Apostolicum ab initio fuisset concessum: Legitima, siquidem causa est decus, & honor Ecclesiæ, quæ in Collegiatam erigitur, qua ratione census contractus fuit, & in impensas erogata pecunia, nec alia hujus erectionis causa

causa finalis fuit, nisi ut controversiæ omnes, quæ hactenus cum Capitulo Sancti Jacobi agitabantur, funditus tollerentur, & consequenter legitima, atque utilis dicenda causa est, quæ eo actum dirigit, ut Ecclesia, quæ vexata litibus erat, liberaretur: Quod si optimus hic finis obtineri non potuit, cum non cessaverint lites, sed acriores exarserint, hoc non debeat culpæ adscribi Canonicorum Sanctæ Mariæ, sed facto potius Capituli Sancti Jacobi, a quo similis erectio in Collegiatam petita fuit, & impetrata, tum etiam quod non, quid inde evenerit spectandum sit, sed quo res statu esset contractus tempore, & an eo rerum statu actum fuerit prudenter.

Pertinet igitur ad summam EE. VV. Doctrinam hæc, quæ ab iis, qui Canonici erant Sanctæ Mariæ, & Hilarii proponuntur, expendere, ut duo dubia definiantur.

I. An constet de validitate census scut. 800., *& quatenus negative*.

II. An sit locus sanatoriæ in casu &c.

Dilata, & proponatur cum reliquis Dubiis.

NEAPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Cum Puellam deperiret Adolescens Januarius Russus, desperaretque connubium invito Leonardo patre, qui ob angustiam rei suæ familiaris asperius sane, quam par esset, filio indicebat, ut vel Monasterium ingrederetur, vel nomen daret militiæ, satius duxit Monasterium ingredi Ordinis Discalceatorum S. Augustini, ubi inter Fratres Laicos nomine Bonaventuræ a Sancto Michaele receptus Professionem tandem emisit die 22. Decembris Anni 1732. Nuper autem cum in integrum restitui postulaverit ab Optimo Maximoque Pontifice, & data sit causæ cognitio, tribus capitibus professionem suam nullam intendit, quod vis & metus a patre illatus fuerit, quod ante debitam, & Constitutionibus præstitutam ætatem professus sit, quod vitio corporis perpetuo afficiatur. Non equidem ambigitur vim, metumque, qui constantem, tenacemque propositi virum commovere queat, ut alias quascumque hominum actiones, ita, & Regularium professionem inficere defectu consensus, & liberæ voluntatis, quibus oblatio sui ipsius, quæ Deo fit, & contractus, qui cum Monasterio geritur, perficiuntur, ut ad hujus capitis definitionem duo tantum quærenda videantur, alterum quod facti est, an vis, & metus illata probentur, alterum an vis illa, & metus, qui illatus dicitur is fuerit, qui constantem etiam, fortemque virum dimovere potuerit quod juris est, & ad religionem Judicis pertinet: Ex facto proponuntur perpetua inter patrem filiumque Jurgia, quibus pulsa domus, & vicinia resonabant, minæ atroces, & verbera, proponuntur negata alimenta, filium e laribus paternis ejectum fuisse, & quod plurimum timebat, minacia patris verba eum dandi militiæ, ut ex his animo fractus in summa rerum omnium desperatione Monasterium ingressus fuerit: quæ omnia pluribus Testibus ab Episcopo Antinopolitano, cui ab Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano mandata Jurisdictio fuerat, auditis aperte probantur, quos inter Bonaventuræ parentes sunt Leonardus Russus, & Angela Garzilla plurimum spectandi, quod rem, factumque proprium narrent, quod ille sit, qui metum incussit, ut est *in C. præsens 20. quæst. 3.*, & tradunt *Barbosa Vot. dec. 16. n. 54. lib. 2.*, *& Rota dec. 373. num. 13. & seq. par. 18. recent.* Ex his vim metumque gravem probari, quique constantem etiam virum concutere potuerit, contendit Bonaventura, ut, quidquid certaverint interpretes nostri cum de simplici metu res est, quo filius ob paternas minas, & reverentiam, quæ patri debetur, afficiatur, defendunt *Fagnan. in cap. Perlatum de his, quæ vi metusque caus. fiunt n. 16. Pignatell. consult. 173. vol. 9. num. 10.*, *aliique apud ipsos*: Gravitati

Sess. 24. c. 19. de Regul.

vitati metus accedit asperitas incutientis, & filii natura: Filius enim pavidus, & natura imbelli: Pater aspero ingenio, & in filios ipsi non obsequentes immiti, & feroci, ut de se pater, de viro mulier testificantur.

Atque hinc nihil obesse Tridentini dispositionem, quod intra quinquennium causas nullitatis non deduxerit putat Bonaventura; nam pater, qui pridem metum intulerat ne post ingressum quidem filii in Monasterium a proposito mentis suæ dimoveri poterat, & consequenter causa metus durabat, quod satis est, ne fuga temporis efficere possit, quominus in integrum restituatur: Cum enim Bonaventura, qui ut ante ingressum animo fuerat in statum Monasticæ Religionis adverso, ita & probationis tempore, & post professionem assiduis apud parentes querelis, & protestationibus contrariæ voluntatis apud amicos, qui eum conveniebant, mentem suam aperiret, acriter a patre repellebatur, donec pater ipse pœnitentia rerum gestarum ductus, & conscientia agitatus malefacta noscens sua, statuit filio opem ferre, ut rem omnem parentes declarant, & de querelis, & protestationibus Testes, quos supra memoravimus, testificationem faciunt.

Altero capite in Clementinam Constitutionem Decreto irritanti munitam peccatum fuisse professione sua Bonaventura contendit, quæ jubet ,, ut dummodo ætatis suæ annum quoad Clericos decimumsextum, quo vero ad ,, conversos vigesimumprimum excesserint ad professionem admittantur ,, Constat præstitutæ ætatis defectus ex utriusque temporis collatione nativitatis scilicet, & professionis, quod cum ipsi parentes agnoscerent, curarunt, ut, vitiata diligenter ab improbo quodam testificatione Baptismatis, ita numeri componerentur, quo tempus constitutæ ætati responderet: id narrant parentes, id quoque monstrat integra, quæ nunc edita est, Baptismatis testificatio: Igitur cum non a Constitutionibus Ordinis, sed lege Pontificia ætas præstituta fuerit ad actum emittendum, a quo potest sibi, qui profitetur, detrimentum irreparabile inferre, ratio postulat, ut actus nullus sit, nisi ætas illa impleta sit, & forma servetur.

Urget demum Bonaventura Peritorum Judicium, referunt enim ipsum quatuordecim ab hinc annis Enteroceles, sive Herniæ Intestinalis vitio laborasse, & nunc graviter affici, ut periculum vitæ a laboribus immineat, quos cum ii, qui inter Fratres laicos sunt, subire debeant, consequens efficiatur, ut aut vitæ periculum incurrendum sit, aut inutilis semper esse debeat Monasterio. Atque ex his quæ a Bonaventura tantum, Monasterium enim nihil excepit hactenus, proponuntur, definiendum erit Dubium.

An sit concedenda restitutio in integrum in casu &c.

Affirmative.

Sess. 14. c. 12. & sess. 25. c. 9. de refor.

VIGILIEN. FUNDATIONIS. Cappellaniam fundavit publico instrumento anno 1725. Arsilia Francesia Vidua Sergii Veneziani adjecto onere futuris omnibus Cappellanis quolibet anno sexdecim sacra faciendi, reservato utroque Jurepatronatus descendentibus masculis Familiæ Venezianæ, iisque defectis Jurepatronatus deferri voluit ad descendentes ex fœminis ejusdem familiæ, constituitque hujus Cappellaniæ dotem in duobus prædiis, olivarum, atque amygdalarum arboribus consitis. Renuit, qui tunc Vigilensi Ecclesiæ præerat, Episcopus Arsiliæ voluntati respondere, suumque fundationi præstare consensum ,, donec, & quousque (rescripti ,, verba sunt) prædicta oratrix dictum beneficium pinguius, & Ecclesiæ ,, servitio utilius reddiderit ,, ut Arsilia sequenti anno 1276. revocata, quam fecerat Cappellaniæ fundatione, novam alio publico instrumento constituerit, cujus Patronatus jura primogenitis masculis familiæ Venezianæ

zianæ reservavit, onus futuris Cappellanis adjecit singulis annis duodecim sacra faciendi, & Choro Ecclesiæ Cathedralis Festis diebus serviendi, dotem vero constituit ducatorum 150. sortis annuique redditus ducator 12., hypothecæ nexu ob eam dotem, annuamque præstationem obstringens hortum, quem prope mœnia Urbis habebat arboribus consitum: Hanc fundationem probavit idem Episcopus, qui Antonium Venezianum Arsiliæ filium hujus Cappellaniæ Rectorem, & primum Cappellanum instituit.

Morte tamen obita ab Episcopo Arsilia publico instrumento protestationem contrariæ voluntatis huic secundæ fundationi emisit, narrans ab Episcopo coactam fuisse, quod nollet Antonium filium ordine clericali honestare, & ob id „ declaravit, & declarat, *sunt ejusdem Arsiliæ irrata verba* „ prædictum onus assistendi in Choro per præsentem Cappellanum prædicti „ Beneficii, & successores in eo abolere, refutare, & annullare „, primumque onus sexdecim sacrorum quolibet anno a Rectoribus agendorum confirmavit: hinc dato libello Optimo Sanctissimoque Pontifici nostro postulavit secundam fundationem ejus authoritate abrogari, primam vero confirmari; at data Sacro huic Senatui hujusce rei, cognitione, tribus rationibus intendit ejus precibus esse annuendum, quod Episcopus ille nulla ratione primæ fundationi consensum præstare noluerit, justaque Arsiliæ timoris causa fuerit, ob quam contra ejus mentem votumque ad alteram venerit, quod major sit utilitas Ecclesiæ a prima, quam ab altera fundatione obventura, quod demum abrogata secunda nullum cuique detrimentum inferatur.

Nullam equidem Episcopo fuisse rationem, justamque causam, ob quam consensum primæ fundationi præstare noluerit, collatione utriusque actus liquido apparet; nam si causa negandi fuerat, quod *Beneficium pinguius, & Ecclesiæ servitio utilius reddendum erat*, non equidem secunda fundatione Beneficium pinguius, & Ecclesiæ utilius redditum est, & tamen secundam probavit Episcopus; Dos siquidem Cappellaniæ primo actu duobus prædiis, eorumque redditibus annuis constituta, minuta videtur secundo actu, quo sors ducatorum 150. adsignata est, & ex iis annua præstatio ducatorum 12. hoc tenui reddditu implenda sunt onera perpetua duodecim sacrorum, & Choro diebus festis serviendum; igitur si tenue visum est Episcopo Beneficium primo actu fundatum, multo tenuvius videtur secundum, quod eadem, sed graviori ratione Episcopus probare non debebat, ut cum illud probaverit, necessario dicendum sit nullam ei rationem fuisse, cum primum recusaret; quod si ab hac injusta recusatione Arsilia non reclamavit, ut jus ei fuisse constat inter omnes, & tradunt *Lambertin. de jurepatron. lib.1. art.16. quæst.2. par.1. Lotterius de re benef. quæst.32. num 17. Riccius dec.29. num.7. & 13. & decis.240. num.5. & 6. par.6* in causa fuit justus timor, ne iratus Episcopus Antonium Arsiliæ filium a sacris Ordinibus repelleret; hujus autem timoris probatio est a jurejurando, quod in protestatione, quam supra memoravimus, præstitit Arsilia, cui fides integra habenda est, quod nullum ex periurio compendium assequatur, quod ex hac fundatione gratiam speret a Deo, non vero æternam pœnam sibi velit infligi, quod demum ea de re Sacramentum præstetur, quæ tota in animo jurantis est, nec externam probationem accipiat.

Majorem vero utilitatem e prima, quam e secunda fundatione Ecclesiæ divinoque cultui obvenire ex eadem collatione utriusque actus manifestum esse, cum & dos diminuta fuerit secundo, & numerus sacrorum quotannis agendorum, dato tamen alio onere Choro serviendi, ut in tanta redditaum hujus Cappellaniæ tenuitate, oneris vero gravitate metuendum sit, ne non descendentes tantum ex familia Veneziana, sed & extranei quilibet Cappellaniam respuant, cum nemo quisquam sit, qui grave onus tenui stipendio subire velit, ut Beneficium ipsum, & pia Arsiliæ voluntas tandem sint peritura.

Demum

Demum abrogatione secundi actus nulli detrimentum infertur: non Ecclesiæ, & Beneficio, nam pinguius utrique consultum est, prima, quam secunda fundatione: non iis, quibus jura patronatus servata fuerunt, cum iidem sint, qui primo, & secundo actu ad juspatronatus ab Arsilia vocantur; non denique fundatricis voluntati, nam ipsa est, quæ primam, non alteram fundationem servari postulat.

His igitur probe perpensis, respondendum erit Dubio,

An sit annuendum precibus Oratricis in casu &c.

Die Sabbathi 14. Dec. 1743.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr. HISPALEN. DISPENSATIONIS. Postquam proposita fuit hæc causa in Congregatione habita die 28. Februarii anni 1739. placuitque Eminentissimis Patribus definitionem *differre*, iterumque proposita in altera Congregatione habita die 14. Martii ejusdem anni ab hoc Sacro Senatu Dubio huic quo quærebatur: *An esset consulendum Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato, & non consumato in casu &c.* Responsum fuerat: *Negative, & causa amplius non proponatur*, adiit Marcellina Aguerro optimum Sanctissimumque Pontificem nostrum, qui die 10 Decembris anni 1740. supplicationi rescripsit: *Ad eamdem Sacram Congregationem*: Cum igitur rescripto Optimi Principis data fuerit Marcellinæ potestas iterum judicio experiundi, utrique conjuges Marcellina, & Joannes Bartholomæus dispensationem postulant, intenduntque duo, quæ ad obtinendam Matrimonii dissolutionem necessaria sunt ex iis, quæ proponuntur, liquido probari: Conjuges enim post Matrimonium contractum non convenisse, ut omnis abfuerit concubitus, monstrat earum Urbium, in qua conjugum quisque moram faciebat, longissima distantia, Marcellina Hispalis, Joannes Matriti: Postquam vero Marcellina jussu Præsidis Hispali Matritum traducta fuit, & quasi sequestro apud Didacum Cæcilium deposita, nec alter alterum convenisse, nec sese invicem umquam vidisse Testes plures, qui nunc primum proponuntur, quique articulis responderunt, apertam testificationem faciunt; his addendum jusjurandum ab utroque conjuge præstitum, addenda ira, & odium, quo Marcellina in Joannem ferebatur, quod eo authore violenter, ut iidem Testes habent, Hispali e laribus paternis fuisset abducta, & Matritum delata, ut satis verosimile fiat iratam mulierem, & odio percitam invisum virum non recepisse. Justam vero causam, ob quam dispensatio sit indulgenda, non unam conjuges afferunt: Conditio Matrimonio adjecta, ob quam nullum connubium fuit: Deceptio, qua Marcellina ad nuptias contrahendas perducta fuit: Stuprum, quod ab altero viro, sive a priori sponso passa est Marcellina: odium a muliere in virum conceptum, difficiles exitus, qui ex hoc matrimonio venire possunt, periculum vitæ, quod a consanguineis imminet utrique conjugi: demum nobilitatis suæ Testes aliquot dat Marcellina, ut omnis contra petitam dispensationem difficultas adimi possit.

Contra qui ad matrimonium tuendum postulator datus est, urget, non recte excludi concubitum ex utriusque conjugis confessione: necesse esse, ut testes omni exceptione majores sint, quales esse nequeant, qui proponuntur, quod sine mandato Sacri hujus Senatus haberi nequeant uti legitime auditi, quod cum testificationem fecerint, rogante, & petente Marcellina, integri ad hanc rem, de qua quæstio est, & si jurati non videantur: Causas vero dispensationis indulgendæ satis graves, & vehementes non esse, quod conditio in ipso actu contrahendi Matrimonii coram Parocho, & Testibus adjecta non fuerit, stuprum ab incerto homine illatum prætextum esse, & quæ-

quæsitum colorem dissolvendi connubii, ut ille alter fuit Monasterium ingrediendi a Marcellina confictus, quo Hispalim repeteret: Jurgia, discordias, & vitæ periculum metuenda non esse, cum Imperio Judicum, & Magistratus authoritate omnia comprimi possint.

His igitur, quæ in Folio Congregationis habitæ die 28. Februarii data fuerunt, & quæ nunc proponuntur, diligenter perspectis respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

POSNANIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Placuit Eminentissimis Patribus in Congregatione habita die 2. Decembris anni 1741. qua causa isthæc proposita fuit, illius definitionem differre, quod iterum placuit in altera Congregatione habita die 16. ejusdem mensis, & anni, hoc tamen addito responso „ Orator prævia reassumptione habitus Regula- „ ris, ac reditu ad claustra sui Ordinis, citato Superiori Locali subiicia- „ tur examini formali, quod transmittatur „: Cum igitur hæc omnia, quæ mandata fuerant, impleta sint, & Angelinus responderit interrogationibus numquam sibi animum, mentemque fuisse Monasterium ingrediendi, sed allectum fuisse variis artibus a Carmelitis, urgente etiam ejus matre, ut major portio filiabus obveniret; Indulgentia eorum, qui Monasterio præerant, severitatem monasticæ disciplinæ probationis anno cognoscere non potuisse: Redire domum voluisse, antequam professionem emitteret, sed metu incusso coactum fuisse ad illam emittendam: Reclamasse quidem post illam emissam, sed rejectum fuisse ab iis, qui Ordini præerant, & cum dimissionem urgeret, in carcerem quoque conjectum: In eadem vero esse reclamandi sententia, nec ullo actu ratam habuisse, atque habere emissam professionem, ideo cum ex his, quæ in folio diei illius 2. Decembris deducta fuerunt, tum ex his, quæ nunc proponuntur, definiendum erit Dubium. Sess.25. c.15. & 19. de reg.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmative.

MEDIOLANEN. Redit ad Judicium Sacri hujus Senatus Bonifacius Majocchus *Commissus* Cassinensis in Monasterio Sancti Simpliciani Mediolani, cujus Causa proposita primum fuit in Congregatione habita die 17. Februarii anni 1742., qua placuit definitionem differre, iterumque proposita in Congregatione habita die 10. Martii ejusdem anni, Dubio proposito: *An sit permittendus Bonifacio Majocchi Commisso Cassinensis Congregationis egressus ab eadem Congregatione ad effectum suscipiendi Sacros Ordines* responsum fuit: *Negative*: Postulat igitur ut a *Decisis* recedatur, additque nunc testificationem Vicarii Generalis, qua ex Judicio examinatorum Synodalium idoneus renunciatur ad minores, atque etiam Sacros Ordines suscipiendos; Addit nominatum fuisse ad Beneficium, sive Cappellaniam, cujus jus patronatus ad Gentem Garzoniam pertinet, & hanc nominationem ab Archiepiscopali Curia admissam fuisse: Refert autem Pro-Vicarius Capitularis Cappellaniam Garzoniam onus habere Sacri faciendi singulis diebus, ejusque redditus esse annuorum scut. 53. monetæ Mediolanensis, quæ juxta Synodalem illius Ecclesiæ taxam satis sunt ad congruam Sacerdotalem. Perspectis igitur iis, quæ in folio diei 17. Fe- Sess.24. c.1. de ref. Matr.

bruarii collecta fuerunt, quæque nunc proponuntur, respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Brevi recessu a Decisis Affirmative.

Sess. 25. c. 15. de ref.

VENETA VOTORUM. Tertio nunc proponitur hæc Causa, quæ primum proposita fuit in Congregatione habita die 7. Aprilis Anni 1742., & iterum in Congregatione habita die 1. Septembris ejusdem Anni; in utraque rescriptum fuit: *Dilata*: Ex iis vero, quæ in foliis illarum Congregationum deducta fuerunt, poterunt nunc, quæ sequuntur Dubia definiri

I. An sit locus præstandi consilium Sanctissimo pro petita dispensatione in casu &c.? *& quatenus negative.*

II. An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Affirmative quoad primum. Ad secundum provisum in primo.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.

FANEN. SEU PISAUREN. SPONSALIUM. Amor, quo se se mutuo prosequebantur Nobilis Virgo Laura Montania, & Franciscus Gabuccinius Eques Hierosolymitanus puellam impulit, ut sive ignorante, sive invita Nobili Muliere Maria Bonamini a ejus Matre, & Curatrice, septem epistolis clam ad Franciscum datis nuptias non obscure sponderet, sponsæ quoque nomine sese aliquando aperte subscribens, parata ut nuptiæ exequi possent, Monasterium ingredi, & ob id subtili mentis consilio modum amanti indicabat, quo posset ingressus facile obtineri: Firmitatem demum animi perpetuam promittens, constantiamque propositi sui, si quid adversi accidisset, & volente Matre aliud Monasterium ingredi teneretur. At cum inde spem fefellisset eventus, ut rem omnem Amantes perficerent, fidem de nuptiis contrahendis sibi mutuam dederunt invicem jurati scriptis apocis, alter alteri spondens alium aliamve non ducturum: Apocam signavit Franciscus die 11. Maii, Laura vero alteram die 17. ejusdem mensis.

At Mater sive his omnibus cognitis, sive quod in suspicionem harum rerum venisset, Filiam Pisauro Senogalliam traduxit, & Monasterio S. Christinæ inclusit, Puellæ curam agentibus Sororibus nobilis viri Augustini Augusti, qui Mariæ Bonaminiæ Matri sanguine conjunctus est; Adiit hac de re Franciscus Gabuccinus Optimum Maximumque Pontificem nostrum. Princeps vero providentissimus literas ad Episcopum Senogalliæ dari jussit, quibus mandabat, ut de virginis animo, liberaque voluntate certior fieret, eamque a Monasterio abduceret, & apud honestam aliquam Matrem familias veluti sequestro deponeret, si de molitione fraudis, & insidiarum ad mentem, animumque virginis circumveniendum Monasterium illud esset suspectum: Paruit Episcopus mandatis Principis, aditaque Puella, cognovit, eam lætam, libentemque in eo Monasterio esse, nullumque insidiarum, fraudisque metum esse a lectissimis fœminis, quarum curæ subesset: hæc primum rescripsit Episcopus: Inde iterum, iterumque rogata virgine etiam, postquam illi injunxerat, ut opem præsidiumque a Deo peteret orando certis diebus, quod vitæ, & orationis genus spiritualia exercitia vocare solemus, & ab ea accepisset non mutasse voluntatem, propositumque animi servandi fidem, quam dederat Francisco Gabuccinio, certiorem de re omni fecit Eminentissimum Sylvium Valentem Gonzagam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Amplissimum,

mum, & Sponsi die 13. Junii tabulis nuptialibus sponsalia confirmarunt, quibus Laura sibi dotem constituit, pluribus adjectis pactis, quæ illa, dum manu sua tabulas signaret, declarari, & ampliari posse publica, si opus esset, stipulatione, cavit expresse.

His a Summo Pontifice auditis, & factum improbans inconsultæ Puellæ, quæ sine solemniis sibi dotem direxat, nec tamen liberæ illius voluntati vim ullam inferri patiens, amplius deliberandum censuit: Igitur ipsa id Chirographo suo signato die 4. Julii petente virgine, Laura Monasterio egressa annuente Pontifice, Senogallia discessit, & a Matre Anconam traducta fuit, ubi, uti jusserat providentissimus Princeps, Monasterio iterum inclusa est, quo procul a cujuscumque insidiis, fraudibus, & blanditiis soluta, illi esset mariti optio authoritate Eminentissimi Episcopi, & posset, quod vellet, vitæ genus libere eligere: At quæ fidem sponsa fuerat perpetuam, invictamque constantiam, paucos post dies, sive levitate illa consilii; & ingenii, qua mulieres plerumque natura ducuntur, sive quod, ut illa dicebat, aliorum blanditiis, & suggestionibus circumventa fuisset, & ad fidem Francisco spondendam perducta, mutavit sententiam, pœnituit contractorum sponsalium, voluitque libertate sua uti posse, fractis nuptialibus tabulis, & lacerata, quam scripserat apoca, quæ omnia, qui Lauram iterum iterumque rogaverat Eminentissimus Episcopus, epistolis suis nunciavit. Cum vero jampridem petente Maria Matre ab A. C. custodiri possessionem libertatis filiæ suæ, lis cum Gabuccinio contestata fuisset, data inde fuit Sacro huic Senatui Causæ hujusce cognitio, petente Francisco, ut definiatur contracta fuisse Sponsalia, & Lauram cogendam essem ad illa observanda.

Contracta fuisse Sponsalia monstrat Franciscus mutuis apocis invicem traditis, monstrat tabulis nuptialibus, quibus apocæ, & mutua matrimonii contrahendi fides, quæ in iis data erat, confirmantur: nam si sponsalia, ut omnes norunt, futurarum nuptiarum, & futuræ connubialis societatis repromissiones sunt, necesse omnino est, ut dicatur chirographis illis, tabulisque, quibus mutua fides contrahendarum nuptiarum data fuit, contracta sponsalia fuisse: Nec audiendam esse Matrem, aut Consanguineos, quod iis invitis sponsalia conventa fuerint, nulla enim Matri in Filiam potestas est, nullum jus est consanguineorum, nullamq e iis justam fuisse, & satis vehementem causam recusandi consensum his nuptiis, quod nulla ratione impar sit matrimonium: Satis vero reverentiæ, & obsequio, quæ Matri a Filia debentur, consultum fuisse ab ipsa Filia cum per Amitam, tum per Præsidem Provinciæ, quo fautore, & conciliatore nuptiarum amantes usi sunt ad animum Matris flectendum capiendumque, ut ex epistolis Lauræ aperte colligitur.

Nullam quoque fidem habendam esse iis, quæ ut inconstantiam, levitatemque suam obtegeret, Eminentissimo Anconæ Episcopo Laura respondit: Apocam, inquit, scripsisse *inconsideratamente*, & suggestionibus aliorum impulsam *per le istigazioni fattele da qualchedun o della casa sua*: Quanta enim sit in molli teneroque corpore animi mentisque solertia ex ejusdem epistolis facile posse cognosci, ut putandum non sit apocam inconsulte, & incaute scripsisse, præsertim quod parata, & prævia mentis, propositique sui deliberatione ad hunc actum venerit, cum de præcedenti voluntate nubendi Francisco ex iisdem epistolis liquido constet: Aliorum vero suggestionibus eam fuisse perductam ad fidem Francisco repromittendam nullam probationem esse, omnemque suggestionis dubitationem adimere ea, quæ pridem responderat Episcopo Senogalliæ in eadem voluntate esse servandi fidem, quam in apoca dederat Francisco Gabuccino, nullumque insidiarum metum esse ab iis, quarum curæ subesset, cum tamen, & imperio Matris illo Monasterio inclusa fuisset, & data custodiæ Sororum Augu-

stini Augusti, quæ Matri sanguine conjunctæ sunt, ut ratio omnis suadeat Monasterium illud a Matre selectum fuisse a quo omnia sibi essent paratissima, & a quo nullus esse posset metus insidiarum, & suggestionum, quibus Filiæ voluntas, animusque in Franciscum Gabuccinium, quem Generum recusaverat, flecti, & declinari potuisset.

Ex his colligit Gabuccinius compellendam esse Lauram, cogendamque censuris, & districtione Ecclesiastica, ut datam fidem liberet, impleatque promissionem futuræ individuæ consuetudinis, & Societatis Connubialis ut est in cap 2 & in cap. ex literis de sponsal. Nec spectandam esse declarationem pœnitentiæ, quam fecit Eminentissimo Anconæ Episcopo, dum illam de voluntate, sententiaque animi sui interrogaret, quod isthæc declaratio apertum dissensum præseferre non possit, & dicendum sit emissam fuisse blanditiis, suggestionibus, & metu illato a consanguineis maternis, ut ex epistola Abbatissæ Monasterii S. Christinæ, & duorum testium testificatione vehemens conjectura fieri potest: Nullam demum habendam esse rationem exhæredationis filiæ non obsequenti ab irata Matre indictæ, quod nulla iræ, nulla exhæredationis, nulla recusationis maternæ legitima, & justa causa proponatur, quando nulla ratione impares hæ nuptiæ sunt, nec metus exhæredationis, quam mater minatur, legitima causa filiæ esse potest a sponsalibus contractis resiliendi, ut quæstione latius digesta respondit Sacra Rota coram Cavalerio decis 526. præsertim numer 3. & 6.

Atque hæ Francisci rationes sunt; Contra Mater, & Laura, nec rite contracta sponsalia, nec coactioni locum esse defendunt: Non rite contracta sponsalia, quod res sit de apoca scripta a Puella ætate minori, inconsulta Matre tutrice, & curatrice, ignorantibus consanguineis; non uno tempore scriptas apocas fuisse, atque invicem traditas, sed ex intervallo, & quod rei caput est, incaute, & levitate illa, qua teneræ Virgines in nuptias feruntur, signatam alteram a Puella, quæ importunis Familiarium suasionibus, suggestionibus, & blanditiis circumveniebatur, ut his omnibus perpensis negandum videatur sponsalia isthæc rite, legeque contracta fuisse ex iis, quæ disputant *Sanchez. de Matrim. lib.1. disp.64. num.6. Card. de Luca de Matrim. disc 8. num.4. Ursaya discept. Ecclesiast. vol.1. par.1. discept.18. num.8. & seq. & vol.6. par.1. discept.4. num.11. & seq. Rota cor. Crispo decis 572. n.1. vol.3.*

Coactioni vero locum non esse, quod Laura declaraverit pænituisse contractorum sponsalium: Jure siquidem constitutum est unius renunciatione solvi sponsalia in futurum tempus concepta si *res integra* sit, ut est in nostra specie, & ad ea exequenda monendum quidem, non cogendum esse quemquam censura, & districtione Ecclesiastica: Hanc unius inconstantiam boni consulit, & tolerat Ecclesia, ne quid forte inde deterius contingat, quod coactiones solent difficiles exitus frequenter habere: hæc Pontificis sententia est in rescripto, quod est in cap. Requisivit 17. de Sponsalibus, nec pugnat cum rescripto alterius cap. ex literis eodem titulo, namque ibi non cogendum esse ait Pontifex Sponsum, vel Sponsam ad Sponsalium fidem implendam, sed volentem stare Sponsalibus cogendum esse pactorum conventorum verba sequi, & ea accipere juxta loquendi usum, & consuetudinem non juxta captum, sensumve suum, quæ *Cujacii* sententia est in *Commentar. ad cap.2. de Sponsal. oper. omnium vol.6. pag.1055. edition. Neapolit.*

Aliis tamen alia sentientibus, ut cognosci potest ex his, quæ congregat *Gonzal. Tellez. ad cap.2. de Sponf. num.8. vol.4.*, vel demum, quod hæc sit inter virum, & mulierem differentia, ut vir, qui renuit datam fidem liberare, cogendus sit, & censuris compellendus ex dispositione cap. ex literis; diversum in muliere, cui succurrendum sit propter infirmitatem consi-

consilii, & sexus imbecillitatem, ut locus sit dispositioni *cap. requisivit*, quæ *Pitonii* jurisprudentia fuit *discept. Eccles.* 32. *n.*26. & *Ansaldi dec.* 516. *n.*17. *vol.*5.

Succurrendum igitur esse ætati, & imbecillitati Lauræ, nec compellendam esse ad fidem, quam circumventa, & decepta dedit, liberandam; præsertim, quod satis æqua videatur causa a Sponsalibus resiliendi ex dissensu consanguineorum, & Matris indignatione, quæ exhæredationem minatur, qui justus timor hac in re visus est *Ursayæ discept. Eccles. vol. prim. par.*1. *discept.*18. *n.*49.

His omnibus probe perpensis ad summam EE. VV. Jurisprudentiam pertinet definire.

An constet de Sponsalibus, & sit locus coactioni in casu &c.

Constare de Sponsalibus, & ad mentem.

VITERBIEN. CAPPELLANIÆ. Nuptui data fuit Catharina Zagarolia Christophoro Zellio, constituta a consanguineis dote scut 2750., sed collata solutione partis ejusdem dotis scut. 1500. post obitum Imperiæ Matris Catharinæ: Auxit Imperia amore, quo in filiam ferebatur, impulsa, constante Matrimonio, dotem a consanguineis constitutam ad scut. 4000. adjecta tamen lege, & pacto reversionis augmenti, si Catharina ante Matrem, & sine filiis obiret. Turbato naturæ ordine Matri Catharina prædecessit nullis relictis liberis, aperctisque tabulis, & codicillis compertum est Matrem præteritam Christophorum virum hæredem scriptum in usufructu universæ hæreditatis, & post viri mortem voluisse Testatricem, ut Beneficium, sive Cappellania erigeretur dato onere Cappellanis quinque sacra faciendi singulis hebdomadis: Codicillis vero jurapatronatus Cappellaniæ Catharina dedit Francisco, & Bernardino Zagaroliis, eorumque hæredibus, & successoribus in infinitum, iisque liberationem legavit reliquæ partis constitutæ dotis, cujus solutio post matris obitum collata fuerat, cavens expresse portionem hanc extra causam Cappellaniæ semper esse censendam. *Sess.* 22. *Dec. in obj. & evit. de celeb. Miss.*

At mater ruptum, irritumque Testamentum dicebat, quod a filia præterita fuisset, atque ob id omnia sibi vindicabat ex intestati causa: contra Testamentum defendente Christophoro præsidio clausulæ codicillaris. Igitur ope, consilioque Jurisperitorum transactum est: firmum Testamentum voluerunt, Matri restituendum augmentum dotis, quod utraque conditio impleta fuisset, & legitimam portionem solvi. Quia vero convenire non potuerunt in quæstione juris, quæ tractabatur, an in illa dotis constitutæ parte, quæ post Imperiæ mortem solvi debebat, legitimam mater consequi posset, salva, & integra jura sua esse debere Imperia voluit expressa, actaque inde coram A. C. Causa, debitam esse matri legitimam in ea dotis parte Judex pronunciavit, cujus sententia authoritatem habet rei judicatæ.

Morte obita a Christophoro Zellio usufructuario venit dies erigendæ Cappellaniæ: Cum vero Franciscus Zagarolius, qui jura patronatus habet, probe observasset hæreditatem Catharinæ, qua Cappellania erigenda est, longe diminutam fuisse deductionibus legitimæ, augmenti dotis, & liberationis legatæ, itaut aperto calculo demonstretur non excedere nunc summam scut. 833. 31 $\frac{1}{1}$ satius duxit petere ab hoc Sacro Senatu diminutionem oneris sacrorum, quæ ut diximus, quinque a Cappellano facienda sunt singulis Hebdomadis in perpetuum, dato igitur libello die 22. Septembris anni 1742. rescriptum est „ onus Missarum redigendum esse juxta propor-
„ tionatam quantitatem reddituum Capitalis residualis ad rationem elee-

,, mosynæ manualis juxta morem regionis ,, Displicuit Zagarolio hoc rescriptum, curavitque subscriptis Dubiis, ut isthæc in folio describerentur, ut possent, quas proponit, rationes diligenter expendi.

Urget igitur probe distinguendum esse duos casus: alterum quo res sit de legato Sacrorum, & petatur diminutio, quo casu juxta stylum Sacræ Congregationis major quantitas a Testatore constituta minuitur ad rationem perpetuæ, vel Manualis juxta morem regionis. Alterum vero, quo res sit, ut in hac specie est, de Beneficio perpetuo, quod confertur in titulum, & oneris diminutio petatur, quod minuta sit quantitas dotis a Testatrice constitutæ huic Beneficio: hoc enim casu intendit non esse mutandam Beneficii naturam in legatum Missarum manualium, ne lædatur mens, & voluntas Testatricis, & detrimentum inferatur Patronis, & Cappellanis, sed habita proportione diminutionis dotis, minuendum esse onus Sacrorum, ut inveniri possit, qui utilitate aliqua suadente Cappellanus esse velit: Quod recte convenit præsumptæ Catharinæ voluntati, quæ dum onus adjunxit quinque Sacrorum singulis Hebdomadis, ampliorem esse hæreditatem suam putabat, quam vere esset in facultatibus suis, non datura onus tam grave, si putasset hæreditatem suam ita minuendam esse, ut in ipso actu erectionis Cappellaniæ non major esset scut. 833. Ut igitur aliquid Cappellano supersit, minuendum est onus ad mensuram diminutæ hæreditatis, ut tradit *Passerinus de statu homin. quæst.* 187. *art.* 4. *num.* 1041., & definitum dicitur ab hoc Sacro Senatu *in Mediolanen. reductionis Missarum* 9. *April.* 1718.

Quod si de legato etiam Sacrorum ageretur, adhuc in ea specie iterum distinguendum esse contendit, nam aut agitur de onere Sacrorum jam agnito, & dudum impleto, & hoc casu, si diminutio sortis contingat, minuendum onus Sacrorum est servata porportione eleemosynæ manualis, ut monent *Passerinus eod. artic.* 4. *num.* 1042., & *Monacell. in formul. leg. vol.* 2. *tit.* 3. *form.* 2 *num.* 63. Aut vero res est de onere nondum agnito, & impleto, & petatur ante exequutionem diminutio, quod diminuta sit ante agnitionem, & implementum sors legata, & hoc casu faciendam esse diminutionem pro rata eleemosynæ, quæ debetur pro Missa perpetua juxta morem regionis, non vero ad instar manualis, atque ita respondisse constanter Sacrum hunc Senatum, ut omissis antiquioribus responsum est *in Nepesina reductionis onerum* 27. *Julii* 1734., & *in Lucana applicationis Missæ quotidianæ* 12. *Febr.* 1735.

Quia vero summa illa reliqua hæreditatis Catharinæ Zagaroliæ scut. 833. qua Cappellania erigenda est, in censu hujus quantitatis constituta est, & post obitum Christophori usufructuarii usuras sive fructus dedit, hinc petit Zagarolius fructus hosce erogari in impensas hujus litis diminutionis oneris Sacrorum, & erectionis Cappellaniæ exemplo Administratoris, qui litem defendit actam de re administrata, ut observat *Constantin. ad statut. Urbis annotat.* 59. *num.* 288. & *seqq.* Et ita in nostra specie respondisse dicitur S. Rota *in Toletana, seu Calaguritana Cappellaniæ super sumptibus litis* 4. *Julii* 1732. § *certum & seq. cor. R. P. D. Millino*.

Atque ex his, quæ a Zagarolio tantum proponuntur, respondendum erit Dubiis.

I. An attenta notabili diminutione hæreditatis Fundatricis deveniri debeat ad erectionem Cappellaniæ cum reductione oneris Missarum, & in qua quantitate, & quomodo in casu &c.

II. An pro expensis hujus litis sint erogandi fructus interim decursi Capitalis Cappellaniæ adhuc non erectæ in casu &c,

Non proposita cum sequentibus.

PLO-

Sess.24.Doct. de Sac. Mat.

PLOCEN. NULLITATIS MATRIMONII. Defuncta Uxore, quam *Viduam* duxerat, Adam Szamockius ad secundas venit nuptias cum Barbara Szymanovvskia, quam *Viduam* pariter duxit; At Barbara adiit Episcopum Plocensem, & viro in Jus rapto petiit dissolvi Connubium, quod Adam ita esset ineptus, ut nullam fœminam cognoscere posset: Inertiam suam negante viro Barbara articulos edidit, frustra jubente Episcopo indicta pœna censurarum, & districtionis Ecclesiasticæ ut iis Vir responderet: Igitur interrogatis decem Testibus compertum est ex eorum dictis utrasque Uxores cum amicis, familiaribus, & consanguineis querelas fudisse de inertia Viri ad concubitum, & ob id adversa sæpe valutudine laborasse in Causa erat inguinis brevitas. Itum est ad Peritos Medicos, Chirurgosque; Hi diligenter inspecto Viri corpore unanimes convenerunt, ut eum renunciarent imparem congrediendi cum fœminis nimia hastæ Virilis brevitate, cum ea inguinis esset mensura, qua est anularis digiti articulus primus ab ungue ad articulum: Post hæc sive quod, ut Barbara narrat, Adam a Chymista opem petiisset, qui medicamentum ex argento vivo compositum apposuerit, sive quod, ut Testis Medicus narrat, Adam *Gonorrhea laboraret*, & butyro antimonii perfuso pene, vi medicaminis erosa, & corrupta hasta fuerit, eo ventum est in summa rerum desperatione, ut ob tutelam corporis, & vitæ satius duxerint Medici corruptum inguen abscindere, & Adam e morbo evasit amissa funditus hasta virili, ut impossibile ei sit cum fœmina congredi. Igitur Episcopus Plocensis delato Barbaræ Sacramento sententiam tulit, qua solvit Connubium, Virumque, & Uxorem in diversa abire jussit, data facultate ad alias nuptias veniendi.

Appellavit Adam ab hac sententia, & Judex Metropolitanus aditus, ea circumscripta, retractari causam ab eodem Episcopo jussit, sed Nuncius Apostolicus, ad quem Barbara appellaverat, circumscripto Decreto Judicis Metropolitani voluit Partes Sacrum hunc Senarum adire, statuto iis termino mensium trium: nunc igitur postulat Barbara secundum eam pronunciari, quod vir contracti Matrimonii tempore connubialibus officiis agendis impar esset.

Silere inquit in hac specie, in qua versamur, vexatas certantium tum Theologorum, tum Pontificii Juris Interpretum disputationes de signis, indiciisque, quibus alterutrius conjugis ineptia, & impotentia coeundi probetur, locum enim habent cum de occulto, & latenti vitio membrorum res est, vel cum ambigitur, an perpetuum vitium, vel temporarium, quod restitui, & reparari machina possit: At cum inertiæ signa certissima sunt, oculisque fidelibus subiiciuntur, non ambigitur dissolvendum esse sine mora connubium, ut ex Textu in cap 2. de frigidis, & malef. monent Doctores, & Interpretes omnes: Cum igitur Peritorum Judicio, qui oculata manu rem omnem cognoverunt, ex aspectu partis, qua quisque homo est, imbecillitas Viri renunciata fuerit, nihil cunctandum esse, sed Matrimonium sine mora solvendum.

Integram etiam esse Barbaram a Viro, & inviolatam a die contracti connubii probat jus jurandum ab ipsa præstitum, probant querelæ, quas narrant testes: Imbecillitatem Viri, antequam Matrimonium cum Barbara contraheret, monstrant querelæ primæ Uxoris, quæ cum liberos enixa fuisset, ut Barbara, a primo Viro, nullos tamen ab altero sustulit filios, atque hinc non esse audiendum Virum, qui testibus probare conatur Barbaram post contractum Matrimonium utero gessisse, inde passam abortum, namque id ignorare dicit testium unus, alter vero incertus est, a quo audiverit, a Viro, vel a Muliere, tertius ab ipso Viro id audivisse narrat.

Ex his, quæ a Barbara tantum proponuntur, respondendum erit Dubio.

An sit locus dissolutioni matrimonii in casu &c.

PISAU-

Sess. 21. c. 4. 5. de Ref.

PISAUREN. Territorium Gradariæ universum quatuor Parochiis circumscriptum est: Tres Suburbanæ, quæ suis quæque finibus terminantur: Quarta Gradariæ Pagum, qui Malatestis Principibus Castrum erat munitissimum, integrum occupat, Templumque habet consecratum D. Joanni Baptistæ: Suburbanarum una, quæ S. Sophiæ dicitur, Ecclesiam habet solo fere æquatam licet Pisaurenses Episcopi Ædem Sacram restitui, & reparari pluries jusserint, ut in ea Festis saltem diebus pro Populo sacrum fieri posset; hinc factum est, ut sive bellorum, sive quæ alia fuerit causa, ignoratur, Parochus S. Sophiæ relictis Parochiæ suæ finibus intra Gradariam receptus, & ædificato ejusdem nominis Templo, ædibusque Parochialibus extructis, quod forte Ecclesia illa Suburbana aliarum Mater esset, Fontem Lustralium Aquarum, quo infantes omnes Gradariæ nati lavantur, semper retinuit, & Archipresbyteri nomine honestatus est: Cum autem Parochos alios vellet præcellere, & præsertim Rectorem Sancti Joannis, ejusque Parochiæ fines ingredi, & in ea actus jurisdictionis exercere, gravissimæ ortæ sunt controversiæ, quæ tolli numquam potuerunt, & vix pluribus transactionibus placari, & sopiri lites illæ cura Pisaurensium Episcoporum potuerunt, quin novæ in dies recrudescerent maximo Ecclesiarum, & Populi detrimento.

At longe iniquior secessione illa Parochi S. Sophiæ intra Gradariæ mœnia facta fuit conditio populi, qui ruri habitabat, nam sive ob asperitatem viarum, sive quod noctu Portæ Gradariæ clauduntur, pluries accidit, ut homines sine Sacramentis Ecclesiæ decederent, ad audiendum Verbum Dei non accesserint, pueri, & adolescentes rudimenta ipsa Christianæ Legis ignorarent, Adulti vero, nonnisi Paschali tempore, Ecclesiæ præceptum implerent. Ut igitur tot morbis medicina pararetur, Parochiæ S. Sophiæ populus universus anno 1678. Sacrum hunc Senatum adivit, qui licet Pisaurensi Episcopo jusserit, ut Parochum compelleret ad habitandum intra fines propriæ Parochiæ, eo tamen audito, qui causabatur defectum Ædium Parochialium, & tenuitatem reddituum, qui ad eas extruendas impares erant *recessu est a decisis*, & datum fuit Episcopo onus *ut spirituali animarum servitio provideret*, sed nihil actum est, ut re infecta eadem esset populi conditio, & graviora, quæ inferebantur, detrimenta.

Demum cum novæ inter Archipresbyterum S. Sophiæ, & Rectorem Sancti Joannis lites exarsissent ad hunc Sacrum Senatum delatæ anno 1738., & rescriptum fuisset -- *Scribatur Episcopo, ut omnino provideat super residentia Archipresbyteri intra fines suæ Parochiæ*. Episcopus autem cum in Sacra Visitatione opem ferre, & necessitati consulere non potuerit, quod Suburbana Ædes S. Sophiæ nimis angusta sit, & Parocho desit habitatio, nec nisi maxima impensa ampliari Templum, & nova Domus extrui possit, in his rerum angustiis decessit Archipresbyter S. Sophiæ, & ejus populus dato libello Episcopum Pisaurensem rogavit, ut duas Parochiales Ecclesias S. Joannis, & S. Sophiæ, quæ intra Gradariam sunt, uniret, factaque ex earum redditibus separatione, dos constitueretur antiquæ Suburbanæ Ecclesiæ S. Sophiæ, ut ampliari restituique, & restituta servari posset; & Domus, in qua Parochus habitaret, extrueretur, adsignata illi quoque congrua alimentaria portione. Alium inde libellum idem populus eadem postulans obtulit Optimo Maximoque Pontifici nostro, a quo pro voto omnis hujusce rei cognitio data est, & audito, ut moris est, Episcopo Pisaurensi, hic disertissime sententiam suam data Epistola aperuit.

Censet enim uniendas esse perpetuo duas Parochiales Ecclesias, quæ intra Gradariam sunt, Rectoralem scilicet S. Joannis, & Archipresbyteralem S. Sophiæ, unumque Rectorem esse instituendum nomine Archipresbyteri, ut omni populo, qui intra Gradariæ mœnia est, Sacramenta Ecclesiæ ministret in Templo S. Sophiæ; novum Parochum sive Rectorem sufficien-

ciendum esse Ecclesiæ, & Parochiæ S. Sophiæ, sive *della Pieve vecchia*, qui intra illius fines assiduo habitet, *& totalem* ejus verba sunt, habeat *independentiam ab Archipresbytero nisi quoad Baptismum, ut moris est, etiam cæteris Parochis ejusdem districtus*. Redditus omnes utriusque Ecclesiæ unitæ Archipresbytero tribuendos esse, dato tamen eidem onere solvendi annuam præstationem Rectori *della Pieve vecchia*, seu potius facta ob id separatione prædiorum, quorum fructus annuæ statuendæ præstationi respondere possint: Archipresbyterum onerandum esse, ut suis impensis veterem Ecclesiam Suburbanam S. Sophiæ restituat, & novo Rectori habitationem paret, atque hoc onus subire non renuit Rector S. Joannis, quem putat Episcopus novum Archipresbyterum esse constituendum.

Ecclesiam vero S. Joannis non derelinquendam idem censet Episcopus, sed alicui Sodalitio tribuendam iis legibus, & conditionibus, quæ naturæ contractus convenire poterunt, novamque Archipresbyteralem Ecclesiam, quæ hactenus imperfecta est, novi Archipresbyteri impensis perficiendam putat, & erigendam. Deinum ex integris novæ Archipresbyteralis Ecclesiæ redditibus deducenda esse censet annua scut. 50, quæ Seminario tribuantur, ut illis alantur duo adolescentes ab eodem Episcopo eligendi.

Hæc est Episcopi sententia: ne vero dum a Sacro hoc Senatu de hac re omni deliberaretur, aliquis esset, qui Archipresbyteralem Ecclesiam S. Sophiæ a Dataria Apostolica ex jure devolutionis impetraret, rogavit idem Episcopus Summum Pontificem, ut declararet nullum fuga temporis a Tridentino constituti detrimentum inferri, donec negocium definiretur, & licet Princeps providentissimus beneficium hoc Episcopo indulserit, tamen Sacerdos Franciscus Oliverius *impetrationem signari* obtinuit, sed hactenus suspensa *expeditio est*, ut acta definitaque unionis causa cognosci possit, an eidem *impetrationi* sit locus. Igitur populus Parochiæ, & Ecclesiæ S. Sophiæ, quæ extra Gradariæ mænia est, in jus vocatis Impetratore, & Postulatore Gradariæ petit, ut juxta sententiam Episcopi, & modum ab eo propositum *consulatur Sanctissimo pro unione, & dismembratione Ecclesiarum*.

Non equidem ambigitur vehementes illas causas, quæ probari debent, cum ab Episcopis unio Beneficiorum fiat, non requiri in unionibus Beneficiorum, quæ fiant a Summo Pontifice juxta cognitissimam *Abbatis* Doctrinam *in cap. sicut unire n. 8. de excess. prælat.*, quam communi consensu sequuti sunt interpretes nostri, ut cum unio isthæc a Summo Pontifice facienda sit, satis sit justam aliquam causam proponi, cum non desint, qui putent nullam requiri: Plures autem causæ proponuntur, quæ Summum Pontificem movere queant ad petitam unionem concedendam. Prima siquidem est litium dirimendarum, cum ex his, quæ supra memoravimus, constet plurimas inter Archipresbyterum S. Sophiæ, & S. Joannis actas fuisse lites, & controversias transactionibus ægre sopitas, aliæque in dies exardescere possint, novaque dissidia vulneribus vix obductis recrudescere quæ funditus evellere Christianæ Reipublicæ interest, nec ulla melior proponi potest ratio, quam ut duæ hæ Ecclesiæ *æque principaliter* uniantur. Altera causa est, quod facta duarum Ecclesiarum unione, & dato novo Rectore Ecclesiæ S. Sophiæ, quæ extra Gradariæ Pagum est, Rector ut jubet Tridentina Sanctio, intra Parochiæ fines habitans, munus suum implere poterit, & populo præsto esse, nec ea deinceps evenient mala, quæ hactenus evenisse ob Parochi secessionem supra narravimus.

Tertia, quæ proponitur causa utilitatis est, quæ hominibus universis, qui sive Gradariæ, sive in ejus Territorio sunt, obvenire poterit, si e redditibus novæ Archipresbyteralis Ecclesiæ annua portio scut. 50. deducatur, ut duo optimæ spei Adolescentes in Seminario Pisaurensi alantur, & studiis incumbant, bonisque moribus, & rerum Ecclesiasticarum peritia imbuantur.

Quarta

Quarta demum causa ex infrequentia Pagi Gradariæ est, ubi sexaginta homines habitant; ut enim aucto populo novam Ecclesiam ædificandam esse cautum est rescripto Pontificis, quod est in *cap. ad audientiam de Eccles. ædif.* ita si populus minuatur, & intra decem mancipia, sive familias sit, duas Parochiales Ecclesias sub uno Presbytero uniendas esse definitum est *in C. unio 10. qu. 3. & in C. & tempori 16. quæst. 1.* traduntque *Jo: Dart. in Comment. ad Gratian. decret. tom 1. par. 2. ad caus. 10. quæst. 3. sub lit. B. Rebuff. in praxi benef. num. 40. & Altaserra de Jurisd. Eccl. lib. 2. c. 16. §. Nec requiritur.*

Accedit alia ratio, quod nulli hac unione detrimentum inferatur, non Ecclesiis, cum petatur unio æque principalis, nec derelinquatur Ecclesia Sancti Joannis, sed alicui Sodalitio tradenda sit, a quo servitium omne præstari poterit: non populo Gradariæ, qui si hactenus duos habuit Rectores, duos quoque habiturus est deinceps, Archipresbyterum scilicet, & Oeconomum, seu Vice-Curatum ab eodem retinendum, ut proponit Episcopus; non denique Dataria Apostolicæ, nam uti prius conferre poterat utrasque Parochiales Ecclesias Archipresbyteralem, & Rectoralem, ita poterit deinceps, & novam Rectoralem Sanctæ Sophiæ, seu *della Pieve vecchia.*

Hæc disputat populus Parochiæ S. Sophiæ; quæ extra Gradariam est, Postulator populi Gradariæ nondum jura populi libello complexus est: Nunc EE. VV. onus erit cognoscere.

An sit locus unioni, & respective dismembrationi in casu &c.

Sess. 24. c. 9. de ref.

NULLIUS SANCTÆ MARIÆ IN LAMIS PAROCHIALIS. Cum Parochialem Ecclesiam D. Antonii Abbatis ab hinc septennium detineret Sacerdos Leonardus Calvittus Parochus, qui in concursu indicto anno 1736, ab Episcopo Bovinensi Administratore Apostolico, uti cæteris aliis ætate, moribus, doctrina, & prudentia præstans, magis idoneus renunciatus fuit, datisque ab eodem Episcopo literis collationis, Parochialis Ecclesiæ possessionem nactus fuerat nullo contradicente, in Sacra Visitatione facta nuper a Vicario Generali Eminentissimi Abbatis Commendatarii, decreto adversus eum non interpellatum, nec auditum lato, possessione Parochiæ repente dejectus est uti intrusus, & redintegratus fuit ad ejusdem Parochiæ possessionem Sacerdos Crucianus Carolus, qui ad annum usque 1731. Parochiam illam tenuerat.

Re cognita a Leonardo protestationem continuo emisit, qua a decreto illo appellavit, de spolio questus est, de redditibus, & emolumentis Parochialibus sibi cautum voluit contra Crucianum Spoliatorem, declaravitque non sponte, sed vi, & metu illato censurarum, & districtionis Ecclesiasticæ claves tradidisse: At Vicarius Generalis spreta protestatione, & appellatione in possessionem Parochialis Ecclesiæ Crucianum immisit. Igitur Leonardus Sacrum hunc Senatum adivit, qui, ut fieri solet, & eumdem Vicarium Generalem Sancti Marci, & Episcopum Bovinensem audire voluit, a quibus datæ Epistolæ sunt, quibus factum quisque suum defendere, & rite legeque actum esse monstrare conatur. In hac Epistolarum, & Judiciorum differentia Leonardus Calvittus Eminentissimorum Patrum judicio declarari postulat „ Decretum Vicarii Abbatialis non substineri, „ Parochiam non ad Crucianum, sed ad Leonardum pertinere, & Cru- „ cianum teneri ad restituendum redditus, & emolumenta, quæ hacte- „ nus percepit.

Non posse decretum Vicarii Abbatialis licet in Visitatione latum substineri, quod nullum, & injustum sit, monstrat Leonardus: nullum equi- dem-

dem, nam spolium apertissimum habet, cum in re ita gravi, qualis ista est procul dubio, non fuerit auditus, nec interpellatus, ut jure opus erat, quando ipse legitimo collationis titulo in possessione erat Parochiæ a septennio: eoque amplius nullum, & spoliativum Vicarii decretum dicendum sit, quod Leonardus eo audito appellationem illico interposuerit, qua spreta Vicarius Crucianum in Parochiæ possessionem immiserit, & Leonardum compulerit metu censurarum ad claves tradendas, & hæc omnia sine ulla jurisdictione fecisse dicatur.

Nec mutare, si a Cruciano reponatur de Tridentini Sanctione, qua cautum est, appellationem non impedire, aut suspendere exequutionem eorum, quæ in visitatione mandata, decretave sunt; constat siquidem inter omnes Tridentini Sanctionem locum habere in iis quibus Episcopi delegata jurisdictione, atque authoritate funguntur, nulla vero ratione ad jus controversum Tridentina Sanctio pertinet, neque ad ea. quæ alicui detrimentum inferunt irreparabile, quibus expediendis necessaria est ordinarii Judicis authoritas, ut unus prę omnibus explicat *Card. de Luc. in miscell. Eccles. par.14. discurs. prim. num.73. & in adnotat. ad S. Conc. Trid. disc.5. sub n.5.*

Injustitia vero decreti, quo Crucianus ad Parochiæ possessionem redintegratus est, monstratur, quod non constet umquam spoliatum fuisse, cum Parochiam Crucianus sponte dimiserit anno 1731., ut plurimi testes uno consensu testificantur, & consequenter nullum est spolium, nulla redintegratio, nec ad jura renunciata concedi debet regressus: nec audiendum esse Vicarium Abbatialem, qui in Epistola sua ad hunc Sacrum Senatum rem aliter narrat, nam Parochiam vere a Cruciano dimissam testes, qui falli non possunt, quod de re, & facto proprio deponant, aperte referunt: eorumque narrata confirmant Cruciani facta, qui die 26. Octobris anni 1731. Infantem natum lustralibus aquis expiasse scripsit *de licentia*, quique *olim Parochus* se inscripsit in testificatione, quam fecit implementi pii operis die 16. Decembris 1733.

Frustra demum de dimissione Parochiæ facta anno 1731. a Cruciano disputari, cum satis sit aperta dimissio ab ipso Cruciano facta, & manu sua subscripta in Actis Visitationis Episcopi Bovinensis Administratoris Apostolici anno 1736., qua his verbis sese explicat „ L' altra dell'
„ Rettore di S. Antonio Abbate oggi si amministra da Economo amo-
„ vibile nominato dalla Curia dopo la renuncia, che io nè ò fatto,
„ e torno a fare in mano di V. S. Illustrissima, quatenus opus per la
„ mia salute.

Ex his colligit Leonardus Parochiam, de qua res est, non ad Crucianum, qui illam dimisit, & renunciavit, pertinere, sed ad se spectare, qui indicto concursu illam uti magis idoneus obtinuit, & literis collationis possessionem ipso Cruciano non contradicente nactus est, & per septennium retinuit, a qua cum dejectus fuerit spolio apertissimo, redintegrari debeat, præsertim, cum ei faveat Regula Cancellariæ de Triennali possessione, quæ eum tutissimum facit, ne a possessione sua a quocumque deiici possit.

Quod si nullum fuit, & injustum Vicarii Abbatialis decretum, si non ad Crucianum, sed ad Leonardum Parochia pertinere debeat, jam consequitur compellendum esse Crucianum ad restituendum Leonardo redditus, & obventiones, quas hactenus e Parochia, ejusque bonis percepit: hos enim redditus acquirere, suosque facere non potuit ob spolium admissum, & ob fidem malam, quæ in eo est, ob quam fructus omnes spoliato restituendi sunt: Ignorare siquidem factum proprium ipse non potuit, nec ulla excusatio proponi potest ab eo, qui sciebat se Parochiam dimisisse, ut nonnisi fraude, dolove malo reintegrationem petere potuerit ad beneficium, quod sponte dimiserat. Hæc

Hæc proponit Leonardus; nondum Crucianus jura sua dedit, ut secundum ea, quæ a Leonardo proponuntur, definienda sint tria Dubia.

I. An decretum Vicari Abbatialis super asserta reintegratione Sacerdotis Cruciani de Carolis substineatur in casu &c.

II. An Parochia Sancti Antonii Abbatis, & Cura Animarum ejusdem pertineat ad Sacerdotem Leonardum Calvitto in casu &c.: *& quatenus negative*.

III. An dictus Sacerdos Crucianus teneatur restituere fructus, & alia emolumenta Parochialia indebite percepta Parocho Leonardo Calvitto in casu &c.

INDEX CONCLUSIONUM *ET* RESOLUTIONUM

Quæ in singulis Causis anno 1743. *Sacræ huic Congregationi propositis fuerunt adnotatæ* .

A

C

Novi-

N

NOvitiatus, probationisque annum ita integrum & continuum a quocumque Novitio persolvendum est: ut si iste degat extra claustra absque superioris licentia, rursus inchoandum sit tyrocinium per integrum anni tempus alioquin Professio subsequuta, viribus careret, pag.125. §. Altera.

Hoc quoque, num dicendum sit de Novitio, qui accedente Superioris licentia divertit e monasterio atque alibi moram trahit, discordes sunt Doctorum sententiæ, ibid.

Sacra hæc tamen Congreg. illi non semel ad hæsit sententiæ, ut completo probationis anno, rite recteque fiat professio, quamvis per aliquam ejusdem anni partem, atque etiam plures per menses extra monasterium victaverit concedente superiore, p.126. §. Sacra.

De decretis autem S. Mem. Clementis VIII. plura ad receptionem: & institutionem Novitiorum statuentibus, quid in tali casu dicendum sit, plurimum inter se Doctores differunt; Sacra autem Congregatio nullam novam per hæc decreta induci formam concludit, ibid. circa med.

Quampluries etiam hac de re Resolutiones ejusdem Sac. Congr. adnotantur, in p.126. § At reveta, quibus etiam consona est altera admissa, in p.149. & seq. in causa Pampilonen.

Novitiæ Monialium S. Ursulæ nisi decimo sexto ætatis anno præterlapso in quo jam biennium probationis integre confecerint, sollemnia professionis vota emittere vetantur, pag.73. §. Deinceps in fine.

Observatur autem, quod hæc vetatio in fine literarum Summi Pontificis Pauli V. apposita, non quamlibet Constitutionum partem afficiat, sed potius earum cujusque naturam famuletur, ibid. §. Episopus.

Nullitatis professionis instantias ex capite nullitatis filiationis censuit Sc. Cong. non esse admittendas; immo & supersedendum esse in confectione processuum si qui forte incœpti essent super nullitate professionis ex dicto capite, p.125. §. Ad filiationis.

O

OBlationes, quæ fiunt cuipiam imagini extra limites alicujus Paræciæ existenti debent immediate administrari ab Episcopo; quemadmodum Parochus libere potest disponere de illis quæ fiunt in locis suæ Pareciæ, pag.38. §. Sane circa med.

Oblationes, quæ fiunt in propriis Ecclesiis libere administrare possunt non solum Rectores verum etiam Clerici Ecclesiam in titulum obtinentes, piæ Confraternitates, sive Congregationes laicorum, licet istę minori gaudeant, quam Rectores, potestate, ibidem §. Quin immo.

Onus Rectoris cujuscumque Ecclesiæ, est, deputare Cappellanos, aliosque Ministros in propria Ecclesia, sicuti pariter eidem competit administratio omnium oblationum quæ fiunt in d. Ecclesia, excluso etiam Parocho, pag.37. cum seq. §. Utrumque, & §. Sicuti.

Secus autem quando intercesserit favore Parochi decennalis præscriptio, pag.38. §. Sane in fine.

Ordinarius potest concedere alicui licentiam construendi Sepulchrum pro se, & familia. Regularibus autem ex privilegio tributū est, ut illud in suis Cappellis & Cœmeteriis (nisi peculiari Constitutione prohibeantur) concedere queant; dummodo reapse sepulchrum a petente ædificetur, pag.89. §. Altera est.

Si tamen ageretur de concessione Sepulchri in Cappella jam constructi, sive de privativo ejus usu tunc præter legitimum concedentis consensum, Apostolico quoque beneplacito opus est. ibid.

Ordinarius spreta quacumque Curiæ Metropolitanæ inhibitione potest impune contra violatores Episcopalis jurisdictionis procedere, pag.87. §. De his autem.

Ordinatio eorum qui furtim sese intruserint ordinationi, quando Episcopus ante illam protestatus est se non habere intentionem iis sese ita intrudentibus ordines conferendi, an sit irrita, non una est DD. sententia, pag.96. §. Frequens in princip.

Putant nempe alii eos sic ordinatos non recipere characterem ex defectu intentionis Ministri, ibid. in princ.

Alii vero contrariam tenent sententiam, quia generali intentioni, quam habebat, declaravitque Episcopus de non ordinandis furtim accedentibus, prævaleat subsequens particularis intentio conferendi ordinem tali homini qui coram ipso in eum finem se sistit, ibidem circa med.

Ex his tamen nonnulli monent eumdem Episcopum, si fieri queat, explorandum esse qua mente fuerit, dum ordines contulit, sique posthac non levis supersit occasio dubitandi de valore ordinationis, eam inquiunt sub conditione iterandam esse ibidem.

Distinguunt præterea aliqui advertendum esse num Episcopi protestatio fuerit generaliter in quoscumque furtim se intrudentes edita, ac per Fiscalem promulgata; hanc enim dicunt ad terrorem potius, quam ad alium finem censeri debere factam: Secus vero si ea fuerit in peculiarem aliquam Personam ab ipsomet Præsule directa, tunc enim gravius de collatorum ordinum validitate ambigendum fore opinantur, ibid. in fin.

Sacra quoque Congregatio in caussa Ugentina Ordinum jussit ordines tali modo susceptos ab Episcopo Ugentino a Fr. Bonaventura a Ruffano Clerico Ordinis Cappuccinorum previam post pęnitentiam salutarem per Superiores Ordinis eidem Fratri imponendam reiterandos esse sub conditione, pag.96. cum seq.

Pa-

P

ciis

ciis seu locis eam potuisse induci generalem consuetudinem a singulari unius tantum, aut alterius Ecclesiæ præscriptione distinctam, juxta quam teneatur Episcopus pastoralem Visitationem ita gratis explere, ut nihil omnino queat Procurationis nomine a visitatis accipere, decrevit Tridentina Synodus, ibididem §. Quid vero.

De præscriptione quoque quæ ab aliqua particulari Ecclesia alligetur, statutum est per textum, ibidem.

Gravior similiter est dubitatio de prescriptione immemorabili, quam multi contra procurationem valere sentiunt; licet alii probent Procurationem debitam ratione Visitationis non esse a subdito prescriptibilem; quum contra Procurationem quæ ratione Visitationis debetur, præscribi nequeat, quemadmodum nec contra Visitationem, ibidem §. Gravior.

Hæc autem præscriptio adversus Procurationem solvendam num satis probetur ex eo, quod visitati numquam Procurationem persolverint, vel potius necesse sit petitam fuisse Procurationem, & visitatos detrectasse illam solvere, atque ita rem per longum tempus quiete mansisse: vide Doctores, & Decreta S. hujus Cong. relat in pag. 104. per totam seq.

Professio quæcumque valida est etiamsi facta contra expressam Constitutionum Ordinis legem, nisi lex ipsa confirmata fuerit ab Apostolica Sede in forma ut ajunt specifica, & nullitatis pœnam expresse indixerit, pag. 125. §. Quoniam.

Professionis vota sollemnia emittere vetantur Novitiæ Monialium S. Ursulæ, nisi decimo sexto ætatis anno præterlapso, in quo jam biennium probationis integre confecerint, pag. 73. §. Deinceps.

Observatur autem, quod hæc vetatio in fine literarum Summi Pontificis Pauli V. apposita non quamlibet Constitutionum partem afficiat, sed potius earum cujusque naturam famuletur ex iis quæ adnotantur, Ibid. §. Episcopus.

Q

Quantitas Eleemosynæ pro unaquaque missa tradenda est juxta communem consuetudinem cujuscumque diæcesis, vel juxta legem in synodo præscrptam, vel demum juxta Episcopi decretum, pag. 5. §. De quantitate circa finem.

R

Rectori cujuscumque Ecclesiæ pertinet deputare Cappellanos, aliosque ministros in sua Ecclesia, quæ facultas prima scilicet, ac præcipua est in jure suæ administrationis, pag. 57. §. Utrumque.

Sicuti pariter eidem omnino pertinet administratio oblationum quæ in sua Ecclesia fiunt excluso etiam Parocho, p. 57. cum seq. §. Sicuti.

Adde etiam hoc jus recipiendi, administrandive oblationes quæ fiunt in propriis Ecclesiis, ex generali consuetudine præsertim Italiæ non solum Clericis Ecclesiam in titulum habentibus, verum & piis Confraternitatibus, sive Congregationibus laicorũ licet minori potius quam dicti Rectores gaudeant potestate, libere conceditur, pag. 58. § Quin imo.

Hoc autem procedere videtur in Ecclesia, quę ex Abbatia Regulari in Secularem statum per Apostolicas literas redacta, eique Abbas Commendatarius fuerit præpositus, tunc enim, sicut & antea fuerit, ab Episcopi jurisdictione manet exempta, ibid. §. Ad hæc.

Reductio oneris Sarorum in occasione diminutæ hæreditatis si petatur ante exequutionem dicti oneris, concedenda est pro rata eleemosynæ quæ debetur pro Missa perpetua juxta morem regionis.

Si vero jam agnito, & impleto dicto onere diminutio sortis contingat, dictum onus redigendum est servata proportione eleemosynæ manualis, pag. 150. §. Quod si.

Regularibus ex privilegio tributum est ut licentiam construendi sepulchri in suis Cappellis, & Cœmeteriis concedere queant secularibus; nisi tamen peculiari Ordinis constitutione vetentur, & dummodo reapse sepulchrum a petente ædificetur, pag 89 §. Altera est.

Si tamen ageretur de concessione sepulchri in Cappella jam constructi, sive de privativo ejus usu, tunc præter legitimum concedentis consensum, Apostolico quoque Beneplacito opus est, ibid.

Residentia personalis quibus verbis præfigatur adnotatum est in pag. 135. §. Rationes circa medium.

Restitutio in integrum adversus religiosam Professionem vi metuque emissam tunc magis concedi debet, quando physica illorum attestatio adsit, qui talem metum incusserunt, pag 141. & seq. §. Neapolitana in fine.

Et præcipue quando de paternis minis agitur, ibidem.

S

Sacerdotibus ne quid minus eleemosyna taxata pro missis celebrandis recipiant num possit vetare Episcopus, varia opinio Doctorum est; affirmativa autem sententia placet S. Congregationi ut videtur in pag. 5. §. Num vero.

Sepultura pro filio impubere eligi potest a Patre etiam extra propriam Parochiam, dummodo id ferat loci consuetudo, p. 89. §. Tertia est.

Quæ autem consuetudo requiratur, concors non est Doctorum sententia: aliqui enim quadragenariam, alii decennalem sufficere ajunt, ibidem.

Hanc vero facultatem competere patri post obitum filii negat Emus Petra, ibid.

Sepulturę spontanea electio permissa est omnibus Christifidelibus absque ullo discrimine sexus gradus & conditionis tam in propria Parochiali

li

T

V

INDEX

INDEX
RESOLUTIONUM,
ANNI MDCCXLIII.

A

B

C

nam Constitutionis S. Pii V. incipient. *in conferend.* per Apostolicas literas concessa fuerat Sacerdoti Cammillo Paschali, non sustineri rescripsit Sac. Cong. ex eo quod dictæ literæ obreptionis vitio laborarent, imo in dicendum esse alterum concursum pro nova collatione, in Valven Parochialis 4. Maii pag.47.

Collegii Parochorum erectio in Civitate Ariminen. facienda juxta minutam Decretorum, & Constitutionum ab Episcopo confectam, concessa fuit a Sac. Concilii Congreg.; addito tamen, quod per hujusmodi erectionem singuli Parochi non eximerentur a consuetis oneribus, & obsequiis erga Cathedralem, in Ariminen. erectionis Collegii 30. Mart. p.44. ad seq.

Concionatores nominati ab Universitate, sive communitate Feretrana tam tempore Adventus, quam Quadragesimæ tenentur recipere ab Episcopo approbationem, & literas patentes in quibus fiat expressa mentio talis nominationis, in Feretrana Concionatoris 3. Aug. ad I. & II. Dub. pag.92. cum seq.

An autem dictus Episcopus legitime instituerit processum ob omissas conciones tempore Adventus præteriti, illumque valeret prosequi usque ad terminationem utendo censuris &c., & an licite potuerit appellari ad Metropolitanum Urbini, seu potius sustinerentur acta ab eo hactenus facta, cum expostularetur Sacr. Cong. respondit ad mentem, ibid. ad III, & IV. Dub.

Censuras vero ab eodem latas hac occasione contra Ubaldum Paulini non sustineri declaratum fuit, ibid. ad V. Dub.

Concordia inita inter Decanum ex una, & Capitulum S. Petri Civitatis Leodiensis ex altera ad extinctionem litium, & ad utilitatem piæ fundationis pluries confirmata fuit; novissime vero pro meliori partium quiete jussus fuit Diœcesanus ut curaret easdem partes devenire ad meliorem concordiam, in Leodien. Concordiæ 12. Jan. pag.2.

Concordiam initam anno 1754. Litterensem inter Episcopum, ejusque oppidi, sive Ecclesiæ S. Mariæ, quæ ibidem extat Archipresbyterum circa collationem Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Beneficiorum, esse servandam pluries statutum fuit, & tandem, in alia Litteren. Concordiæ 13. Jul. pag.79.

Concursus pro Parochiali Ecclesia concedenda rite, ac semel admissus, etiamsi a dicto concursu rejectus fuerit alter Sacerdos ab Episcopali inquisitione notatus, qui postea ab affictis criminibus se reddat immunem, ob talem rejectionem non potest amplius reiterari, in Triventina concursus 30. Mart. p.42. & seq.

Constructionem novæ Ecclesiæ Parochialis Terræ Jovii Amerinen. Diœcef. in quam ex beneplacito Apostolico permissum fuit erogari summam quæ debebatur Montibus Frumentariis &c. statuit S. Cong. esse exequendam etiam quoad omnes alios Montes Frumentarios spectantes Communitati prædictæ Terræ, juxta arbitrium Episcopi, quæ jus exequutioni sedulo incumberet, invigilando præsertim ne in constructione Ecclesiæ fierent ornatus superflui, & pro ejusdem Ecclesiæ tutiori, ac celeriori absolutione (quatenus opus esset) procederet etiam prout de jure ad formam resolutionis editæ an.1707., in Amerina 26. Jan. pag.16. ad seq.

Converso Congregationis Casinensis cui anno superiore denegata fuerat egressio a Religione ad effectum suscipiendi Sacros Ordines, addita testificatione Vicarii Generalis de capacitate ad Ordines suscipiendos, aliisque superadditis circumstantiis prævio recessu a decisis conceditur petita egressio, in Mediolanen. 14. Dec. pag.145. cum seq.

D

Decreta facta per Ordinarium Firmanum in ultima Visitatione Collegiatæ S. Bartolomæi Murri Vallium super reformatione tabellæ Missarum solemnium, & diminutione punctaturarum Mansionariis, & Clericis non adsistentibus eisdem Missis, & Vesperis, nec non suppletionis dictarum punctaturarum ex redditibus Sacristiæ quoad Clericos ad Sacros Ordines non promotos, nulla existimata fuerunt, in Firmana 22. Jun p.68. ad seq.

Decretum latum anno 1653. a Curia Episcopali Carpentoractensi super administratione Sacramentorum præstanda a Vicariis Ecclesiæ Carumbi, Incolis in Prioratu S. Hyppoliti commorantibus, & respective super perceptione omnium emolumentorum libere ad dictos Vicarios spectante, quod olim non esse servandum præscripserat Sac. Cong., in Carpentoracten 26. Januar. præterit.: denuò prævio recessu a decisis sustineri mandavit, in d Carpentoracten.24. Aug. p.100 & seq. Imo & jussus fuit Canonicus Sacrista d. Prioratus S. Hyppoliti Possessor, ut solveret Parocho Carumbi pecuniarum summam expendi solitam in prandium, seu refectiones juxta taxam per Emum Præfectum ordinandam, ibidem.

Deputatio Cappellanorum, & Heremitarum pro servitio Ecclesiæ S. Mariæ de Popsis Hjeracen. Diœcesis, nec non etiam Administratoris eleemosynarum, & oblationum quæ fieri solerent in eadem Ecclesia, commissa omnino fuit ad illius Abbatem sub obligatione tamen reddendi rationem Episcopo, a quo similiter visitari posset sæpedicta Ecclesia jure saltem delegato, & quoties illi visum fuerit expedire in Hieracen. 30. Mart. pag 41.

Devolutioni Ecclesiæ Parochialis Castri Hylaris, quæ oppugnabatur a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Pentimæ, non esse locum: imo & procedendum esse ad ulteriora in convocatione concursus, jussit Sac. Congreg., in Valven. Parochialis 16. Mart pag.36.

Dismembratio Parochialis Ecclesiæ S. Martini loci Bironcini, & respective erectio Ecclesiæ Spiritus Sancti in novam Parochialem, scilicet caus-

E

Erectio Collegii Parochorum Civitatis Ariminen. juxta minutam Decretorum, & Constitutionum ab Episcopo confectam, confirmata fuit a Sac. Congreg.; addito tamen quod per hujusmodi erectionem singuli Parochi non eximerentur a consuetis oneribus, & obsequiis erga Cathedralem, in Ariminen erectionis Collegii 30. Mart. p.44. ad seq.

Erectionem Vicariæ perpetuæ, sive adsertæ Curatiæ in Vverbergi Monte Diæcesis Brixinen. cui esse locum alias rescripserat S.Cong novissime etiam hoc idem confirmavit, dummodo tamen servata in provisionibus forma concursus ad liberam Episcopi collationem spectaret, in Brixinen erectionis Vicariæ perpetuæ 22. Jun. pag.67. cum seq.

Exemptio ab Episcopali jurisdictione denegata fuit Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Juvenacensis, in Juvenacen. 30. Mart. pag.41. ad V. Dub.

Sed versa vice eisdem concessa fuit electio proprii Procuratoris ex numero Canonicorum, non vero Presbyterorum participantium nominandi, qui tamen legitimæ electus non perfungeretur nomine Prioris, licet hoc ex peculiari d. Ecclesiæ Cathedralis statuto permitteretur, in Juvenacen. decretorum 30. Martii pag.41. ad II., & III. Dub.

Electio autem alterius Procuratoris, seu Administratoris spoliorum bon. mem. Episcopi Chyurliæ commissa fuit moderno Episcopo cum scientia tamen, & consilio dicti Capituli; sicuti etiam applicatio dictorum spoliorum facienda non in honorarium Concionatoris, aut stipendium Cappellani pro tempore Ecclesiæ SSmi Crucifixi, sed in usum Fabricæ dictæ Cathedralis ad formam Constitutionum Apostolicarum, ibid a IV. usque ad VII. Dub.

Exceptionem a mediæ annatæ solutione, quam oppugnabat Sacerdos Tomassinns possessor cujusdam mansionariæ de novo erectæ in Ecclesia Cathedrali Forosempronien. non approbavit Sac. Congreg., in Forosempronien. mediæ annatæ 18. Maii pag.56.

H

HÆreditas Joannis Laurentii del Signore condemnata fuit ad reintegrationem legati pii dispositi a Petro del Signore in sorte scutorum 100. una cum damnis, & interesse, reservatis juribus contra Depositarium, in Viterbien. legati pii 28. Sept. p.20. cum seq.

Pro hac vero reintegratione facienda, non esse subrogandum alterum legatum pium a d. Joanne Laurentio in propriæ animæ suffragium relictum, ibid. ad II. Dnb.

I

IMpedimenta consanguinitatis, seu affinitatis lata ad effectum impediendi Matrimonium inter Carolum Ulmi, & Hieronymam de Ghilianis non sustineri declaravit Sac.Cong., in Bobien. Matrimonii 16 Feb. p.22. ad seq.

Indultum provisionale jam concessum per quinquennium Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Mariæ Civitatis Austriæ, sive Fori Iulii, ob vigentem deficentiam habendi Clericum Secolarem ad Bullam Bonifacii Noni præscriptum, prorogatum fuit tantum ad aliud quinquennium juxta formam præcedentis, in Aquilonen. Canonistatus 16.Feb.p.28. ad 30.

Joanni Abrohani Thaumagian, qui vota inter cœnobitas Armenos Monasterii S. Lazzari Venetiarum nuncupaverat, permissum fuit recurrere ad Sanctissimum pro petita dispensatione, in Veneta votorum 14. Dec. p.146.

L

LIteras Apostolicas, quas impetraverat Sacerdos Antonius Cardau one ad obtinendam unam ex tribus portionibus Curatis in antiqua Parecia SS. Apostolorum Petri, & Panli Sciliani Pediviliani Marturanen. Diœcesis non esse exequendas resolvit S. Cong., in Marturanen. Dismembrationis 24. Aug. pag.100.

Locationes, seu concessiones bonorum Ecclesiasticorum, quas ad vitam Canonicorum, & Portionariorum in Ecclesia Collegiata Oppidi Cryptalearum fieri compertum fuit absque Beneplacito Apostolico illicitæ, & invalidæ existimatæ fuerunt, in Tarentina Beneplaciti Apostolici 4. Maii pag.50. cum seqq ad I. Dub.

Imo nec consulendum esse Sanctissimo pro nova concessione Brevis, seu Indulti, circa locationes, vel concessiones dd bonorum absq. Beneplacito Apostolico, & authoritate Reverendissimi Archiepiscopi in posterum faciendas, sed tamen recurrendum in casibus particularibus; quoad vero hactenus factas absque prælaudato Beneplacito, pro gratia Sanationis a pœnis incursis, *in Extravag. Ambitiosæ de rebus Eccl. non alienan.*, absolvendos esse d. Canonicos, & Portionarios ad Cauthelam, ibid. ad II.III.IV. & V.Dub.

M

MAtrimonii nullitas, quæ ex vi, & metu illato prætendebatur; non confirmata fuit, in Tranen Matrimonii 4. Maii p.47.

Missarum celebrationem adimplendam in Parochiali Ecclesia Tiliani per Alexandrum Arcella, & Ignatium Seraphinum aliarum plurium Missarum onere gravatos, ex loci consuetudine posse committi Sacerdotibus etiam exteris sibi benevisis soluta tamen illis eleemosyna juxta decretum Episcopi definitum fuit, in Alexanen celebrationis Missarum 26. Jan. pag.9.

Missas certa in Ecclesia celebrandas a Testatore relictas non posse ad libitum hæredum alibi celebrari pluries respondit Sac.Cong., & tandem

R

Reductio oneris Missarum quam expostulabant Canonici ex Capitulo Lucatelli Ecclesiæ Cathedralis Senogallien adversus Decretum defuncti Episcopi, attenta tenuitate redditum, non denegata fuit, in Senogallien. reductionis Missarum 23. Nov. pag.132.

Regularis qualitas obstavit Fr. Dominico Antonio Lupi minori Conventuali ne succederet in Cappellaniis erectis a Pompejo Mariotti in Civitate Recineti; neque eidem concedendam esse dispensationem a quocumque Regularis sui status obstaculo rescripsit Sac.Cong., in Recineten Cappellaniæ 22. Jun. pag.75. ad seq.

Restitutio in integrum concessa fuit Religioso professo apud Carmelitas strictioris observantiæ, scilicet implorata, quod pluries ad suscipiendum religiosum habitum variis actibus allect s, & ad solemnia professionis vota nuncupanda sexto supra decimum ætatis suæ anno nedum præterlapso compulsus fuisset, in Posnanien. restitutionis in integrum 14. Dec. pag.145.

Restitutionem in integrum adversus religiosam professionem per vim, & metum initam elargita fuit S. Cong., in Lisbonen. restitutionis in integrum 24. Aug. pag.100.

Restitutionem in integrum obtinuit Commissus, & deinde Professus in Monasterio discalceatorum Ordinis S. Augustini adversus professionem ex tribus capitibus invalide emissam, scilicet ex vi, & metu a Patre illato, & ante debitam, & constitutionibus præstitutam ætatem professione, & demum ex perpetuo corporis vitio, quo continue afficiebatur, in Neapolit. restitutionis in Integrum 23. Nov. pag.141.

Restitutionem in integrum, quam expostulabat Jacobus Antonius Ferrati professus Ordinis Minorum Coventualium, adversus solemnia professionis vota veluti a se nuncupata contra expressam Constitutionum d. Ordinis legem noluit concedere Sac. Congregatio, in Gratianopolitana restitutionis in integrum 28. Sept. pag.124. & seqq.

Restitutioni in integrum favore Fratris Philippi del Sole in seculo Johannes nuncupati ad invalidandam ob epilepticum morbum solemnem professionem in Conventu S. Laurentii Ordinis Min. Conventualium emissam non esse locum pluries resolutum fuit, & postremo, in Neapolitana restitutionis in integrum 30. Martii pag.43. cum seq.

S

Sacerdos per Episcopalis Curiæ inquisitionem notatus, idcirco a concursu alicujus Parochialis Ecclesiæ rejectus, qui demum post dictam Parochialem Ecclesiam alteri Sacerdoti dignori elargitam a criminibus impictis se vindicet, nullitatem concursus ob sui expulsionem non potest prætendere, in Triventina concursus 30. Mart. pag.42. cum seq.

Sacerdos Zunicga, qui illicite ordinatus fuit cum dimissoriis Magni Prioris Religionis Hierosolymitanæ Regni Castellæ, seu Commendatarii de Acre, & respective incursit suspensionem ob non servatam formam Bullæ Speculatores, quique preces suas denuo repetere jussus, tandem absolutus est ad cauthelam, in Gadicen. seu Hispalen. ordinationis 13. Jul. pag.80.

Sententiæ Nunciorum Apostolicorum ad Tractum Rheni prolatæ ad augendum divinum Cultum, reintegrandamq insignem Collegiatam Ecclesiam S. Dyonisii Civitatis Leodii an essent exequendæ cum disceptaretur, rescriptum fuit: procedendum esse ad exequutionem sententiarum in iis partibus, demandatur in posterum observantia ordinationum cl. me. Cardinalis Bussi, & Episcopus auctoritate Sac. Cong. incumbat ulteriori earum exequutioni. In reliquis prævia sanatione alienationum factarum ex peculiaribus circumstantiis, partes acquiescant facto verbo cum Sanctissimo, in Leodien. 18. Maii p.58. cum seq.

Sepulturę electionem expletam à Patre pro Filio impubere non sustineri resolvit Sac.Congreg. prohibita tamen exhumatione Cadaveris, ibid. ad V. Dub.

Sepulturæ electionem factam in Ecclesia Religiosorum ipsis suadentibus, & intercedentibus, quamvis ante obitum non revocatam, revocavit S. Cong., in Alexanen. funerum 3. Aug. pag.93. ad I. VI. & VII. Dub.

Solutio mediæ annatæ a qua se exemptum fatebatur Sacerdos Thomalsinus possessor cujusdam Mansionariæ de novo erectæ in Ecclesia Cathedrali Forosempronien. confirmata fuit, in Forosempronien mediæ annatæ 18. Maii pag.56.

Sponsalia valida esse inter nobilem Virginem Lauram Montaniam, & Franciscum Gabuccinium Equitem Hierosolymitanum, & coactioni esse locum deliberatum fuit, in Fanen, seu Pisauren. sponsalium 14. Decem. pag 152.

T


Translatio Cappellaniæ ordinatæ a quondam Margherita de Corradis in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Oppidi Tarani Sabinen. Diœces. permissa fuit arbitrio Eminentissimi Episcopi: dummodo tamen eidem ipsi constaret de restauratione Cappellæ in qua d Missarum celebratio fieri debebat; de sufficientia SS. supellectilium in illa, & tandem de securitate in adimplendis oneribus relictis: addito etiam quod jus nominandi Cappellanum tam pro celebratione Missarum supradictæ Cappellaniæ, quam alterius Legati relicti ab Orinthia &c. competeret Antonio Rodulphi veluti unicus ex hæredibus Testa-

INDEX
Titulorum Causarum omnium,
Quæ anno 1744. in Sacra Congregatione Concilii fuerunt propositæ.

Misnen.

Dic

Die Sabbathi 11. Januarii 1744.



UM in Congregatione habita die 14. Decembris anni nuper transacti quatuor, quæ sequuntur Causæ propositæ non fuerint, rogantur Eminentissimi Patres, ut ad eas, quæ nunc proponuntur, definiendas folium illius Congregationis iterum inspicere non graventur.

VITERBIEN. CAPPELLANIÆ. In quo duo dubia disputantur. *Sess. 22. Dec. de obser. & evit. in celebr. Miss.*

I. An attenta notabili diminutione hæreditatis Fundatricis deveniri debeat ad erectionem Cappellaniæ cum reductione oneris Missarum, & in qua quantitate, & quomodo in casu &c.

II. An pro expensis hujus litis sint erogandi fructus interim decursi Capitalis Cappellaniæ adhuc non erectæ in casu &c.

Ad I. Affirmative ad rationem perpetuæ. Ad II. Affirmative, & ad D. Secretarium pro taxatione.

PLOCEN. NULLITATIS MATRIMONII. In qua quæritur. *Sess. 24. Doct. de Sac. Mat.*

An sit locus dissolutioni Matrimonii in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes.

PISAUREN. In qua cognoscendum est. *Sess. 21. c. 4. 5. de ref.*

An sit locus unioni, & respective dismembrationi in casu &c.

Negative, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

NULLIUS S. MARCI IN LAMIS PAROCHIALIS. In qua tria dubia definienda sunt. *Sess. 24. c. 10. & cap. 11. de Reform.*

I. An decretum Vicarii Abbatialis super asserta reintegratione Sacerdotis Cruciani de Carolis substineatur in casu &c.

II. An Parochia Sancti Antonii Abbatis, & cura animarum ejusdem pertineat ad Sacerdotem Leonardum Calvitto in casu &c.? *& quatenus negative.*

III. An dictus Sacerdos Crucianus teneatur restituere fructus, & alia emolumenta Parochialia indebite percepta Parocho Leonardo Calvitto in casu &c.

Ad Primum Negative. Ad Secundum, & Tertium Affirmative, & amplius.

Sess.24.cap.1. de ref. Matr.

NEAPOLITANA SPONSALIUM. Imperio Sacri hujus Senatus hæc causa proponitur: nam in Congregatione habita die 23 Novembris anni nuper transacti jussum est, *ut proponeretur omnino in prima post proximam etiam unica*. Igitur cum nec Dux Balthaxar Coscia, nec Aurora Michaelia nova jura hactenus ediderint, poterunt Eminentissimi Patres Folium Congregationis habitæ die 24. Augusti, qua primum Causa isthæc proposita fuit, iterum inspicere, ut definiant.

An constet de Sponsalibus, quæ veniant exequenda in casu &c.

Negative.

Sess.24. C.14. de Ref.

VERULANA PORTIONUM CANONICALIUM, ET ELECTIONIS CELLERARII. Duæ, quæ nunc in quæstionem veniunt in Insigni Collegiata Ecclesia S.Erasmi, quæ Verulis est, consuetudines adesse dicuntur: altera distributionem respicit Canonicalium portionum: altera vero munus Cellerarii, seu ut inquiunt Cellerarii: Portionum distributio ita fit: Periti fructus æstimant singulis annis: Canonicus, qui id muneris habet in tot æquales partes fructus a Peritis æstimatos dividit, factaque divisione senior Canonicus, inde gradatim omnes, portionem suam eligunt. Cellerarii munus, quod nulli gratum est, fugiunt omnes, ex diuturna, ut contendunt consuetudine, qua licet cuilibet Canonico a Capitulo electo ingrato muneri renunciare: hinc orta lis inter Canonicos, petentibus Paulinio, Cippitellio, Fornella, aliisque Canonicis junioribus contra Abbatem,aliosque Canonicos seniores fructus omnes in unam Massam redigi, portiones æquales fieri, & sorte, atque urna unicuique portionem suam tribui: Cellerarii vero munus per Turnum deinceps esse cuilibet injungendum, nec posse dimitti, & renunciari.

Rationes juniorum Canonicorum sunt, quod æstimatio illa fructuum, quæ a Peritis fit, & peræquatio illa portionum, quæ fit a Canonico, non respondet veræ quantitati fructuum, qui percipiuntur, Seniores enim Canonici non statim eligunt, sed cum eis lubet; hinc est ut meliorem semper pinguiorumque partem senior eligat, atque ita alii gradatim; nam & periti falluntur quandoq; cum aliud sit maturos fructus æstimare, aliud vero immaturos, & vis tempestatum, & furta in causa sint, ut quæ initio, & æstimationis tempore æqualis partitio videbatur, fiat inde inæqualis, atque hinc jurgia, & dissidia inter juniores, senioresque Canonicos, quæ non alia ratione componi, & comprimi debeant, nisi collatis in unam massam, unumque acervum fructibus omnibus, ut inde æqua fiat inter omnes distributio per sortem, ut docuit *Moneta de distr.* c.1. q.1. n.10. *&* S. *Rota dec.*115. *n.*20. *p.*6. *rec. & dec.*384. *n.*20. *par.*12.

Munus demum Cellerarii a quolibet per Turnum esse exercendum, nec posse quemquam ab eo munere excusari respondisse dicitur S. hunc Senatum *in Conversana Officiorum Capituli die* 19. *Nov.* 1729. Atque hæc juniores Canonici. Judicium Episcopi iis favet, qui utramque consuetudinem damnat, exemplo Canonicorum Cathedralis suæ, quos inter cum idem in distribuendis portionibus obrepsisset abusus anno 1694. ab hoc S. Senatu decretum fuit, ut inde portiones Capitulares sorte distribuerentur.

Ex his, quæ ab junioribus tantum Canonicis proponuntur, quatuor, quæ sequuntur Dubia definienda sunt.

I. An sit servanda prætensa consuetudo quoad divisionem, & distributionem portionum Canonicalium, *& quatenus negative*.

II. An nova sit introducenda methodus, & quomodo in casu &c.

III. An

III. An sit servanda prætensa consuetudo quoad electionem Cellerarii, & *quatenus negative*.

IV. An nova sit introducenda methodus, & quomodo in casu &c.

Dilata, & proponatur in sequenti.

PISAUREN. Perpetuo Legato sex sacrorum singulis hebdomadis agendorum filios, hæredesque suos Testamento onerasse ferunt Petrum Cataneum, ferunt inquam, nam Testamentum, ut Episcopus retulit, diligenti licet habita inquisitione, non reperitur: Impleverunt tamen piam Testatoris voluntatem filii, primique hæredes Catanei, sed Joannes Jacobus, & Julianus Catanei secundi hæredes die 27. Martii 1627. facta solutione aureorum 250. monetæ Romanæ, Ducalis vero 375. Patribus S. Bartholomæi Apostoli Montis Imperialis Pisauri Congregationis Beati Petri de Pisis, onus illud perpetuum sacrorum in eosdem Patres, eorumque Monasterium transtulerunt, eamque summam Patres illi erogandam voluerunt in emptionem tot censuum, quorum usuras, redditusque perpetuo oneri sex sacrorum singulis hebdomadis operandorum obnoxios esse debere iidem Patres responderunt *Sess. 25. c. 4. de ref.*

Emptus fuit his pecuniis Census a Patribus, qui deinde, ut fieri solet, debitore censum redimente, in alios census novatus fuit ad annum usque 1639., & exactæ fuerunt a Patribus illorum usuræ, ut constat ex diligenti partitarum extractione e libris Monasterii, quæ auctoritate Episcopi facta est a publico Tabellione *citatis interesse habentibus*, ut ab hoc Sacro Senatu decretum fuerat die 1. Augusti 1739., post illum annum 1639. cum desit liber, impossibile est rescire, an in alios census iterum census ille novatus fuerit, licet in aliis libris Monasterii alii census descripti sint. Patres tamen anno 1647 ab hoc Sacro Tribunali rogarunt, ut onus illud sacrorum (qua de causa ignoratur) minueret, placuitque Eminentissimis Patribus die 16 Martii ejusdem anni „ petitionem hanc (Decreti verba sunt) ad Patrem Ge„ neralem Ordinis remittere, qui supradicta Missarum onera celebranda„ rum ad rationem quadraginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet „ Missa perpetua quotidiana pro suo arbitrio, & conscientia moderetur, „ atque reducat. Pater autem Generalis utens facultate, & arbitrio ei dato onus minuit ad duo sacra singulis hebdomadis, & ad aliud sacrum quolibet mense.

Diu res sese bene habuerunt: Turbavit demum omnia Fiscus Fabricæ, qui die 21. Junii anni 1719. in jus vocavit coram Commissario Pisaurensi Carolum Cataneum hæredem mediatum Petri Testatoris, ut monstraret implementum aliorum quatuor sacrorum singulis hebdomadis, quæ per intervallum annorum 72. acta non fuerant: Ille Patres Sancti Bartholomæi in jus vocavit, ut eum defenderent, & a molestiis, quæ inferebantur, liberarent: hi exceperunt contra Fiscum Fabricæ de oneris sacrorum deminutione facta auctoritate Sacri hujus Senatus: sed Judex ille, spreta exceptione Patrum, Carolum Cataneum damnavit ad solvenda sc.1100. pro eleemosyna sacrorum, quæ facta non fuerant juxta piam Testatoris dispositionem. Appellante Carolo Judex Fabricæ ab eo aditus sententiam a Commissario latam confirmavit, servatis tantum juribus contra Patres Sancti Bartholomæi favore Caroli Catanei, qui cum sacram Fabricæ Congregationem adiisset, bis rejectus fuit, atque ob id satius duxit *compositionem* petere cum cessione jurium, eamque obtinuit solutis sc.200., habitaque cessione jurium integræ summæ scut.1100. contra quascumque alias Personas, & Loca Pia.

Siluit tunc Cataneus, sed anno 1732. adito Judice Fabricæ petiit contra Patres S. Bartholomæi redintegrationem, emendationemque damni pari solutione sc.200., & absolutionem ab onere perpetuo aliorum quatuor sacrorum: sed Patres anno 1733. Auditorem Sanctissimi adierunt, cui placuit respondere „ quoad prætensam absolutionem in futurum ad Sacram Con„gregationem Concilii, in reliquis ad Reverendam Fabricam „: Ideoque prosequuta lite coram Judice Fabricæ, hic decrevit redintegrandum esse a Patribus Cataneum de sc.200. Fabricæ solutis; Patribus autem appellantibus controversia tandem transactione sopita est, quæ acta fuit die 18. Aprilis anni 1736.

Nunc igitur ab hoc Sacro Senatu cognoscendum est de absolutione ab onere perpetuo quatuor sacrorum singulis hebdomadis, quam petierunt Catanei obsistentibus Patribus Sancti Bartholomæi, qui negant „ teneri ab anno „ 1733. in futurum Sacra facere, *& si teneantur* obstringi tantum posse „ juxta deminutionem, quam obtinuerunt ab hac Sacra Congregatione „ anno 1647. *non vero* juxta dispositionem Petri Catanei, *sed* damnandos „ esse illius hæredes ad supplementum, quod deest eleemosynæ Sacrorum, „ quæ agi voluit Testator.

Urgent Patres S. Bartholomæi nullitatem contractus gesti anno 1627. cum Fratribus Cataneis, quo acceptis sc.375. monetæ Ducalis, quæ faciunt sc.250. monetæ Romanæ onus sex Sacrorum singulis hebdomadis in perpetuum agendorum susceperunt, nam cum ex usuris, & redditibus censuum, in quos erogari pecunia illa debebat, & erogata fuit, annua tantum sc.22. 50., quæ inde etiam deminuta fuerunt, percipi eo tempore possent, hæc autem summa annua sc.22. 50. non responderet eleemosynæ sex Sacrorum singulis hebdomadis agendorum, quæ juxta Concilii Diœcesani sanctionem, si perpetuum onus sit, minor esse non potest *Julio Romano*, consequitur nullum fuisse contractum, qui lædebat Monasterium, a quo hoc onus suscipi non poterat, quod maximum inferebat detrimentum sine legitimo assensu Apostolico, cum cognitissimum sit in obligationibus, quæ causam habent perpetuam sine causa, & utilitate nullam esse piis locis contrahendi facultatem, ut late tradunt *Card. de Luca de alienat. disc.*1. *n.*7. *& Monacell. in formul. leg. tit.*14. *form.*2. *n.*1.

Nullitati contractus accedit defectus rei, seu fundi, qui hypotheca oneris suscepti afficiatur, nam cum inter Patres, & Cataneos Fratres conventum fuerit, ut pecuniæ solutæ in emptionem tot censuum erogarentur, e quorum usuris onus perpetuum sex Sacrorum singulis hebdomadis impleretur, constet autem inspectis Monasterii libris ab anno 1639. Census hosce defectos esse, defectus vero extra Patrum culpam, & negligentiam evenire potuerit, sive inopia debitorum, sive perempto, aut evicto fundo censito, sive furto subtracta pecunia censuali, sive qua alia Causa, quæ fuga centum, & qui excurrunt, annorum, melior præsumi possit, conficitur defectu census, & fundi censiti deficere obligationem, quam Patres susceperunt ratione usurarum, & redditunm, qui percipi possent ex illo censu, ut tradunt *Fraxinell. de obligat. Sacerd. sect.*4. *num.*27. *& Tamburrin. de stipend. Miss. cap.*1. *lib.*3. §.3. *n.*89.

Atque hæc Patres, ut monstrent non teneri ab anno 1733. in futurum Sacra facere; quod si aliud placeat Eminentissimis Patribus, intendunt obstringi non posse ad omnia Sacra agenda juxta dispositionem Petri Catanei Testatoris, sed tantum juxta deminutionem, quam ab hoc Sacro Tribunali obtinuerunt anno 1647. quamque omnis ratio postulat esse servandam, cum enim census peremptus non sufficeret nisi annua sc.22.50. monetæ Romanæ, & nunc, si extaret annuam tantum præstaret summam sc.10. ejusdem monetæ ad rationem sc.4. pro quolibet centenario, eleemosyna, quæ præsta-
tur

tur in causam duorum Sacrorum, quæ a Patre Generali statuta sunt, vix attingit ob decem; at si sex Sacra singulis hebdomadis facienda essent a Patribus eleemosyna illorum ad obulos quatuor monetæ Romanæ vix perveniret, quod pugnaret cum legibus Sacræ hujus Congregationis, & cum lege Concilii Diœcesani, ut si facta non fuisset deminutio, fieri nunc deberet, cum implementum oneris Sacrorum directo pendeat a redditibus Census in hanc causam contracti ex contrahentium pacto, & conventione; ut si hi redditus minuantur, minui quoque debeat onus Sacrorum susceptum, cum hoc casu dicatur Censum *stare taxative* ad implementum oneris, ut ex doctrina *Felini in cap. super literis n.4. de rescript.* tradunt *Bertacchin. Vot. decis.145. n.1. & Monacell. form. leg. vol.1. tit.10. form.19. num.21.*

Nec obesse, quod agatur de onere Sacrorum bis a Patribus agnito per contractum, primum scilicet anno 1627., inde transactione anni 1736., nam uterque actus nullus est, & apertam tam læsionem infert Monasterio, & Patribus S. Bartholomæi, cum careant *assensu Apostolico, & causa necessitatis, atque evidentis utilitatis*, quibus etsi non carerent, itaut justi, validique actus illi censendi essent, non ob id tamen neganda esset oneris suscepti deminutio: longe enim aliud est, cum agitur de onere Sacrorum, quod directo datum est in Testamento, & aliud cum agitur de onere Sacrorum, quod alteri injunctum est in contractu ab eo, ad quem ex legato spectabat illius implementum; hoc secnndo casu, in quo versamur, cum contractus respiciat exequutionem legati oneris, si qua justa causa proponatur, semper locus esse debet deminutioni, ne contractus alterum lædat, & iniquitatem habeat illatione damni, & detrimenti, ut disputant *Moneta de Decim. cap.9. num.75. Surdus decis.35. num.9. & dec.306. n.5.*, atque ex his *Ursaya discept. Eccles. vol.4. part.1. discept.18. num.22. & Sacr. Rota dec.593. n.9. cor. Card. Cerro.*

Ex his colligunt Patres, damnandos esse Cataneos Petri Testatoris hæredes ad supplendum id, quod deest eleemosynæ, quæ præstari debet pro sex Sacris agendis singulis hebdomadis in perpetuum. Constans enim est Doctorum Sententia, quæ vult deminuto redditu illo, e quo Sacrorum stipendium solvi debet, obstringi hæredes Testatoris ad supplementum, ut videre est apud *Sanchez de Matrim. lib.8. dispt.1. num.36. Vasq. de Testam. cap.8. Tamburrin. de stipend. Miss. lib.3. cap.1. §.3. num.72. & 75.*, eoque amplius in nostra specie, quod Testator nullum stipendium, nullum fundum, nullam annuam præstationem huic implendo legato adsignavit, sed ab hæredibus legavit sex Sacra perpetua singulis hebdomadis, atque ob id bona omnia illius hæreditaria, quæ a Cataneis possidentur, hypothecæ subjecta sunt, ut legatum impleatur, unde efficitur obstrictos esse hæredes ad supplendum ex reliquo hæreditatis, ut tradunt *Baldus cons.151. per tot. lib.5. Gratian. discept. cap.256. num.122. Cyriacus controvers.336. num.8. Rovit. decis.57. per tot. & Sacr. Rot. dec.488. num.6. par.19. rec.*

Hæc disputant Patres S. Bartholomæi: Fratres Catanei nondum rationes suas libello complexi sunt. Ideoque ad intimam EE. VV. Juris prudentiam pertinet tria, quæ sequuntur Dubia definire.

I. An Patres S. Bartholomæi Montis Imperialis Pisauri attenta deficientia fundi teneantur ab anno 1733. in futurum celebrare Missas pro suffragio animæ quondam Petri Catanei in casu &c.; *& quatenus affirmative.*

II. An teneantur celebrare juxta reductionem obtentam a Sacra Congregatione, vel juxta dispositionem d. quondam Petri Catanei in casu &c., *& quatenus affirmative quoad secundam partem.*

III. An

III. An teneantur hæredes dicti quondam Petri Catanei ad supplementum pro intranti quantitate eleemosynæ Missarum ordinat. a dicto quondam Petro in casu &c.

Dilata, & proponatur in sequenti.

Ir/s.25.c.5. ac res.

PRÆNESTINA SUBSIDII DOTALIS. Anno 1621. quo tempore nullum Præneste erat Virginum Monasterium, sed extruebatur prope Templum D. Andreæ, Faustina Leonardia instituto hærede Sodalitio ejusd. nominis D. Andreæ, quod nunc dicitur *Sanctiss.mi Crucifixi*, jussit, *& mandavit quod dicta Societas*, sunt ipsa Testamenti verba, a quibus pendet omnis hujusce Causæ definitio „ teneatur in omni decennio videlicet in fine „ omnium decem Annorum post mortem dictæ Testatricis monacare in Monasterio Monialium in Civitate Prænestis unam Puellam honestam de Civitate Prænestis cum dote scutorum ducentorum, & quinquaginta monetæ de Juliis decem in perpetuum de fructibus dictæ hæreditatis pro complemento ejus dotis, & donec, & quousque dictum Monasterium Monialium de Præneste non fuerit aptatum ad recipiendum dictam Monacam, „ tunc, & toto eo tempore teneatur in quolibet anno ante tempus dicti Monasterii aptati dispensare medietatem fructuum dictæ hæreditatis in nubendo aliquam pauperem, & honestam puellam.

Opus Monasterii, quod Testamenti hujus tempore fervebat, consumatum, & exactum fuit anno 1622. accepto Instituto S. Claræ, & in eo Virgines, quæ sese Deo vovebant, receptæ sunt ad annum usque 1642., quo tempore pietate, & munifientia Thaddei Barberini Præneste Principis novum Monasterium in inferiori Urbis parte a solo ædificatum fuit, translatis in novum hoc Sacris illis Virginibus, quæ in primo erant, & inscripto novo Monasterio nomine S. Mariæ Angelorum, quo nunc etiam potitur. Atque inde in veteri Monasterio, quod S. Andreæ Templo adjunctum erat, institutus fuit convictus Virginum Sanctimonialium, nomine, tituloque inscripto Sanctissimi Pueri Jesu.

Impleverunt sodales piæ Testatricis voluntatem ad annum usque 1742., quo tempore, cum eligenda esset a Sodalibus Puella, inter alias, quæ eligi petebant, duæ majori suffragiorum numero probatæ fuerunt, Maria Antonia Petrinia, & Maria Antonia Roscarellia: Vicit tamen uno calculo Roscarellia, nam Petrinia tulit suffragia 21. Roscarellia 22., quæ ob id dotem habuit, tradita quoque a Sodalibus cedula subsidii dotalis. Acta hæc sunt die 30. Novembris anni 1742. Die vero 13. Decembris, quæ Monasterio S. Mariæ Angelorum præerat Abbatissa amita Mariæ Antoniæ Petriniæ coacto sacrarum Virginum Capitulo gravi oratione disseruit, rescisse electam fuisse a sodalibus Mariam Antoniam Roscarelliam, quæ uno suffragio vicerat adversus Petriniam: voluntate Faustinæ Leonardiæ dotatam Monasterium illud suum, non vero aliud ingredi posse; violari ingressu Roscarelliæ leges, & constitutiones Monasterii ab Urbano VIII. Pontifice Maximo confirmatas, quibus vetitum est recipi Puellas, quæ aut fuerint, aut sint in alio Monasterio, quod Roscarellia Romæ esset, & servitium præstaret in Monasterio, quod vocant *Barberinarum*: decernerent igitur vellent juberent Roscarelliam recipi, vel Petriniam, quæ novem ab hinc annis in eo Monasterio erat, cujusque mores, ingenium, modestiam, honestatem perspicere potuerant, & cognoscere: Sanctimoniales illæ uno consensu suffragiis omnibus Petriniam probarunt, Roscarelliam repulerunt.

Post hæc Erancifcus Petrinius Mariæ Antoniæ pater aliam viam ingressus est:

Preces

Preces enim obtulit Sanctissimo Principi Nostro, quo postulabat filiæ huic suæ dotem hanc Motu proprio Pontificis adsignari, quod sodales transacto tempore puellam eligendi, ab electione defecissent, dataque ab Optimo Principe hujusce postulationis cognitione huic Sacro Tribunali, res ad Eminentissimum Episcopum delata fuit, qui retulit subsidium dotale legitime a Sodalibus jam collatum fuisse in Roficarelliam, cui jus quæsitum fuerat, sententiamque suam aperuit reiiciendum esse Petrinium. Non tamen animo fracta est Maria Antonia filia, sed petit ab hoc Sacro Senatu decerni, dotem sibi jure debitam esse, & Roficarelliam a subsidio dotali esse repellendam.

Rationes, quibus illa nititur, hæ sunt: In electione isthac nullum certum modum a Testatrice datum fuisse, unde efficitur satis esse suffragia dimidiam partem excessisse, ut dici possit ipsam admissam fuisse: nullam vero habendam esse rationem electionis Roficarelliæ, quæ uno tantum calculo vicit, quod hæc electio in causa caduci sit, & ob id locus esse debeat subingressioni legali favore ejusdem Petriniæ, quæ in subsidium admitti debet ad electionem substinendam, quæque nisi admitteretur, nova fieri deberet electio, quæ facienda est, cum obsistente incapacitate nominati, & electi prima nominatio, & electio absoluta non est, & consumpta, ut tradunt *Card. de Luca de dote disc.10. n.6. Titon. discept. Eccles.4. num.12. & 54. & Rota post Constant. Vot. dec.298. n.24. vol.2.*

Electionem, nominationemque Roficarelliæ caducatam esse contendit Petrinia ob illius incapacitatem obtinendi legatum dotis a pia Testatrice relictum, ejusque incapacitas educitur a repulsa, quam habuit a Monialibus Sanctæ Mariæ Angelorum; Testatrix siquidem subsidium a sodalibus honestæ Puellæ præstari voluit, ut hæc posset *se monacare in Monasterio Monialium in Civitate Prænestis*, unde consequitur, ut cum ad obtinendum subsidium hoc necesse omnino sit, & inspecta Testatricis voluntate, & consuetudine interpretativa mentis, si dubia, & obscura esset, ejusdem Testatricis, Puellam electam ingredi debere Monasterium illud, si Roficarellia, ut narratum est, rejecta a Monialibus fuit, nec potest in eo Monasterio sese Deo dedicare, electio, & nominatio inutilis efficitur, & est in causa caduci, ut locus fiat Petriniæ a Sodalibus per excessum dimidiæ partis suffragiorum admissæ, & a Sacris illis virginibus probatæ, & prælatæ.

De voluntate Testatricis nullam esse posse quæstionem, cum satis aperte eam expresserit verbis illis *monacare in Monasterio Monialium in Civitate Prænestis*, quæ faciunt, in Monasterium illud prædilectum dicatur, illique jus quæsitum sit, ita ut variari ab hac voluntate nequeat, etsi deinde in eodem loco alia extruantur Monasteria, ut placuit *Antonellio de Loco legal. lib.2. cap.11. num.1. & seqq.* Quæ eo amplius locum habeant in nostra specie, quod Roficarellia velit sese Deo offerre in novo convictu *Pueri Jesu*, cum tamen subsidia dotalia, & Monialibus præstanda sunt, profitentibus in Monasterio, ubi tria solemnia vota emittuntur, præstari nequeant Puellis profitentibus in Convictu, & Conservatorio, ut ex sententia Sacri hujus Senatus tradit *Eminentissimus Petra in Commen. ad Const.15. Martini V. n.12. in fine vol.4.*

Quod si dubia esset Testatricis voluntas, omnis adhuc tolleretur ambiguitas ex interpretativa Sodalium consuetudine, qui subsidium dotale hactenus contulerunt Puellis, quæ Monasterium hoc ingressæ in eo sese Deo dedicarunt, & si quædam aliud Monasterium ingressæ sunt, aut facta iterum a Sodalibus fuit electio Puellæ, aut consensum præstiterunt Moniales Sanctæ Mariæ Angelorum, ut constat e libris Sodalitii, quorum partitæ a Petrinia integre proponuntur: qua in re plurimum spectandum esse urget Petrinia

nia rescriptum Sacri hujus Senatus, qui postulante veneranda Marinia, quæ subsidium hoc obtinuerat, commutationem Monasterii, cum aliud ingredi vellet die 28. Julii respondit; *Doceat de consensu Monasterii*, ut probatur epistolis, & formula consensus datis a Francisco Barberino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Amplissimo ad Abbatissam Monasterii S. Mariæ Angelorum.

Ex his colligit Petrinia necesse esse Roficarelliam petere commutationem voluntatis Testatricis, si dotali subsidio potiri velit, si vult aliud ingredi Monasterium: hanc autem commutationem sine justa, & necessaria causa fieri non posse ex Tridentini Decreto, quæ hic nulla subest, præsertim, quod commutatio isthæc detrimentum inferret Petriniæ, & Monasterio Sanctæ Mariæ Angelorum: Petriniæ quidem ob jus quæsitum ex caducitate Roficarelliæ, Monasterio autem, quod non sine justa, & vehementi ratione adimendum ei sit jus illi quæsitum ex voluntate Testatricis, & ex longo usu, & diuturna quasi possessione hujus juris, præsertim cum non sine gravi, & justa causa Roficarelliam rejecerit, vetantibus Constitutionibus ab Urbano VIII. confirmatis illam recipere, quæ sit, aut educata fuerit in alio Monasterio, qualis est Roficarellia, quæ Romæ Monialibus alterius Monasterii servitium præstat.

Hæc urget Petrinia: longe aliter rationes suas componit Roficarellia: Electam ipsam fuisse a Sodalibus, quibus tantum datum hoc Jus a Testatrice fuerit, non Monasterio; electionem legitimam fuisse, perfectumque actum, atque absolutum traditione *cedulæ subsidii dotalis*, ut nullum jus esse possit Petriniæ, quæ electa non fuit, & frustra eam probare, & præferre Moniales potuerint, si a Sodalibus, quibus dumtaxat jus erat eligendi Puellam, quæ subsidium ferret, electa non fuerat: nec quærendum esse an uno, an pluribus suffragiis vicerit Roficarellia: victa sit Petrinia, res enim in idem recidit semper, Petriniam electam non fuisse; & cum de electione nullum verbum fecerit Testatrix, quæ tantum ait *teneatur monacare unam Puellam honestam de Civitate Prænestis*, consequens esse, ut dum Sodales ad implendam Testatricis voluntatem, modum electionis acceperunt, satis sit suffragiorum numero unam vicisse, ut legitima perfectaque dicatur electio, nec quærendum de excessu dimidiæ partis, cum quæ majorem suffragiorum numerum non habuerunt ab assequendo subsidio dotali, dici debeant exclusæ, & quæ uno etiam calculo vicit a majori parte electa censetur ut est *in leg. quod major ff. ad municipal.* traduntque *Panormitan. in cap. Postulastis n.74. de concess. Præben. Barbos. de Offic. Episc. alleg.72. num.198. Vivian. de Jur. patron. lib.12. cap.8. Card. de Luca de Canon. disc.28. num.2., & Rota coram Card. Falconerio de Jurepatronat. decis.30. num.12.*

Atque hinc nullam habendam esse rationem incapacitatis Roficarelliæ, quæ educitur a rejectione, quam ipsa admissionem, & receptionem non petente, passa est Monialibus S.Mariæ Angelorum; Capacitas siquidem, vel incapacitas obtinendi subsidium dotale non a voluntate Monialium recipiendi, vel reiiciendi Puellam electam colligi debet, sed a qualitatibus, quas voluit Testatrix in ea esse, cui subsidium dotale a Sodalibus tribuendum erat: & cum Testatrix dixerit *unam Puellam honestam de Civitate Prænestis*, atque hæ qualitates omnes in ea sint, legitima electio dici debet, & spernenda est incapacitas, quæ venit ex voluntaria rejectione Monialium, quibus licere non debet, tollere jus quæsitum Puellæ e legitima electione Sodalium.

Spernendam vero Monialium repulsam esse, quod non bene probetur sola earumdem testificatione sine actis Capitularibus, quod Capitulum illud coactum fuerit irregulariter, quod non absit suspicio fraudis, & metus reveren-

rentialis erga Abbatissam Petriniæ Amitam, præsertim cum hæc falso Monialibus suggesserit violari earum constitutiones, neque enim has vetare *absolute*, ne quæ in alio Monasterio sint, aut fuerunt Puellæ, recipiantur, sed hoc velle non recipi sine inquisitione: si secus fuisset non potuisse Rosicarelliam ad scrutinium admitti: Scire vero debuisse Abbatissam duas, quæ in eo Monasterio, & ante ejus oculos versabantur Moniales, educatas prius fuisse in alio Monasterio, sive Convictu Pueri Jesu, quas tamen receperant sine ullo metu violandi Constitutiones: Demum qualiscumque sit mens harum Constitutionum non posse eam porrigi ad Testamentum Faustinæ Leonardiæ, quod cum scriptum fuerit anno 1621. Constitutiones autem latæ sint anno 1642., quo tempore novum Monasterium, ut supra memoravimus, extructum fuerat, hinc nec Testatricis voluntas ferri poterat in futura, & incognita, nec poterat voluntatem suam conformare cum constitutionibus, quæ longe post ejus mortem latæ fuerunt.

Abesse quoque rectius debere ab hac specie quæstionem de probatione, vel rejectione Puellæ electæ a Monialibus facienda; Testatrix enim non jussit, ut emenso decennio illi Puellæ subsidium a Sodalibus præstaretur, quæ probata fuisset a Monialibus S. Mariæ Angelorum, quo casu de probatione, vel rejectione legitima quærendum esset, sed voluit Sodalitium *teneri monacare unam honestam Puellam*, & hoc casu satis esse adsignationem, sive promissionem subsidii cum *Cedulæ* traditione, arbitrium enim Sodalibus datum est, non Monasterio, a cujus probatione, vel rejectione si Puellæ fatum penderet, non Sodalibus, sed Monasterio datum esset arbitrium electionis, & jus *unam honestam Puellam Monacandi* ut ait Testatrix. Nullam igitur a Petrinia vim fieri posse in voluntate ejusdem Testatricis, dum addidit *in Monasterio Monialium in Civitate Prænestis*, quod vel voluntas Testatricis directa non fuerit in Monasterium S. Mariæ Angelorum, vel Monasterium illud Monialium, de quo verba fecit Faustina, non *taxative*, *sed demonstrative stare* dicatur.

Impossibile prorsus esse, ut Testatricis voluntas respiceret verbis illis Monasterium S. Mariæ Angelorum, cum ut supra memoravimus, hoc longo post illius obitum tempore erectum fuerit, & omnino diversum sit ab eo, quod Testamenti tempore construebatur, loco, instituto, nomine, ut si jus quæsitum esse debet alicui Monasterio ex verbis Testatricis, non aliud hoc Monasterium esse possit, quam illud Pueri Jesu, quod institutum est in eo loco, in quo Testamenti tempore Monasterium extruebatur, quodque idem adhuc D. Andreæ Titulum retinet; cum vero vetus illud esset peremptum, mirum esse non debeat, si Puellæ, quæ a Sodalibus subsidium obtinuerat, Monasterium S. Mariæ Angelorum ingressæ sunt; factum id siquidem fuisse necessitate cogente, cum nullum aliud Præneste esset sanctimonialium Monasterium.

Magis vero esse ut dicendum sit Monasterium illud a Testatrice expressum esse *demonstrative*, tum quia nullum ea tempestate Præneste erat Sacrarum Virginum Monasterium, tum quia Jure putandum est hanc Faustinæ mentem fuisse, ut opem hoc subsidio ferret Prænestinis Puellis, quæ sese Deo dedicare vellent, sive unum, sive alterum Monasterium ingrederentur, non spectato loco, dum Præneste Monasterium esset, prorsus ut in Sacris agendis non spectatur persona, sed operatum: tum demum, quia ipsa Testatrix, dum Monasterium extruebatur, noluit præstari Monasterio subsidium, aut puellis, quæ ingredi possent Monasterium, quod ut ipsa ait aptabatur, sed jussit fructus hæreditatis suæ distribui Puellis, quæ nubere vellent.

At si *taxative* dici posset a Testatrice perspectum Monasterium *S. Mariæ Angelorum*, non ob id Jure suo cecidisse putat Rosicarellia, quod satis sit *per eam non stetisse*, ne Monasterium illud ingrederetur, sed per moniales,

niales, quibus placuit eam reicere ex *Causa Extrinseca*, quod scilicet in alio Monasterio sit, quæ causa potior esse debeat ad eam recipiendam, cum de honestate, bonisque moribus puellæ certiores esse possint, quam si domi suæ, atque inter Laicos versaretur, ut cum per eam non steterit, indulgendum ei sit, ut cum eodem subsidio Deo se dedicare possit in alio Monasterio, ita ex Sententia Sacri hujus Senatus docente Eminentissimo *Petra in Comment.*, *ad Constit. Innocentii IV. sect.2. n.26. vol.3.* Addit Roscarellia duram, qua premitur, egestatem, cum contra Franciscus Petrinius Mariæ Antoniæ Pater pinguem dotem in aliam filiam, quæ nupsit, contulerit, ut nulla ratio sit ei invidendi tenuem hanc præstationem subsidii dotalis, quo vitæ suæ futuræ consulere possit.

His, quæ longiuscule licet, necessario tamen ab utraque puella disputantur, probe perpensis, definiendum erit Dubium.

An, & cui debeatur subsidium, de quo agitur in casu &c.

Deberi Roscarellia, & amplius.

Sess.23. c.18. de ref.

PUTEOLANA UNIONIS. Postquam provida cura Episcopi puteolani Collegium sive Seminarium Puteolis pluries interceptum tenuitate reddituum, restitutum tandem fuit, & a tribus Canonicis Capituli deputatis ejusdem Seminarii una cum Vicario Generali ejusdem Episcopi portio quorumcumque Beneficiorum juxta Tridentini Decretum detracta fuit quam detractionem *Taxam Beneficiorum* vocare solemus tres iidem Deputati preces Episcopo obtulerunt, quibus narrabant redditus universos Seminarii satis non esse ad alendos 24. Alumnos, qui in eo erant, & ad præstanda stipendia Magistris, & Professoribus Artium, ac disciplinarum, & salaria iis, qui operas suas præstabant: rogabant igitur Episcopum, ut utendo facultatibus datis a Tridentino, & inde a Tridentino, & inde a Constitutione Benedicti XIII. Pontificis Optimi Maximi, cujus initium est *Creditæ nobis* eidem Seminario plura Beneficia uniret, & applicaret. Annuit Episcopus postulationi, latoque Decreto die 25. Februarii anni 1741. eadem Beneficia Seminario univit.

Petiit Episcopus ab hoc Sacro Senatu Unionis illius confirmationem, sed die 3. Maii ejusdem anni cognitio omnis hujusce rei ad Sacram Congregationem particularem, quæ ab eadem Constitutione Benedicti XIII. instituta, & Decreto Clementis XII. Pontificis Maximi confirmata est, ad quam vere spectabat, delata est: Obtinuit tamen Episcopus ab Optimo Sanctissimoque Principe nostro, ut hac de re Sacrum hoc Tribunal cognosceret datis ob id Eminentissimis Patribus *facultatibus omnibus necessariis, & opportunis, qui die 23. Septembris ejusdem anni* 1741. cum nullus contra Seminarium esset in judicio responderunt: *Secundum exposita pro approbatione.*

Inter Beneficia Seminario unita quædam erat a Canonico Albinio, qui Romæ est, possessa; hic cum ea in manus Sanctissimi resignasset, admissa resignatio fuit favore Januarii Mariæ Sperandio, sed exequi literæ Apostolicæ non potuerunt obsistente Episcopo ex causa Unionis Beneficiorum suo Seminario. Igitur Dataria Apostolica, cui plurimum interest ob similes casus, qui contingere possunt, jura sua tueri, satius duxit Sacrum hunc Senatum adire, ut de validitate Unionis illius, & applicationis iterum cognosceret judicio contradicto, quam nullam infirmamque esse his rationibus intendit.

Defectus, nullitatesque illius applicationis, & unionis monstrat & ratione materiæ, & ratione formæ: materiæ quidem ex causa *Affectionis* erga S. Se-

S. Sedem ob personalem qualitatem *Curialis & Romanam Curiam sequentis*, quæ inerat Canonico Albino Beneficiorum possessori, quæque ipsa beneficia afficiebat, ut nulla fiat eorumdem unio facta ab Episcopo in detrimentum Apostolicæ Datariæ: licet enim Tridetini decreto eo usque processum sit, ut data fuerit Episcopis facultas uniendi Beneficia, *etiamsi reservata sint, vel affecta*, declarationibus tamen Sacri hujus Tribunalis, quas plures Summi Pontifices probaverunt, consultum est indemnitati Datariæ, occursumque fuit callidis Episcoporum consiliis, qui præsidio verborum legis sententiam ejus circumveniebant, & uniones hasce Beneficiorum quæ reservata essent vel affecta valituras fore decretum est, si ante ipsorum Beneficiorum vacationes facta fuerint, secus si postea *Fagnanus in cap. Sicut unire num.36. & seq. de excess. Prælat. Garzias de Benef. par.12. cap.2. num.102. Clericat. discord. Forens. vol.1. tit. de Benef. disc.76. num.10.*

Inde declaratum est uniones Beneficiorum affectorum, sive reservatorum ante eorumdem vacationem factas substineri, cum agitur de affectionibus, & reservationibus *eventualibus, & temporalibus*, quales illæ Mensium sunt, non vero cum agitur de affectionibus *fixis, & invariabilibus*, quales illæ sunt, quæ veniunt ex personalibus qualitatibus Familiaris Papæ, Protonotarii Apostolici, & Curialis; in his enim sublata fuit Episcopis facultas illis data Tridentini decreto, ut tradunt *Fagn. in d. cap. Sicut unire num.37. Barbosa ad Concil. Trid. Sess.23. cap.18. de ref. n.43. & de Off. & Potest. Episc. par.3. alleg.77. num.30. Garzias de Benef. par.12. cap.2. num.106. & in addit. num.126.*

Atque ex his colligit Dataria, ut cum res sit de Beneficiis, quæ longe ante unionem atque applicationem, quem Seminario suo fecit Episcopus, affecta erant ex causa qualitatis Curialis, quæ inerat Canonico Albino, non potuit sequenti unione, atque applicatione iniqua conditio, & detrimentum inferri juribus S. Sedis, ut disputat *Fagnanus in d. cap. Sicut unire num.37. Barbos. d. alleg.77. num.30.*, & pluries definitum est a a S. Rota, ut est apud *Ludovis. dec.419. coram Manzaned. dec 92. n.19. & Caprara dec.131. num.10.* Nequicquam obstante constitutione illa *Creditæ nobis* Benedicti XIII., qua restituta, & redintegrata videtur hac in re Episcoporum facultas, cum illa mandato ejusdem Principis declarata fuerit edicto Cardinalis Corradinii, quod a Dataria proponitur.

Ratione quoque formæ unionem illam non esse spectandam monstrat Dataria, quod Taxa illa non fuerit diligenter facta, & servata dispositione Tridentini: non enim Episcopus *consilium* adhibuit *duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero Civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat*, ut his verbis jubet Tridentinum, sed opera usus est trium Canonicorum Capituli, qui ejusdem Seminarii Deputati erant una cum Vicario suo Generali, atque ob id Conciliaris formæ, inobservantia actum inficit, & vitium nullitatis inurit.

Plures etiam defectus ejusdem Taxæ ex causa inæqualitatis monstrantur a a Dataria, & plures omissiones. & quod magis est, cum e Beneficiorum uniones, atque applicationes non aliter Episcopis, si Taxa satis non sit, permittantur, nisi ex causa necessitatis, quæ a qualitate Seminarii & numero Alumnorum, *pro modo facultatum & Diœcesis amplitudine*, ut ait Tridentinum, in eo sint, metiri debet. Cum in universa Putheolana Diœcesi tres tantum Parochiæ sint, unio isthæc Beneficiorum majorem potius ipsius Seminarii commoditatem, & decus Civitatis respicere videtur, quam necessitatem cum in tanta Parochiarum infrequentia

nimis excedere videatur 24. Alumnorum numerus, quibus instruendis, eorumque Magistris, & scientiarum Professoribus non tantum Beneficia oneranda sint, sed etiam hac unione atque applicatione præcidenda aliis spes sit ea aliquando obtinendi.

Hæc a Dataria tantum proponuntur: Jura Seminarii nondum edita sunt: Respondendum tamen est.

An unio sustineatur in casu &c.

Dilata, & proponatur in sequenti.

Die Sabb. 25. Januarii 1744.



Lacuit Eminentissimis PP. in ultima Congregatione, quæ habita est die 11. hujus anni trium, quæ sequuntur, Causarum definitionem ad hanc congregationem differre; Poterunt nunc igitur ad eas, quæ nunc proponuntur definiendas Folium illius Congregationis iterum, ut eo, quo par est, obsequio rogantur inspicere.

Sess. 24. c. 14. de ref. VERULANA PORTIONUM CANONICALIUM, ET ELECTIONIS CELLERARII, qua quæritur.

I. An sit servanda prætensa consuetudo quoad divisionem, & distributionem portionum Canonicalium, *& quatenus negative*.

II. An nova sit introducenda methodus, & quomodo in casu.

III. An sit servanda prætensa consuetudo quoad Electionem Cellerarii, *& quatenus negative*.

IV. An nova sit introducenda methodus, & quomodo in casu &c.

Ad primum, Negative. Ad secundum, divisionem faciendam esse per Canonicos juniores juxta Costitutiones, extractionem vero statim per sortes, & ad triennium. Ad tertium, Affirmative adjecta pęna arbitrio Episcopi contra recusantes sine causa approbanda ab Episcopo. Ad quartum, Provisum in tertio.

Sess. 25. c. 4. de Ref. PISAUREN. In qua tria dubia definienda sunt.

I. An Patres Sancti Bartholomæi Montis Imperialis Pisauri attenta deficientia fundi teneantur ab anno 1733. in futurum celebrare Missas pro suffragio animæ quondam Petri Catanei in casu &c. *& quatenus affirmative*.

II. An teneantur celebrare juxta reductionem obtentam a Sacra Congregatione, vel juxta dispositionem d. quondam Petri Catanei in casu &c. *& quatenus affirmative quoad secundam partem*.

III. An teneantur hæredes dicti qoondam Petri Catanei ad supplementum pro intranti quantitate Eleemosynæ Missarum ordinat. a dicto quondam Petro in casu &c.

Ad

Ad primum, affirmative, & amplius. Ad secundum, negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam. Ad tertium, negative, & amplius.

PUTEOLANA UNIONIS, in qua respondendum est. *Sess.23.c.18. de ref.*

An unio substineatur in casu &c.

Negative.

ROMANA, SEU NARNIEN. PROFESSIONIS. Paribus hæc Causa bis distracta suffragiis, cum nunc tertio proponarur, definitionem ab Eminentissimis Patribus tandem expectat: rogantur itaque, ut Folium Congregationis habitæ die 22. Junii anni nuper transacti, qua primum proposita fuit, iterum ea, qoa solent, humanitate perspiciant, ut respondere possint. *Sess.25.c.15. de Reg.*

An constet de validitate Professionis Constantiæ Secchioni in Monasterio Sanctæ Ursulæ Terræ Stronconii etiam ad effectum lucrandi dotem in casu &c.

Negative.

CALLIEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. Ut celerius implerentur Decreta Sacri hujus Senatus, quibus jussum fuerat, ut Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Calliensis singulis diebus sacrum, quod vocatur Conventuale, canere teneretur, donavit eidem Capitulo Benedictus Lupertus Episeopus Calliensis die 28. Julii anni 1706. aurea quingenta, quorum redditus erogari perpetuo deberent in hanc dumtaxat causam sacri Conventualis dietim a Capitulo agendi, quod applicari deberet pro Benefactoribus in genere. Implevit hactenus Capitulum, & sacri hujus Tribunalis Decreta, & voluntatem Episcopi donatoris: Cum autem onus hoc diutius non esse ferendum illi visum fuerit, postulat ab Eminentissimis Patribus liberari ab onere applicandi singulis diebus sacrum Conventuale pro Benefactoribus in genere. *Sess. 25.c.14. de ref.*

Rationes, quæ proponuntur sunt: Tenuitas quindecim Præbendarum, quibus Capitulum illud componitur; ut enim refert Vicarius Apostolicus, cui, ut fieri solet, ab hoc sacro senatu negocium hoc datum fuit, Præbende omnes quotidianaarum etiam distributionum habita ratione, vix reddunt annua scut.336. 22. fructus vero annui, qui ex donatione Episcopi percipiuntur, attingunt summam sc.16. 60. facta igitur partitione universorum reddituum in singulas præbendas inficiari nequit ita tenuem earum reddituum esse. ut ex hac tenuitate justa proponatur causa postulandi oneris deminutionem; sicuti enim ut locus sit oneri sacri Conventualis, non satis est agi de Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, sed opus est Ecclesiam illam tot habere Ministros, ut onus impleri possit, cum onus respondere debeat Ministris, a quibus implendum est, ut late differit *Pienattellus consult.91. num.1. vol.4.* ita non satis est, ut agatur de obligatione, vel a lege, vel ab homine data, nisi tot præstentur redditus, qui satis esse possint iis, qui obligationem illam implere debent.

Accedit rerum similiter judicatarum authoritas, & præsertim in Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Bononiæ, cujus reddituus licet essent in annua summa scut.672. quæ duplum excedit redditus Ecclesiæ Cathedralis Calliensis, inopiæ tamen, & tenuitatis causa ademptum

Cano-

Canonicis fuit onus applicandi singulis diebus sacrum Conventuale pro Benefactoribus in genere authoritate SSmi, Sacratissimique Principis nostri, qui tunc Bononiensis Arciepiscopus erat, ut ex constanti sacri hujus Senatus sententia, ut ipsemet disertissime, atque elegantissime explicat in suis *notif. vol.5. par.4. sect.2. notif.19. num.61. pag.158. edit. Bononiensis*.

Judicium denique Vicarii Apostolici Capitulo favet, qui censet absolvendum quidem esse Capitulum ab hoc onere, non tamen singulis diebus Festis, nec *omnibus quatuor anni temporibus*, *Festo S. Marci*, *& diebus Rogationum*, nec non *die Festo S. Gerontii Protectoris Civitatis*, nam diebus hisce omnibus numeratis habetur numerus 102. atque ita fructus omnes donationis factæ ab Episcopo Luperto habita ratione *Taxe Benedictinæ* in Concilio Romano, integre erogari possunt in onus Sacri Conventualis.

Atque his, quæ a Capitulo proponuntur, perpensis, definiendum erit dubium.

An sit locus reductioni applicandi singulis diebus Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere in casu &c.

Reliquæ non propositæ.

Sess.25. c.19. de Ref.

LISBONEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Educata fuit Feliciana Britto a Matertera Moniali in Monasterio S. Annæ, cui ab Aloysio Patre tradita fuerat anno 1697., cum vix quintum ætatis annum implevisset, tanta vitæ severitate, & asperitate morum, ut posthabitis omnibus humanæ naturæ, & societatis legibus, non liceret candidæ, teneræque Puellæ, etiam postquam vesticeps facta est, cum aliis sermones habere, & audito sacro in Conclavim continuo ab una, vel altera Moniali, quæ ab ejus latere nunquam discesserat, reduceretur: Tanta quoque inumanæ Materteræ, sive ingenii inclementia, sive calliditate atque astu ad animum Virginis metu capiendum, flectendumque, quo ejus voluntati, & imperio obsequeretur, ut si quid peccatum esset incaute a puella, verberibus expiaretur. His artibus Materteræ, imperioque Aloysii Patris coacta fuit Feliciana nomen dare Monasticæ disciplinæ, & die 12. Augusti anni 1708. cum decimum sextum ætatis annum ageret, in eo Monasterio professionem emisit: Sed in ipso Professionis emittendæ actu, adversi animi, contrariæque voluntatis certissima indicia, atque argumenta dedit natura repugnans, nam Feliciana deliquium passa defecit, & manibus, brachiisque Monialium substentata a Choro in cubiculum delata fuit; Vix autem luminis auras receperat, iterum in Chorum traducta lacrimis perfusa, suspiria ab imo pectore trahens inter frequentes animi defectus, instanti terribili Matertera Professionem semiaperto ore tremebundaque emisit, cujus verba vix audire potuerunt, quæ propius adstabant Moniales, aliæ vero non audiverunt, ipsa protulisse non meminit.

Opinio, quam menti imbiberat Feliciana Monialem non esse, in causa fuit, ut a die Professionis emissæ nulla hactenus exercuerit Monialium munera, & officia, numquam ad Chorum accesserit, Præfecta Monasterio, & Monialibus eam nec requirentibus, nec urgentibus, quod tragedia illa Professionis, cujus miserrima viderant, satis illis esset pespecta, satisque illis cognitæ perpetuæ declarationes, & protestationes contrariæ voluntatis Monasticæ disciplinæ, quas Feliciana emittebat. Inter has angustias mortem obiit an.1718. Aloysius Felicianæ Pater, quæ ob id, parte metus soluta, curavit, clam tamen Matertera, ut ejus querelæ

relæ ad Pontificem maximum Romam deferrentur, a quo precibus impetraret restitutionem in integrum: sed sive ob difficultates itineris longissimi, sive ob indiligentiam Procuratorem, & Actorum, sive qua alia causa ignoratur, re infecta e[illegible]git tempus ad annum usque 1725, quo ad Felicianam delatum fuit *Breve adversus lapsum quinquennii*, & postulante ea judicialiter restitui in integrum, Joannes Cardosus Castellus Archiepiscopus Lacedemoniæ ad Monasterium accessit, ut de iis, quæ Feliciana narrabat, certior fieret, & Præfectam Monasterio audivit: quæ omnia liquido probantur tum testificationibus Monialium, & Sacerdotis Antonii Pereiræ Sylvæ, qui *Breve ipsum* vidit, legitque, tum Epistola Sororis Ignatiæ Antoniæ, quæ tunc Monasterio præerat, ad Archiepiscopum data; sed mortem tandem obita ab Archiepiscopo nec *Breve illud*, nec alia acta, diligenti licet habita inquisitione, reperiri potuerunt.

Defecit demum anno 1730. Soror Aloysia Matertera Felicianæ, quæ hac morte omni prorsus metu soluta, vehementius urgere cepit propositum animi sui petendi restitutionem in integrum, oblatoque summo Pontifici libello, data fuit sacro Tribunali causæ hujusce cognitio: nunc igitur quatuordecim Testibus Monialibus formiter repetitis, emissa ab ipsa Feliciana declaratione rerum gestarum jurejurando confirmata, audita sententia Eminentissimi Patriarchæ, qui secundum eam respondit, postulat Feliciana restitui in inegrum authoritate hujus Sacri Senatus, quod Professio, quam ipsa emisit, nulla fuerit defectu consensus & liberæ voluntatis ob vim, metumque illatum a Patre, & Matertera.

Difficilis quidem res est metus probatio, quæ cum solius animi passio, & affectio sit, non nisi extrinsecis corporis argumentis, & indiciis, quæ vel prudentissimos fallere possunt, deprehendi, & cognosci ab hominibus, queat, ut in tanta rei difficultate rectissime visum sit Interpretibus nostris relaxandum esse juris rigorem, eosque etiam testes admittendos, qui in aliis juris articulis admitti non possent; ad religionem demum judicis metus probationem pertinere, qui natura, & qualitate personarum, & natura actuum, qui metum intulisse dicantur, perspecta, omnibusque demum perpensis circumstantiis, quas includere in præcepta difficile est, secum statuat, reputetque, an legitima metus illati probatio educatur: Illud autem apud omnes constat longam hac in re inter viros, & mulieres differentiam, infirmus enim fæminarum animus in molli corpore levioribus, quam in virili animo, mentis constantia motibus, affectionibusque cietur, & facilius terreri potest, & concuti, ut non eadem in fæminis, quæ in viris metus probatio sit inquirenda tradente *Glossa in cap. cum locum verbo metus de sponsal. Aretin. cons.24. num.7. Menoch. de arbitr. Judic. cas.35. num.*4. & placuit etiam S. Rotæ ut *apud Gregor. decis.325. num.16. Seraphin. dec.77. num.2., & seq. Merlin. dec.520., & dec.211. num.8. par.12. recent.*

Legitimam igitur metus sibi illati probationem esse ex iis, quæ narrata sunt a quatuordecim Testibus licet Monialibus, contendit Feliciana, præsertim si adjungatur ratio illa educationis susceptæ ab immiti, atque inclementi Matertera, cum adhuc infans esset quinque annorum; arctissima enim illa custodia, & asperitate illa ingenii, & naturæ factum est, ut animo Felicianæ Matertera imperaret, atque illa metum jam inde ab infantia concepisset, nisi ejus voluntati obsequeretur. De hac educatione, & asperitate morum, & vi illata, metuque incusso tum a Matertera, tum a Patre, sive ex visu sive ex auditu Monialium seniorum, quæ mortem obierunt, nam pervulgata res est in eo Monasterio, testificationem faciunt Montales; qualitates metus incussi non omnes referunt, quod aliquæ

aliquæ non meminerit, quædam tamen minas dicunt, & negata alimenta.

Narrant omnes, quam supra memoravimus, lamentabilem Professionis historiam, & manifestæ contrariæ voluntatis argumenta? Referunt nulla unquam Monialium officia Felicianam exercuisse, nec ad Chorum accessisse, animo semper fuisse in Monasterium, & monasticam disciplinam adverso, ut nulla ratione potuerit flecti, quod & ii qui Sacramentales Felicianæ Confessiones exceperunt, facta iisdem a Feliciana potestate, aperte retulerunt, ut nec ratihabita dici possit Professio, nec fuga temporis, longi equidem, obesse possit, ne in integrum restituatur, tum ob perpetuas contrariæ voluntatis protestationes, tum quia causa metus non cessabat vivo Patre, & Matertera, tum quia longissima distantia ab Urbe, vel negligentia Procuratorum, ejus preces, & querelæ interceptę fuerunt, & quod potuit, egit cum Archiepiscopo Lacedemoniæ data fuit jurisdictio, ut supra memoravimus.

His igitur omnibus, quæ a Feliciana tantum proponuntur, nam Monasterium negavit eidem in judicio obsistere, ut par est, diligenter perpensis, ad Religionem animi EE. VV. pertinet definire.

An sit locus restitutioni in integrum in caso &c.

Sess. 22. c. 6. de ref.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Postquam acta fuit hæc causa in hoc Sacro Tribunali die 5. Maii anni nuper transacti duobus propositis Dubiis, quorum primum erat *An sustineretur compositio cum cessione jurium facta a R. Fabrica S. Petri favore quondam Jo. Baptistæ de Dominis?* Alterum vero *An sit consulendum Sanctissimo pro Commutatione voluntatis quondam Canonici Martini de Dominis, & quomodo in casu*, & responsum fuit ad Primum: *Negative*: Ad alterum; *Dilata, & firmetur status hæreditatis Canonici Martini de Dominis coram Vicario Apostolico; qui procedat etiam pro redditione rationi adversus hæredes Jo: Baptistæ de Dominis Junioris*: Iterumque proposita causa quoad primum Dubium die 21. Julii responsum fuit *in Decisis, & causa amplius non proponatur*, ut ad rem omnem memoriæ revocandam rogantur EE. PP. Folia illorum dierum, qua præstant humanitate, oculis fidelibus iterum subjicere. Proponitur nunc hæc causa, ut post hæreditarii status firmationem, quæ legitimæ facta est, alterum Dubium, cujus definitio dilata fuit, sapientissimo, rectissimoque sacri hujus Senatus judicio definiatur.

Ex facto constat Martinum Dominum Canonicum Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai anno 1722 hæredem scripsisse Jo: Baptistam fratris filium, & si sine filiis masculis decederet, jussisse, ut ex fructibus universæ hæreditatis; „ Se ne erigga, e istituisca (sunt ipsa testamenti verba) nella Terra di „ Ponziano mia Patria un Monastero di Monache dell'Istituto, e Regola „ di S. Francesco d'Assisi per comodo, e beneficio solamente di tutte le „ discendenti del quondam Gio. Battista de Dominis tanto per linea mascolina, quanto feminina in infinitum, e che le medesime discendenti, che vorranno Monacarsi in detto Monastero debbano essere ammesse con pagare ciascuna di esse solo scudi dugento di Dote.

As hæreditarium defuncti a Perito constitutum est in summa sc.15772. 49. sed distractionibus, & alienationibus factis, & quarum ratio reddi debet, redactum est ad sum. sc.10696. 72. Hac summa intendunt Palenga, Gerardinius, aliique Descendentes a Jo: Baptista Domino seniore, impossibile prorsus esse, ut Testatoris voluntas impleatur, ideoque petunt ab hoc Sacro Tribunali commutari voluntatem hanc, & vice Monasterii

ſterii fundari hæreditate Canonici Martini quatuor Canonicatus in eadem Collegiata Eccleſia, ad quos admitti debeant Clerici ab eodem Jo. Bbptiſta ſeniore deſcendentes, dato tamen eiſdem onere perpetuo, ut ex fructibus hæreditatis Canonici Martini detrahantur quotannis duo ſubſidia dotalia, quorum ſingula ſint ſc.50., quæque præſtari, tribuique debeant puellis ab eodem Jo. Baptiſta ſeniore deſcendentibus, quæ ſeſe Deo dedicare velint in aliquo Monaſterio, facta quoque iiſdem puellis poteſtate idem ſubſidium iterato conſequendi, donec efficiatur ſumma dotis Monaſterio præſtandæ, quæ tamen ſummam ſc. 400. nequeat excedere.

Impoſſibile prorſus eſſe, ut tenui illa ſumma ſc.10696. 72. impleri poſſit teſtatoris voluntas arguunt deſcendentes a Jo. Baptiſta ſeniore, quod ea abſumi, atque ita erogari deberet in ædificium Monaſterii, quod dos eidem Monaſterio ſtatuenda deeſſet, deeſſent annui redditus, qui poſt neceſſarias impenſas Miniſtrorum, & operarum, alii poſſent duodecim Moniales, qua in re opus eſſet annuam ſaltem quantitate ſcutorum 300. ut ex ſententia ſacri hujus Senatus tradunt *Fagnan. in cap. non amplius num.23. de Inſtit. Piton. de controv. Patron. alleg.73. num.12. Eminentiſſimus Petra ad Conſtitut. Apoſt. vol.3. pag.109. num.4.* Nec minor difficultas implendæ Teſtatoris voluntatis eſſet ratione puellarum, quarum gratia Monaſterii hujus ædificationem voluit, Martinus, namque hæ, (quæ decem ſunt, infantes aliæ, aliæ ad ſenium vergentes) vel nollent ſeſe Deo dedicare, vel ob egeſtatem non poſſent ſummam illam ſc.200. quam teſtator ſtatuit Monaſterio, dare dotis nomine, ut probe conſiderat Vicarius Apoſtolicus: Cum igitur opus, quod teſtator fieri voluit, ex his quæ proponuntur: impleri non poſſit, mutanda voluntas eſt, quam ipſe teſtator mutaſſet in aliud ſimile pium opus, ut ex Herentii Modeſtini reſponſo in *l. legatum 16. ff. de uſu, & uſufr. legat.* & ex reſcripto Pontificis *in c. Nos quidem de Teſt.* traduut *Bartolus in l. Pater filium §. Tuſculanus ff. de legat.3. Gonzal., & Fagnan. in eodem cap.3. a num.13. ad 27. de Teſtam, Barboſa de Jur. Eccl. lib.3. cap.27. num.81. Card. de Luca ad Concil. Trid. diſc.21. num.3.*

Simile vero opus pium non eſſe in noſtra ſpecie accipiendum de alio Monaſterio, cui bona univerſa Canonici Martini applicari poſſint, & tribui cum iiſdem oneribus, & conditionibus, quæ in pia ejuſdem diſpoſitione expreſſa ſunt: Id namque locum habere, ſi Pontiani aliud eſſet Sanctimonialium Monaſterium, in quo Puellæ a Jo. Baptiſta ſeniore deſcendentes recipi poſſent; at cum nullum Pontiani Monaſterium ſit, nec ratio juris, nec voluntas defuncti patitur, ut alicui Monaſterio, quod extra locum domicilii Teſtatoris eſt, bona tribuantur, idque obſervandum eſſet, etſi teſtator locum non adſcripſiſſet ex aperto Labeonis reſponſo, quod eſt in *l. quæ conditio §. cum ita de condition. & demonſt. ubi ait* „ Cum ita „ in Teſtamento ſcriptum erat, ut aliquod in Foro fiat, neque adſcri„ ptum erat, in quo Foro Labeo ait, ſi non appareat quid mortuus ſen„ ſerit, in ejus municipii Foro faciendum, in quo his, qui teſtamentum „ fecit, domicilium habuerit „: traduntque *Baldus, & cæteri ibidem, Menoch. lib.4. præſumpt. 14. num.3.* quæ tamen ambiguitas ceſſat in noſtra ſpecie, cum quid ſenſerit, Teſtator expreſſerit, ait enim diſerte *nella Terra di Ponzano mia Patria.*

Cum itaque neceſſitas poſtulet, ut Defuncti voluntas mutetur, & alio loco impleri illa nequeat contra legum noſtrarum diſpoſitionem, & mentem ipſam Teſtatoris, non alia ſuppetit ratio, niſi ut opus pium impleatur eo, quo poteſt modo, in eodem loco, in quo domicilium habuit Martinus imo in eadem Eccleſia, in qua Canonicus fuit, & in qua inferri cor-

pus suum, & sepulturæ tradi voluit; cum enim mutanda Testatoris voluntas est in aliud opus, ea facienda est interpretatio, quæ magis convenit verosimili voluntati defuncti, quamque ipse expressisset, si putasset, quod voluit, impleri non posse, conjectura vero facienda est a majori affectione ut est in *l. quoniam Cod. de Sacrosanct. Eccl. & in §. Si quis in nomine Aut. de Ecclesiast. titul.*, & bene ad rem, quam tractamus, tradunt *Mantica de conject. lib.8. tit.6. num.14. & Menoch. de præsumpt. lib.4. præsumpt.114. num.8.*

Mutari ædificationem Monasterii in fundationem quatuor Canonicatuum convenit menti Testatoris ob ipsius Animæ utilitatem, quæ obvenit e sacris, & divinis officiis, quæ a Canonicis agi debent, cum nulli ignotum sit, quanta sit virtus Sacrorum: Convenit augmento divini cultus, convenit dignitati, & decori ipsius Collegiatæ Ecclesiæ, quæ exiguum habet numerum trium tantum Canonicorum, ut putandum omnino sit Testatorem ipsum hoc voluisse, & quatuor Canonicatuum fundationem jussisse, si putasset voluntatem suam Monasterii ædificandi impleri non posse: Eoque amplius, quod hoc, qui proponitur, commutationis modo, non fœminis tantum, quæ a Jo. Baptista seniore descendunt, sed etiam masculis prospicitur; fœminarum vero salvum jus est dotium præstatione, impleturque Testatoris voluntas, qui opem ferre voluit ædificatione illa Monasterii fœminis, quæ sese Deo vellent offerre; adimitur autem hoc modo, atque hac dotalium subsidiorum præstatione difficultas omnis, quæ obesse poterat exequutioni voluntatis defuncti, & ipsarum Puellarum, si qua esset, quæ ob inopiam, reique familiaris angustiam, non posset dotem scut.200. Monasterio dare; cum nunc omnes, quæ Deo se aliquo Monasterio dicare velint, dotem habere possint scut.400.

Judicium denique Vicarii Capitularis huic, qui proponitur commutationis modo respondet. superest tantum, ut intima, quæ Sacro pectori Eminentissimorum Patrum inest Jurisprudentia, rationibus hisce, quæ a descendentibus a Jo. Baptista seniore dumtaxat proponuntur, perpensis, definiatur dubium.

An sit consulendum Sanctissimo pro Commutatione voluntatis quondam Canonici Martini de Dominis, & quomodo in casu &c.

Sess. 21. c. 4. de ref. THELESINA. Vicanii *S. Salvatoris*, qui Vicus est in Thelesina Diœcesi, defuncto nuper Archipresbytero unius Ecclesiæ, quæ in illo Vico est, quæque aucto Populo, qui nunc mille capita excedit, cum nimis esset angusta, longe amplior, & elegantior pecunia ipsorum Vicanorum extruitur, cum pauci in ea sint sacri ministri preces Sacratissimo Principi nostro obtulerunt, quibus postulabant, ut in eadem Ecclesia octo deinceps constituerentur Sacerdotes inter quos ipse Archipresbyter, & duo Cappellani qui in ea dudum constituti fuerunt pro sacris agendis, numerarentur, qui omnes operam suam præstarent Archipresbytero, eumque adjuvarent in cura animarum, & Ecclesiæ servitio: Stipendium vero Sacerdotibus his ex ipsius Ecclesiæ redditibus præstari posse dicebant, qui cum annuam summam excederent duc.400. satis esse poterant & ad stipendium Sacerdotum & ad congruam Archipresbiteri. Data fuit Sacro huic Tribunali postulationis hujusce cognitio, auditoque, ut fieri solet, Episcopo, probavit hic, laudavitque Vicanorum desiderium, retulit certos annuos Ecclesiæ redditus esse Ducatorum 410. & censuit indulgendum esse populi votis, ita tamen ut Ecclesia illa deinceps pro innumerata haberetur, relicta Episcopo Potestate Sacerdotes Participantes

in

in perpetuum eligendi Civium prælatione observata, & numerum Sacerdotum augendi auctis Ecclesiæ redditibus.

Placuit inde Sacro huic Tribunali Eminentissimum Pompejum Aldrovandum S. R. E. Card. Amplissimum, qui tunc Prodatarii munere fungebatur, rogare de sententia animi sui. Respondit, nihil proponi, cur adjungi deberent tot Sacerdotes Archipresbytero, cum duo jam essent in illa Ecclesia Cappellani, nec dignitati Archipresbyteri eos esse redditus adimendos, qui tot Sacerdotibus præstari deberent stipendii causa: censere igitur, ut & populi necessitati, & Ecclesiæ servitio, & indemnitati Archipresbyteri prospiciatur, duos alios Sacerdotes esse adjungendos, itaut deinceps quatuor sint, qui munus subeant Ecclesiæ serviendi, & Archipresbyterum adjuvandi.

Posthæc jussu Sacri hujus Senatus iterum auditus fuit Episcopus, qui retulit satis quidem esse quatuor Sacerdotum numerum, qui & Archipresbytero operam præstent, & Ecclesiæ servitium; at duos Cappellanos, qui in ea Ecclesia sunt, alios habere redditus ex eleemosynis Sacrorum, aliisque obventionibus a populo in eos collatis, quæ a bonis & redditibus Parochialibus diversi sunt, ut nihil vetet auctis his redditibus novos augere Sacedotes juxta sententiam, quam prima Epistola sua aperuerat.

Postulat nunc igitur populus ab hoc Sacro Tribunali quatuor saltem Archipresbytero Sacerdotes adjungi, qui ei operam præstent in cura Animarum. Postulat duos alios Sacerdotes Cappellanis adjungi, qui Ecclesiæ sarviant, quique non sacra tantum faciant, sed etiam alias subeant functiones, & officia Ecclesiastica, servata Episcopo facultate eorum numerum augendi, auctis redditibus: Postulat demum congruam sc.100. ab omni ouere immunem Archipresbytero adsignari, redditusque omnes, & obventiones incertas, quæ ratione curæ animarum percipi possunt; singulis vero quatuor Sacerdotibus, qui Archipresbyterum adjuvare debeant Duc.50. adsignari; Reliquos vero redditus tribui duobus Sacerdotibus Ecclesiæ servitio constituendis.

Non equidem ambigitur hanc Episcopis esse facultatem, ut si ,, Populus ita ,, numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacra- ,, mentis administrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, ,, vel alios ad quos pertinet sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, ,, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinumum cele- ,, brandum ,,: Jubente his verbis Tridentini Decreto, ut cum de aucto Populi numero nulla quæstio sit, nulla quoque de necessitate alios adjungendi Sacerdotes ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum peragendum, eo tantum deducenda sit disputatio, ut de numero Sacerdotum adjungendorum inquiri debeat, cum nihil Tridentini decreto definitum sit, sed vel ad Episcopum, vel ad ipsos Rectores pertineat tot Sacerdotes, quot sufficiant, adjungere. Cum igitur judicia Episcopi necesse sit octo Sacerdotes tum Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, tum cultui divino peragendo adjungere, & Eminentissimus Cardinalis Aldovrandus in ea fuerit sententia quatuor satis esse, qui Rectorem adjuvent in cura animarum, quo cum etiam Episcopus convenit ideo populus ut quatuor hi Sacerdotes ministrandis Ecclesiasticis Sacramentis adjungantur, culuti vero divino peragendo duo alii, ut aliis duobus Cappellanis, qui in ea Ecclesia sunt, adjuncti præstent Ecclesiæ servitium, aliasque subeant Ecclesiasticas functiones; minor enim numerus non satis esse videtur, cum decor divini cultus in Ecclesia fulgere debeat, & sacra solenmnia Religionis nostræ, diebus præsertim festis, ministrorum numero peragi debeant, ut est in *cap. ex parte de Constit.*, & *cap. quia per Ambitiosum, de rescript. in 6.*

Annua demum quantitas cum Archipresbytero, tum aliis Sacerdotibus ad signanda, ratione habita loci, & regionis illius ubertate, satis esse videtur, nec movere debet Archipresbyteri detrimentum, cui tantum detrahitur, quantum aliis Sacerdotibus tribuitur; nam cum jubente Tridentino necessitati Populi, & illius Ecclesiæ consulendum sit, nullo numero habenda est privata Rectoris utilitas, quæ publicæ necessitati, atque utilitati præstare non debet, ut monet *Ferret.consf.36.n.1.*, *Barbosa de Parochis par.1. cap.3. n.9. in princip. Ursaya discept. Eccles. vol.1. par.1. discep.14. num.82.*, *&* 146. Præsertim cum hæc reddituum adsignatio non præseferat divisionem, & translationem fructuum ad aliam Ecclesiam, aut aliud beneficium, sed sit simplex distributio inter Sacerdotes, qui eamdem operam in eadem Ecclesia præstare debent, quam Rector præstat; Nec nullum denique Datariæ Apostolicæ detrimentum infert, cujus jura salva sunt quantitate Congruæ Archipresbyteri, quæ respondet quantitati fructuum, qui in literis Apostolicis exprimi solent.

Hæc Populus: Onus nunc erit Eminentissimorum Patrum tria, quæ proponuntur Dubia definire.

I. An, & quot Sacerdotes deputari debeant pro coadjuvando Archipresbytero in exercitio Curæ Animarum in casu &c.

II. An, & quot Sacerdotes sint constituendi pro servitio Ecclesiæ in casu &c.

III. An, & qui redditus, & in qua quantitate sint inter eos distribuendi in casu &c.

Sess.24. c.4. de ref. AQUILANA DISMEMBRATIONIS. Baretis Oppidum sex Vicis componitur, quos inter unus est S. Viti. Sex illi Vici, atque alii duo, qui ad aliud Oppidum Cambiani in cujus districtu sunt, pertinent, suberant Ecclesiæ Parochiali S. Pauli Baretis, quæ extra Aquilam est, & in qua Vicarius est perpetuus, qui constituitur a Capitulo Ecclesiæ S. Pauli, quæ intra Aquilam est. Omnes octo Vici numerant paulo supra Vicanos mille; distant autem ab Ecclesia Matre, & Parochiali, quæ extra Aquilam est alter mille, alter quingentos passus, via undique facili, licet nivibus, hyeme, ut sub eo cælo contingit, obducta. Gratia tum Vicarii perpetui Ecclesiæ S. Pauli, tum Vicanorum constitutus fuerat triginta ab hinc annis in Vico S. Viti Cappellanus adjutor, qui populis illorum Vicorum Ecclesiastica Sacramenta ministraret; Atque ita res sese habuerunt ad annum usque 1740., quo plures Sacerdotes, & Clerici, aliique Vicani Baretis preces defuncto Aquilæ Episcopo obtulerunt, quibus rogabant, ut commoditatis, atque utilitatis communis causa divideret, & separaret Ecclesiam S. Viti ab altera S. Pauli eamque in Parochiam erigeret authoritate illa, quæ Tridentini Decreto Episcopis tribuitur.

Accesserunt his præcibus aliæ oblatæ nomine Reipublicæ, sive Communitatis Baretis, quæ tamen a duobus tantum Decurionibus signatæ erant; Hinc inceptum Judicium, jubente Episcopo, ut in Jus vocarentur omnes, quorum ea postulatio poterat interesse. Vocati sunt Archipresbyter, & Canonici Ecclesiæ S. Pauli, quæ intra Aquilam est, & Josias Crocentius Rector, sive Vicarius Ecclesiæ S. Pauli Baretis. Hos Episcopus monuit deliberasse Ecclesiam S. Viti a Parochiali dividere, & separare, proponerent igitur infra biduum, si quæ haberent Jura, nam die immediate sequenti divisurum se esse duas Ecclesias, & facturum formalem novæ Parochialis erectionem, eosque ob id monitos voluit ad nominandum novum Curatum, sive Rectorem. Excepit contra hæc Josias Crocentius, & pro-

protestationem emisit de juribus suis sartis tectis servandis etiam quoad redditus, si secus fieret, appellans ad Sanctissimum.

Post hæc Communitas Baretis iterum petiit, ut decerneretur divisio, & separatio duarum Ecclesiarum; Episcopus vero decrevit „ procedi ad ulteriora pro erectione, & respective dismembratione Parochiæ „; Mox sententiam tulit, qua divisit, & separavit Ecclesiam S. Viti, & quatuor alios vicos ex octo, quos supra memoravimus a Parochiali S. Pauli eamque Ecclesiam in Parochialem, & Curatam constituit, & erexit, jubens ut intra mensem ab Archipresbytero,&Canonicis Ecclesiæ S. Pauli, quæ intra Aquilam est,novus Rector,sive Curatus Parochialis Ecclesiæ S. Viti nominaretur. Annuam vero congruam alimentariam novo Rectori adsignavit in salmis sex frumenti, quas pridem Capitulum S. Pauli a quinque Vicis percipiebat, aliisque Salmis quinque, quas ab iisdem vicis percipiebat Josias Crocentius Rector Ecclesiæ Matris S. Pauli extra Aquilam,& demum in annua præstatione sc. 10. quolibet anno solvenda a Procuratore Cappellæ Suffragii sive Montis Mortuorum, quæ erecta est in eadem Ecclesia Matre S. Pauli ex redditibus auctis opera, atque industria Procuratorum ejusdem Cappellæ. Ut vero Ecclesiæ Matri suus honor servaretur, voluit Episcopus eadem sententia novum Rectorem S. Viti cum incolis quinque Vicorum die Festo S. Pauli ducta pompa, seu ut ajunt, processione, ad Ecclesiam Matrem accedere, & Cereum trium librarum deferre, a Rectoribus futuris Ecclesiæ S. Viti præstari annis singulis Vicario perpetuo Ecclesiæ Matris salmas duas frumenti, & eumdem Vicarium jus habere solemne sacrum canendi in Ecclesia S. Viti die Festo ejusdem Sancti.

Lata hæc sententia die 25. Novembris anni 1740. appellavit autem ab ea Josias Crocentius die 11. Januarii anni sequentis Administratores Reipublicæ, seu Communitatis Cambiani, ad quam pertinent, ut supra memoravimus duo ex octo Vicis, nullus tamen e quinque in sententia Episcopi divisis, & separatis ab Ecclesia Parochiali S. Pauli de nullitate dixerunt, quod vocata, & audita non fuerit Communitas. Appellarunt demum Cives Baretis; His tamen Appellationibus spretis, Episcopus die 28. Augusti 1741. erectionem fecit novæ Parochiæ, novumque illius Rectorem instituit Sacerdotem Antonium Muscam. Re igitur ad Sacrum hoc Tribunal delata, auditus fuit, ut fieri solet novus Aquilæ Episcopus, qui retulit, Vicanos omnes Vicorum, quibus Baretis Oppidum componitur clamasse, ipso præsente novo Rectore nolle antiquam Ecclesiam relinquere „ ob summam Populi devotionem erga Divum Paulum „ & petiisse pluribus propositis rationibus „ nullam declarari dismembrationem, novamque Erectionem „; Parochum Sancti Pauli post divisionem, & separationem Ecclesiarum ministrasse Vicanis Ecclesiastica Sacramenta: Vias, quæ ad Ecclesiam Matrem ducunt, nec asperas esse, nec præruptas, nec illas, quæ a quinque Vicis divisis & separatis ad eamdem Ecclesiam ducunt, flumine intercipi, ut Prædecessori Episcopo suggestum fuerat, sed quæ ducunt ab aliis duobus Vicis non separatis, & adhuc antiquæ Parochiali Ecclesiæ subjectis: De quantitate reddituum utriusque Parochiæ duos Rectores judicialiter convenisse: Redditus vero annuos sive certos sive incertos, deductis impensis, Rectoris Ecclesiæ S. Pauli esse duc.32 45. Rectoris autem S. Viti duc.40. 20. Capitulum S. Pauli obsistere huic divisioni ratione congruæ alimentariæ novo Rectori adsignatæ; Ipse demum Episcopus in ea est sententia potuisse consuli commoditati Vicanorum Cappellano adjutore perpetuo Rectoris S. Pauli.

Nunc itaque postulant Josias Crocentius, & Communitates Baretis, & Cambiani, ut Sacri hujus Senatus authoritate nulla declaretur divisio, & separatio duarum Ecclesiarum facta a defuncto Aquilæ Episcopo, & compelli

pelli Antonium Muscam Rectorem Ecclesiæ S. Viti ad restituendum Josiæ Crocentio Rectori S. Pauli redditus omnes, atque obventiones, quas hactenus percepit. Rationes autem, quibus præcipue nituntur, duobus capitibus conclusæ sunt, quorum alterum est defectus solemnium legitimi Judicii, alterum est defectus legitimæ causæ, ob quam divisio, & separatio isthæc ab Episcopo decerni, atque exequi potuerit.

Defectus solemnium Judicii, cujus ordinem supra narravimus, duo sunt, alter est Processum Judicialem perductum fuisse ad examen testium, & declarationem animi Judicis sine ulla monitione, atque interpellatione eorum, quorum poterat divisio isthæc & separatio interesse; Alter est quod sententia lata fuit ab Episcopo non vocatis & citatis Rectore S.Pauli & Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ S Pauli, quæ intra Aquilam est; Monitio siquidem his facta ab Episcopo circumducta, & resoluta fuit sese in Judicio sistente, & contra divisionem, & separationem excipiente Josia Crocentio Rectore Parochialis Ecclesiæ S. Pauli, qui protestationem de Juribus suis sarctis tectis servandis emisit, ut superiore loco memoravimus.

Accedit defectus citationis Vicanorum, & Incolarum octo Vicorum, quibus Oppidum Baretis componitur; licet enim non desint plures Pontificii Juris interpretes, quibus placuit in unionibus, aut divisionibus, & separationibus hisce necessarium non esse Populi consensum, nullus tamen eo rem perduxit, ut diceret fieri posse ignorante, aut invito Populo, cum sua interesse, & detrimentum eidem Populo inferre possint uniones hæ, aut separationes. Detrimentum vero, atque interesse in nostra specie apertum esse; nam si hac separatione salva non est Rectori Parochialis Ecclesiæ S. Pauli congrua alimentaria, compelli poterunt Incolæ Vicorum, qui divisi, & separati non fuerunt, ad supplendum quod deest, idemque Jus observandum erit quoad Incolas Vicorum, qui a Parochiali Ecclesia S. Pauli divisi, & separati fuerunt.

Defectus vero legitimæ causæ, ob quam separatio Ecclesiarum a defuncto Episcopo decerni atque exequi potuerit, plures sunt: Consultum satis fuisse Vicanis S. Viti, aliorumque finitimorum Vicorum jam inde ab anno 1712., quo Cappellanus adjutor constitutus fuit, qui Populis illis Ecclesiastica Sacramenta ministrabat, ut nihil causæ esset, cur separari, & avelli Ecclesia illa a Matre deberet, & nova Parochia constitui, atque erigi ab Episcopo; divisio siquidem, & separatio Ecclesiarum remedium est subsidiarum, cui locus esse non debet, nisi alia ordinaria deficiant juxta doctrinam *Lapi Alleg.66.* quem probant, & sequuntur juris Pontificii Doctores apud *Fagnanum in cap. ad Audientiam num.14. de Eccl. Ædif. Reinfestuel. ad lib.3., Decret. tit.48. §.1. num.13. Lotter. de re Benef. lib.1. quæst.28. n.num.24. & seq.*

Nullum quoque obtenti posse colorem huic divisioni vel ex augmento Populi, vel ex locorum distantia; non enim monstratur Populum auctum fuisse, & si monstraretur, satis hoc casu consultum fuisse Tridentini decreto, quo jubetur ut Episcopi *cogant Rectores ad adjungendos sibi tot Sacerdotes, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum*: defectum vero *distantiæ locorum, sive difficultatis*, ob quam *Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possint*, ut his verbis decernit Tridentinum, apertum esse in nostra specie manifestum facit relatio tum defuncti, tum præsentis Episcopi, tum demum litigantium Parochorum consensus; conveniunt siquidem omnes, alios ex octo Vicis distare ab Ecclesia Matre quingentis passibus, alios mille, via facili, non aspera, non prærupta, non fluminibus intercepta, ut facile cognoscatur defuncto Episcopo falsum fuisse suggestum. Non

Non igitur ſpectandos eſſe teſtes, qui tres aut quatuor caſus retulerunt quorumdam, qui ſive Eccleſiaſticis Sacramentis ceceſſerunt, cum colligi nequeat id accidiſſe, ſi verum ſit contigiſſe, ob locorum diſtantiam, vel itineris, & viarum dificultate, nam in tanta viæ brevitate negligentia potius domeſticorum, & familiarium eveniſſe cenſendum eſt, ut tradunt *Spada conſ.92. ſub num.7. lib.2. & Pignattell. vol.4. conſ.230. num.19.* Atque ex his manifeſtum eſſe, quanta iniquitate inficiatur Epiſcopi defuncti ſententia, quæ cauſas diviſionis, & ſeparationis habet, diſtantiam vicorum a Parochiali Eccleſia S. Pauli, aſperam, & ſalearoſam viam: flumine interceptam, & caſus eorum, qui ſine Eccleſiaſticis Sacramentis oobierunt: Iniquitatem vero ejuſdem ſententiæ augeri ex adſignatione congruæ alimentariæ, cum ex facto, de quo Parochi collitigantes judicialiter, ut ſupra narravimus, convenerunt, conſtet redditus Rectoris Eccleſiæ Parochialis eſſe duc.32 45. qui ob id congruam non habet. Cum contra redditus Rectoris diviſæ, & ſeparatæ Eccleſiæ S. Viti ampliores ſint, nam habet duc 40. 20.

Cum itaque ex his, quæ hactenus propoſita ſunt, conſtet ſeparationem ab Epiſcopo factam, ſententiamque ab eo latam, nullitatibus, & injuſtitia infectam eſſe, colligit Joſias Crocentius non amiſiſſe eum poſſeſſionem ſaltem civilem, & naturalem, eo, quo poterat modo, ſervaſſe, cum Vicanis diviſis licet, & ſeparatis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtraverit; atqne ob id cuſtodiendam eſſe ab hoc Sacro Senatu ejus poſſeſſionem, & manutentionem, quæ in quacumque judicii parte peti poteſt, ſibi eſſe indulgendam, ut definitum eſt fuit *apud Emerix Jun. dec.1048. & Otthobonm dec.6.* & conſequens eſſe, ut fructus, redditusque omnes, & obventiones a Parocho Eccleſiæ diviſæ hactenus perpetuæ, ſibi debeantur, nam poſſeſſorem ſequuntur, ut tradunt *Bertacc. Vot. dec.117. numer.2., & Urſaya diſcept. Eccleſ. vol. octavum part. prima diſcep.29. num.19.*

Eoque amplius, quod exequutio illius ſententiæ, & actualis ſeparatio, ac novæ Parochialis erectio attentata fuerit, cum facta ſit a defuncto Epiſcopo poſt appellationes Rectoris Eccleſiæ Sancti Pauli, & Civium Baretis: quæ appellationes ſpectari ab Epiſcopo debebant, non ſperni non enim Tridentini Decreto ſublatum fuit jus appellationis, ut diſputant *Fagnanus in dicto Capitulo ad Audientiam num.45., & ſeq. Lotterius de re benef. lib.1. quæſt.22. num.* Et omnium latius *Amoſtaz. de cauſ. Piis lib.5. cap.4. a num 14. ad ſeq.*

Hæc differunt Joſias Crocentius, & Communitates Cambiani, & Baretis Sacerdotes Antonius Muſca novus Rector Eccleſiæ S. Viti nondum rationes ſuas edidit: Cognoſcant igitur EE. PP. de binis, quæ ſequuntur, Dubiis.

I. *An diſmembratio Parochialis Eccleſiæ S. Pauli Baretis, & reſpective erectio novæ Parochiæ in Villa, & Eccleſia S. Viti ab Epiſcopo expleta ſuſtineatur in caſu &c.* & quatenus negative.

II. *An, & quos fructus, redditus, & proventuus teneatur reſtituere novus Parochus in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 8. Februarii 1744.



UM in ultima Congregatione habita *die 25. Januarii* quinque, quas hic damus, Causæ propositæ non fuerint, ne pigeat EE PP. ea, qua præstant humanitate *folium illius Congregationis* iterum legere, ut sapientissimo eorum Judicio definiri possint.

Sess. 25. c. 4. de ref. CALLIEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS, in qua quæritur.
An sit locus reductioni applicandi singulis diebus Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 25. c. 19. de Ref. LISBONEN. NULLITATIS PROFESSIONIS, cujus dubium est.
An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmative.

Sess. 22. c. 4. de ref. NULLIUS TERRÆ PONTIANI COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, in qua definiendum est.
An sit consulendum Sanctissimo pro Commutatione voluntatis quondam Canonici Martini de Dominis, & quomodo in casu &c.

Dilata, & ad Mentem, necnon audiatur Eminentissimus Commendatarius. Mens est quod compellantur hæredes ad solutionem Debiti.

Sess. 21. c. 4. de ref. THELESINA, in qua tribus Dubiis respondendum est.
I. *An, & quot Sacerdotes deputari debeant pro coadiuvando Archipresbytero in exercitio Curæ Animarum in casu &c.*
II. *An, & quot Sacerdotes sint constituendi pro servitio Ecclesiæ in casu &c.*
III *An, & qui redditus, & in qua quantitate sint inter eos distribuendi in casu &c.*

Ad I. esse deputandos duos Coadjutores tantum. Ad II. Negative, & servetur solitum. Ad III. assignandos esse Ducatos 50. pro quolibet duobus Coadjutoribus deputandis ex redditibus Parochi, & amplius.

Sess. 21. c. 4. de Ref. AQUILANA DISMEMBRATIONIS, in qua cognoscendum est.
I. *An dismembratio Parochialis Ecclesiæ S. Pauli Baretis, & respective erectio novæ Parochiæ in Villa, & Ecclesia S. Viti ab Episcopo expleta sustineatur in casu &c.* II. *An,*

II. *An, & quos fructus, redditus, & proventus teneatur restituere novus Parochus in casu &c.*

Ad I. Negative, & Episcopus mandet deputari Cappellanum Coadjutorem in Ecclesia S. Viti sumptibus Parochi. Ad II. Negative.

SAVONEN. Diruta fuerunt, ut Arx Savonæ munitissima extrueretur, cum nullus aptior locus esset, Cathedralis Ecclesia, Ædes Episcopales, & Monasterium S. Dominici: Paulus vero IV. Pontifex Optimus Maximus Templum, eique adjectum Monasterium S. Francisci in Cathedralem Ecclesiam erexit, eamque cum Juribus omnibus tribuit, concessit, atque adsignavit *Episcopo, Capitulo, Canonicis, & Personis ipsius Ecclesiæ Savonensis*, ortisque inter Capitulum & Patres Franciscanæ Familiæ controversis, transactione sopitæ fuerunt, quam probavit Providentissimus Princeps Xistus V. Sed cum primum ad Episcopatum illum erectus fuit Franciscus Costa, id sibi credidit negocii datum fuisse, ut ad novam Cathedralem construendam animum appelleret. Igitur coacta publica, privataque pecunia, nam Respublica; sive Communitas Savonæ libras contulit 20. mille, contulerunt Cives, contulerunt Collegia & Corpora Artium, contulit ipse Episcopus libras alias 20. mille, superatis constantia, cura, consilio, fortissimi Episcopi, difficultatibus omnibus, splendidissimum opus exactum tandem, absolutumque fuit anno 1602. insculpto supra Chorum, & supra Majorem nobilissimi Templi Portam stemmate Urbis, appositaque Marmori inscripta Epigraphe CONSILIO, ET INDUSTRIA PETRI FRANCISCI COSTA EPISCOPI SAVONENSIS HOCCE TEMPLUM ÆRE PUBLICO ET PRIVATO PROPRIUM MARIÆ VIRGINI POSUERE ANNO MDCII. Sess. 14. c. 12. de reform. & Sess. 25. c. 9. de ref., & Sess. 22. c. 9. de ref.

Duo in hoc Templo extructa fuere Sacraria, quorum alteri præest Ædituus, qui a Capitulo eligitur, alteri vero præsunt Administratores Fabricæ Ecclesiæ, qui Massarii vocantur, quique singulis annis Comitiis publicis eliguntur; horum munus, & cura est servandi Sacram suppellectilem, & vasa aurea atque argentea, quæ Cathedrali Ecclesiæ munificentia Summorum Pontificum, Episcoporum, aliorumve donata fuerunt, & redditus, aliasque oqventiones, oblationesque Ecclesiæ factas administrandi. Hoc rerum ordine ventum est ad annum 1740. quo Savonensis Episcopus *die* 22. *Februarii* officii sui esse censuit Edictum proponere, cujus tria erant capita. Primum vetabat, ne ab Administratoribus sive Massariis Cathedralis Ecclesiæ removerentur, quæ in ea erant sedilia, seu scamna, neve loca novis collocandis in eodem Templo venderentur; ne sedes Confessionibus Sacramentalibus excipiendis removerentur, vel aliæ substituerentur inconsulto Episcopo. Jubebat alterum, ut Massarii sese intra fines sui muneris, officiique continerent, & Synodales Constitutiones observarent, quibus cautum est, ut Massarii singulis annis de eorum administratione rationem reddant; Tertium demum jubebat, ut iidem repertorium, sive Inventarium facerent bonorum, sive mobilium, sive immobilium Ecclesiæ juxta Constitutionem Benedicti XIII. Pontificis Optimi Maximi, cujus initium est *Maxima Vigilantia*, statuto ob id certo tempore.

Appellarunt ab hoc edicto Massarii, & post plures ab Episcopo indultas dilationes Libellus oblatus fuit Sacratissimo Principi nostro nomine Communitatis, Magistratus, & Massariorum, quo sibi afferebant totius Ecclesiæ Cathedralis Juspatronatus (nam de ea Templi parte, in qua Chorus est, non ambigitur, cum sibi illud servaverit Communitas, dum coacto ordinis Concilio libræ 20. mille, quas supra memoravimus datæ

 fue-

fuerunt, nec de illa parte quæstionem movet Episcopus) & edicto illo læsum fuisse Jus Civitatis, & Massariorum. Data igitur negocii hujusce cognitione Sacro huic Tribunali, auditoque Episcopo, qui longa, diligentique epistola rem omnem retulit, postulat nunc Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis definiri *non constare de Jure Patronatus totius Ecclesiæ Cathedralis, & Edictum Episcopi esse exequendum*.

Juris siquidem præsumptionem libertati, non servituti savere, quæ eo amplius in majoribus, & Cathedralibus Ecclesiis locum habet, quod acquiri earum Patronatus non possit tribus cognitissimis Titulis, Fundationis, Constructionis, & Dotis, nisi cum iis conveniat consensus Summi Pontificis in ipso limine fundationis, ut ducto validiori argumento favore Cathedralis Ecclesiæ ex rescripto Pontificis *in cap. nobis de Jure Patron.* quod de Ecclesiis Conventualibus est, disputant *Corrad. in Praxi Benef. lib. 2. cap. 9. n. 34. Tondut. quæst. Benef. part. 2. cap. 2. §. 2. num. 7. Leuren. in For. Benef. vol. 1. par. 2. sect. 1. de Jurepat. quæst. 33.* ut cum nequeant Massarii monumentum aliquod proponere, si de veteri Cathedrali Ecclesia sermo sit, Fundationis, Constructionis, & Dotis, nec monstrare possint consensum Summi Pontificis, frustra Communitas totius novæ Ecclesiæ Cathedralis sibi vindicet Patronatum.

Nec quidquam obesse Communitatem, ejusque Massarios a tempore, cujus initii nulla memoria est, onus ferre, & curam Fabricæ Ecclesiæ, de qua etiam cautum est in antiquis Civitatis statutis; Nam cum statutum illud, a cujus disposione obvenit Fabricæ beneficium, singulis decenniis confirmari debeat, consequitur adsignationem illam, quæ fit a Statuto Fabricæ Ecclesiæ, voluntariam esse, & resolubilem, & ob id non posse ad causam dotis referri, quæ certa, & perpetua esse debet. Quod si adsignatio illa certa esset, & perpetua, nec a statuti confirmatione penderet, non posset tamen nomen, & titulum dotis accipere; ut enim hanc habeat naturam necesse est, ut nedum Fabricæ, Suppellectili Ecclesiæ satis sit, sed etiam conveniat necessitati alendi Canonicos, Ministros, aliosque, qui Ecclesiæ servitium præstant; nam si secus sit, qui ad partialem usum Ecclesiæ ejusque Fabricæ aliquid tribuit, non Patronus, sed Benefactor vocari debet, ut post alios monstrat *Pignatel. consult. 204. n. 6. vol. 4.* quo etiam nomine vocatur, qui aliquid donat, tribuitque Ecclesiæ jam perfectæ & dotatæ, etiamsi larga donatio sit, & contributio, ut ex doctrina *Jo. Andreæ in cap. 1. de Jurepatr.* differunt Interpretes, ea ratione, quod ut Juspatronatus acquiratur, opus est expressa dotis causa donationem fieri, antequam Ecclesia perfecta sit, quæ ratio non habet locum in nostra specie, cum adsignatio, quæ in statuto est, non fuerit facta causa, & nomine Dotis, sed potius naturam habeat oblationis, quæ fit Ecclesiæ jam dotatæ & perfectæ.

Accedit hanc adsignationem, atque attributionem fieri non ex propriis bonis, & redditibus Civitatis, sed a Collegiis, & Corporibus Artium, atque ob id nullum Juspatronatus acquirere potuit aut ipsa Civitas, aut ipsa Collegia, & Corpora, aut quilibet alius de Populo, sed omnes Benefactorum numero censendi sunt, non Patronorum, ut differunt *Pignatel. d. consult. 204. n. 5. Card. de Luca de Jurisd. disc. 42. n. 3. & de Jurepatr. disc. 12. in fin. & de Paroch. dis. 32. num. 5. Eminentissimus Petra ad Constit. 1. Anastasii IV. sect. 2. n. 35. vol. 2.*, & definitum dicitur ab hoc Sacro Senatu in *Consentina Cappellæ die 19. Novembris, & die 3. Decembris 1729. ad primum Dubium*.

Administrationem vero reddituum Fabricæ, & Sacræ Suppellectilis custodia, quæ pœnes Massarios sunt, nihil pertinere ad Jura Patronatus, nec ab administratione ad Patronatum recte argui posse, cum ob id illi administrationem habeant, quod redditus Fabricæ veniant ex eleemosynis, at-

que

que oblationibus Populi, & Civitatis, quæ nullum Jus Patronatus tribuere possunt: Ut his omnibus probe perpensis, facile dignosci possit nullum Communitatem, & Populum in veteri Ecclesia Cathedrali Juspatronatus habere potuisse, quod etiamsi habuisset, ea tamen diruta destructaque Summi Pontificis authoritate, extinctum fuisset, nec in nova Cathedrali Ecclesia in alieno fundo constructa resurgere potuit, & reviviscere, licet prima in fundo ipsius Civitatis ab ipsa Civitate ædificata fuisset, nisi ultra fundum, & ædificium monstraret Civitas congruam dotem in veterem, quæ diruta est, Ecclesiam collatam fuisse, quæ dos in secundam translata fuerit, ut explicant *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 6. artic. 3. & 4. Vivian. eodem tractat. part. 1. lib. 1. cap. 1. n. 47. & lib. 2. cap. 5. n. 34. Frances de Eccles. Cathedr. cap. 26. num. 270.*

Si vero de nova Cathedrali Ecclesia sermo sit, nullum titulum, qui Juspatronatus dare possit, a Civitate monstrari; Fundus enim novæ hujus Ecclesiæ ad Patres Franciscanæ Familiæ spectabat, ut supra narravimus, & a Paulo IV. Pontifice Maximo donatus fuit Episcopo, & Capitulo. Dotem vero novæ Ecclesiæ a Civitate datam nulla probatio est, ut omnis disputatio ad unum constructionis titulum deduci possit. Cum vero ex facto constet novam Ecclesiam non publica tantum Civitatis pecunia constructam fuisse, sed ut memoravimus, pecunia etiam Episcopi, & Collegiorum, & privatorum Civium, quod non illa tantum, quam dedimus, Inscriptio manifestum facit, sed & aliæ duæ, quarum una insculpta fuit primo lapidi auspicato in fundamentis posito, altera in postica numismatis parte, consequitur, ut cum plures ad Ecclesiæ constructionem pecunias contulerint, nulli Juspatronatus quæsitum fuit, & libera est Ecclesia, ut defendunt *Pignatell. consult. 204. n. 5. vol 4. Card. de Luca de Jurisd. disc. 42. n. 3.* & constans est S. Rotæ sententia, ut aliis omissis est apud *Molin. dec. 1258. n. 7. vol. 5.*

Quod etsi constaret novam Cathedralem pecunia solius Civitatis integre ædificatam fuisse, nihil tamen actum esset defectu concursus aliorum titulorum Fundationis, & Dotis, qui omnino concurrant necesse est; satis enim est unus ex illis titulis, cum Ecclesia oritur serva, ut est, si unus construat, alius fundet, & alter dotet, itaut omnes Patroni fiant. At cum Ecclesia uno ex illis titulis libera oritur, & a servitute immunis, non satis est sola constructio, ut Juribus Patronatus subjecta sit, nam libera erit, nisi sibi, qui eam construit, expresse servet Juspatronatus; idque a Summo Pontifice comprobetur, quo casu Juspatronatus ex privilegio quæsitum diceretur, ita probe distinguentibus *Fagnan. in cap. quoniam num. 26. de Jure patr. Piton. de Controv. Patron. alleg. 54. num. 24. & 25. & definitum est a S. Rota, ut apud Molin. d. decis. 1250. num. 9. vol. 5.* Atque ob id deficientibus tribus titulis, Jura patronatus educi non possunt ex stemmatis & Insigniis Civitatis, quæ in interiori Ecclesiæ parte apposita fuerunt, cum possint commodissime referri ad donationem, & collationem 20. mille librarum, non ad Juspatronatus; præsertim cum facto ipso Civitatis probetur numquam ei in mentem venisse Universæ Ecclesiæ Patronatum acquirendi, dum in ipso actu publico, quo ab Ordine decretum fuit præstandas esse in ædificium Ecclesiæ libras 20 mille, servavit sibi tantum Juspatronatus Chori ipsius Templi, quæ partialis reservatio excludit Patronatum totius Ecclesiæ, ut post *Lambertin. de Jurepat. lib. 1. part. 2. quæstion. 1. art. 9. num. 18.* advertit *Lancetta decis. 787. num. 13. vol. 3.*

Atque hæc de Jurepatronatus: nunc de edicto Episcopi disserendum est. Cum autem primo ejus capite interdicta fuerit Massariis servitus *activa*, quæ præsefert jurisdictionem in Ecclesia, idest facultas amovendi, & ven-

 dendi

dendi Sedilia, & Loca iis collocandis inconsulto Episcopo, spectet autem ad Episcopum, ut omnes norunt, plena Jurisdictio in Ecclesia, consequitur rectissime ab eodem vetitum fuisse Massariis, quod jure iisdem facere non licebat: nec quicquam obstante diuturno usu, & contraria consuetudine, quam ex facto negat Episcopus, qui monstrat actus contrarios ab Episcopis gestos; & ex jure, quod etiam si hæc probaretur consuetudo, dicenda esset abusus, quem Sacri Canones improbant, cum Laicis permittatur tantum facultas retinendi in Ecclesia Sedilia, & scamna, quæ facultas *facti usum* habet, non vero *usum Juris* vendendi eadem sedilia, & loca iis collocandis, quod præsefert dominium, & jurisdictionem in Ecclesia, quæ soli Episcopo competit.

Altero vero capite, quo cautum est, ut Massarii sese intra fines sui muneris continerent, nihil peccatum fuisse. Perspectam siquidem, cognitamque esse doctrinam *Archidiaconi in Can. Laicis* 17. *quæst.* 7. quam probant omnes & præsertim *Vanespen. in Jus Eccles. par.* 2. *tit.* 33. *cap.* 10. *n.* 26. *& plene Eminentissimus Petra ad Const.* 1. *Anastasii IV. sect.* 2. *num.* 48. triplicem esse Ecclesiarum, earumque Fabricæ, & reddituum administrationem, aliam, quam *providentialem* dicunt, quæ Laicis competit: aliam, quam vocant *Ministerialem*, quæ ad Ecclesiæ Rectorem, & ad Capitulum pertinet: Tertiam, quæ *Præheminentialis* dicitur, & soli Episcopo data est, ut cum prima tantum, quæ *Providentialis* habetur apud Massarios esse possit, nihil in hoc edicti capite sit, quod vitio verti possit.

Aperto quoque Tridentini decreto cautum fuisse, ut Administratores tam Ecclesiastici, quam Laici Fabricæ cujusvis Ecclesiæ etiam Cathedralis singulis anni teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis; quod locum habet, etiam si Administratores dati fuerint ab Ecclesiæ Patrono, ut respondisse constat hunc Sacrum Senatum in *Cajetana* 2. *Julii* 1718., & consequenter non posse hanc edicti partem objurgari a Massariis, qui frustra contrarium usum, & consuetudinem obtendunt, cum illa a Tridentino improbetur, una tantum data exceptione, *nisi secus forte in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ, seu Fabricæ expresse cautum esset*, quæ exceptio a Civitate non monstratur, tum etiam quod hæc contraria consuetudo ex facto non constat, & elisa penitus est contrariis actibus, qui ab Episcopo proponuntur.

Tertio vero capitæ quod est de repertorio honorum Ecclesiæ, impletas fuisse Constitutiones Summorum Pontificum, quibus hoc jussum fuit, & præsertim Benedicti XIII. Constitutionem; impletas quoque fuisse Constitutiones Synodales, ut nihil locus sit querelis Administratorum, qui parere deberent, ut paruerunt Massarii anno 1633., quo Ecclesiam visitante Episcopo Francisco Maria Spinula descripta fuerunt ejus jussu bona omnia, & Sacra Suppellex: atque ob id frustra a Massariis proponi rem plane novam jussisse Episcopum & immemorabili contrariæ consuetudini adversam. Frustra quoque a Civitate negari Constitutionem Benedicti in Ecclesiis Patronatui subjectis locum habere, cum sive ex mente, sive ex littera ejusdem Constitutionis contrarium verius sit. Frustra demum proponi eam locum habere, ubi repertorium, sive Inventarium non extet, ut cum a Massariis factum sit juxta Civitatis statuta, actum non sit iterum agendum; nam ut hæc repertoria ab Administratoribus facta legitima sint tum Xisti V., tum Benedicti XIII. Constitutionibus, tum denique Concilio Romano cavetur, *ut Episcopis pro recognitione & approbatione simul exhiberi debeant*.

Atque hæc ab Episcopalis Curiæ Promotore Fiscali differuntur: Civitas, Magi-

Magistratus, & Massarii nondum rationes suas libello complexi sunt. Definiendum est igitur.

I. *An constet de Jurepatronatus Ecclesiæ Cathedralis in casu &c.*

II. *An Edictum Episcopi publicatum die 22. Februarii 1740. sit exequendum in casu.*

Dilata ad sequentem, & ad mentem.

CÆSENATEN. SEU FERETRANA NULLITATIS PROFESSIONIS: Ea fuit ingenii natura Michael Gallius incola Turricellæ (quod Castrum est in Feretrana Diœcesi) ut in amicos, aliosque, quibus cum versabatur, summa humanitate, & comitate uteretur, in uxorem vero filiosque tanta inclementia, in humanitate, atque asperitate ferretur, ut uxorem honestissimam levissimis causis fuste crudelissime pertunderet, eamque armis, mortem quoque illaturus, impeteret, filium ante ipsum Templum ita calce percusserit, ut semi animis redditus fuerit, filiam quæ sponsalia contraxerat, iisdem renunciare coegerit, & invisum virum, quem offerebat, accipere. Atque hac ingenii asperitate evenerat, ut ejus uxor, & liberi eum gravissime timerent, nec auderent obloqui, sese felices reputantes, quo tempore abesset; Nam aberat ille aliquando ab ipso Castro negociis distractus; cum vero domum repeteret, pallerent omnes, & illius conspectum fugerent, non equidem imprudenter; nam minacibus verbis, strepitu, verberibus, & fœmineo ululatu pulsa domus & Vicinia resonabant, & accurrerent frequenter Vicini, ut sive uxorem, sive liberos periculo liberarent, de sævitiis atque asperitate isthac nequicquam a Parocho, graviter licet correptus. Sess.25.c.19. de reg.

Hujus ingenii Pater filium majorem nomine Paulum invitum quidem, sed obloqui & contradicere non ausum Monasterium ingredi voluit Ordinis *Cappuccinorum*, in quo Professionem emisit accepto nomine *P. Fidelis a Turicella*, Dum vero Michael Pater vitam egit, quievit Filius, sed eo vita functo, preces obtulit Summo Pontifici, & Episcopo Imolensi mandata fuit Jurisdictio; nihil tamen actum est, quod paratæ ab eodem nullæ probationes essent, quibus tandem collectis novus Sanctissimo Principi Libellus oblatus fuit, quo postulabat in integrum restitui adversus lapsum quinquennii, dataque huic Sacro Tribunali causæ cognitione, mandata fuit Cæsenæ Episcopo Jurisdictio, quod in illa Civitate P. Fidelis professionem emisisset, a quo delegatus fuit Canonicus Michael Varronius, qui in jus vocato Monasterio, ac tresdecim testibus formiter repetitis, quos inter duo, quod longe abessent, repeti non potuerunt, processum judicialem ad Cæsenæ Episcopum misit, qui ipsum P. Fidelem, atque alium ejusdem Ordinis Sacerdotem audivit: His expletis postulat nunc P. Fidelis, ut Sacri hujus Senatus authoritate in integrum restituatur, cum ingressus in monasterium & Professio in eo emissa ob metum a Patre illatum nulla fuerint defectu consensus.

Metus filii ex iis, quæ a Testibus omnibus referuntur, aperte probatur, narrant siquidem omnes atrox Patris ingenium in uxorem, & liberos, minas, sævitias, verbera, & quæ alia supra memoravimus, narrant communem fuisse in illo Castro opinionem, coactum fuisse filium metu asperrimi Patris nomen vitamque, invitum licet nolentemque, dare severæ *Cappuccinorum* disciplinæ: Mater vero, aliique referunt noluisse domo discedere, ut ad monasterium iret, sed cum de Patre metueret, ivisse: sunt qui factum proprium narrent, loquutos fuisse cum Patre, invitum filium in monasterio detineri, præstaret igitur opem & consensum, ut egredi

egredi posset, rejectos vero fuisse ab eo, repulsosque acriter, atque impudenter. Ex iisdem Testibus constat de metu, quem filius servabat etiam, postquam Monasterium ingressus fuerat, ut ex his omnibus colligat Fidelis nullam fuisse Professionem suam, cui metus jam inde ab infantia eidem a Patre incussus barbarie, sævitiaque sua, causam dedit, quam ratam habere non potuit, quod vivo Patre metus non cessaret, nec quinquennii fugam obesse posse ob declarationes contrariæ voluntatis, de quibus Testes testificationem faciunt.

Judicium denique Episcopi Fideli favet, qui censet nullam fuisse Professionem quam emisit, & in integrum esse restituendum: Expensis igitur hisce, quæ a Fideli tantum proponuntur, rationibus, definiendum erit Dubium.

An sit concedenda restitutio in integrum in casu &c.

Negative.

Sess. 22. Dec. de obser. & evit. in celeb. Missæ.

ROMANA LEGATI. Testamentum Joannis Pasquæ Canonici Basilicæ SS. Laurentii, & Damasi causam dedit subtili controversiæ, quæ Sacro huic Tribunali definienda proponitur, ut præcidantur dissidia, quæ futuris temporibus oriri possent. Legatum ille scripsit illius Basilicæ Cappellanis Choralibus, qui vulgo Chiericoni vocantur, dato onere sacrorum his verbis: ,, E per l'altra rata, e quantità di scud. 120. debba ,, pagarsi a quattro Cappellani, cioè scud. 30. a ciascheduno di essi, & ,, in ogni mese Giulj 25. & in ciascheduno Anno in perpetuo con il peso ,, a detti Cappellani, a ciascheduno di essi di celebrare in detta Chiesa ,, quindici Messe il mese per ciaschedun Cappellano per l' Anima &c. Inde considerans casum, quo nullus eorum idoneus esset, aut alter ex eis, hæc adjecit verba, ut integra ejus mens percipi possit, necessario exprimenda: ,, Ma perchè si potrebbe dare il caso, che li detti quattro Chie- ,, riconi o alcuno di essi non fossero idonei per detta Cappellania, in tal ,, caso ordino, e voglio, che l'obligo delle Messe quindici il mese, che ,, deve celebrare ciaschedun Cappellano si faccia sodisfare nel Collegio ,, de Sig. Beneficiati, Chierici Beneficiati, e Cappellani Valtrini repar- ,, titamente, come fossero Cappellani di Coro, sin a tanto che possa- ,, no passare, e saranno idonei per le dette Cappellanie li Chiericoni ,, del Coro.

Hinc duæ inter Cappellanos Chorales, & Valtrinum Collegium ortæ quæstiones, intendentibus Cappellanis substitutionem Collegii Valtrini locum habere eo tantum casu, quo nullus e quatuor Cappellanis, quibus Testator legavit, idoneus sit oneri Sacrorum implendo, non vero cum unus, aut alter, hoc enim casu onus, & emolumentum non ad substitutum, sed ad alios Cappellanos, qui idonei sunt, deferri *jure accrescendi*, seu *non decrescendi*: Et si contrarium verius videatur, intendunt iidem Cappellani chorales non posse compelli ad solvendum Collegio Valtrino integrum stipendium Sacri cujuslibet a Testatore statutum *in obulis sexdecim, & dimidio*, sed tantum *Julium unum*: & quod reliquum est lucrifacere posse. Placuit Eminentissimis Patribus audire Eminentissimum Ruffum S. R. E. Vice-Cancellarium, & illius Basilicæ Commendatarium, eumque rogare de sententia animi sui, qui disertissima epistola secundum Collegium Valtrinum in utraque quæstione respondit.

Postulat nunc itaque Collegium Valtrinum, ut juxta Eminentissimi Ruffi sententiam utraque quæstio ab hoc Sacro Tribunali definiatur; Facile siquidem ex aperta litera Testamenti cognosci posse primam quæstionem contra

contra Cappellanos Chorales definiendam esse, nam si Testator consideravit utrumque casum, *che li detti quattro Chiericoni, o alcuno di essi non fossero idonei*, & in utrumque casum substituit Collegium Valtrinum, jam consequitur, ut si *alcuno di essi* idoneus non sit, non ad alios Cappellanos chorales, qui idonei sint, onus, & Emolumentum deferatur, sed ad Valtrinios substitutos, cum evenerit conditio, a qua substitutio pendebat, & consequenter factus sit locus admissioni substituti.

Pari quoque facilitate alteram definiri posse quæstionem sive inspecta Juris dispositione, sive voluntate Testatoris: & Juris quidem dispositione; nam quidquid certaverint ii, qui eam Theologiæ partem excoluerunt, quæ de moribus est; convenit nunc iter Pontificii Juris Interpretes non posse eum, cui pinguius stipendium sacro agendo præstatur, aliquod retinere, si alteri Sacerdoti mandet, ut Sacrum faciat, sed integrum, quod accipit stipendium delegato Sacerdoti præstare debere, ut post decreta generalia Sacri hujus Tribunalis ab Urbano VIII. & Innocentio XII. Pontificibus Maximis probata, quæque referuntur *a Mattheucc. in Offic. Cur. Eccles. cap.*10. §. 1. *num.* 9. *& Vrsaya vol.* 4. *par.* 2. *discept.* 22. *num.* 61. tradunt aliis omissis *Barbosa in Collect. decis.* 476. *n.* 2. *&* 7. *& de Offic. & Potest. Episc. alleg.* 24. *num.*12. *Amostaz. de causis piis lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 28. *late idem Vrsaya dicta discept.* 22. *num.* 63. *&* 65. Voluntate vero Testatoris, qui si Valtrinios substituit oneri implendo *come fossero Cappellani di Coro*, jam consequitur voluisse eum, ut idem stipendium acciperent, quod accipiebant Cappellani Chorales, in quorum, aut cujuslibet ipsorum locum subrogabantur.

Hæc a Collegio Valtrino proponuntur: Cappellani Chorales Jura sua nondum ediderunt: cognoscendum igitur est, qua Juris ratione duo, quæ sequuntur dubia, sint definienda.

I. An Missæ ordinatæ in Testamento bon. mem. Canonici Pasqua celebran. in Basilica SS. Laurentii & Damasi per Cappellanos Chorales ejusdem Basilicæ ob deficientiam sive incapacitatem unius vel plurium dictorum Cappellanorum, celebranda sint per Beneficiatos, Clericos Beneficiatos & Cappellanos Valtrinos, *& quatenus affirmative.*

II. An Eleemosyna Missarum solvenda supradictis Beneficiatis Clericis Beneficiatis, & Cappellanis Valtrinis taxanda sit ad rationem Julii unius, sive ob: sexdecim cum dimidio pro qualibet Missa juxta dispositionem ejusdem Canonici Pasqua in Casu &c.

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative quoad primam partem, & Affirmative ad secundam.

FERENTINA COADJUTORIÆ. Decreto Episcopi Ferentini lato in S. Visitatione Coadjutor, seu Vicarius datus fuit Raymundo Mecolo Archipresbytero, & Parocho Collegiatæ Ecclesiæ S. Agathæ Oppidi Proxeudis, adsignato annuo stipendio ex redditibus Parochiæ eidem Coadjutori scut. 24. Mecolum vero hortatus est Episcopus, ut se ab officio Parochi abstineret, jussitque, Decreti verba sunt *ne se exponat inposterum Confessionario publico in Ecclesia pro audiendis Confessionibus specialiter Mulierum*: Causæ hujus Decreti fuerunt, quod Mecolus aurium vitio laboraret, ut testibus constat, querentibus fœminis confessiones earum publicas esse, non auriculares ob Archipresbyteri surditatem; & quod Mecolus turpitudine vitæ suæ destrueret potius, quam ædificaret, inhonesta siquidem mulieris consuetudine allectus frustra ab Episcopo præmonitus fuit; frustra inde illum coercuit Episcopus, ut non alia fuerit & Populi scandalo, & honori Archipresbyteri consulendi ratio, nisi *Sess.* 21. *c.* 6. *de Ref.*

dato

dato Vicario & Coadjutore, atque interdicta facultate excipiendi publice in Ecclesia Sacramentales mulierum præsertim Confessiones.

Appellavit ab hoc Decreto Mecolus ad hoc Sacrum Tribunal, & audito, ut moris est Episcopo, qui eadem & graviora retulit, longamque seriem narravit Processuum, qui in Judicio Criminali facti contra Mecolum fuerunt ab anno 1726. ad annum 1743. testificatione Cancellarii Episcopalis, cum tutela appellationis Archipresbyter ille non resipisceret, præcepit eidem Episcopus ut *sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ compareret*, sed ille non paruit, sese intra septa Loci Immunis continuit, non sine Populi scandalo Sacrum faciens. Nunc igitur postulat ab hoc Sacro Senatu Promotor Fiscalis definiri, vetitum fuisse rectissimè eidem Archipresbytero, ne Sacramentales Confessiones exciperet: Rectissime eidem datum fuisse Vicarium, sive Coadjutorem in Cura Animarum: non esse minuendum stipendium sc. 24. eidem Coadjutori adsignatum, & Præceptum Mecolo injunctum substinendum esse.

Non equidem ambigitur aperto Tridentini decreto facultatem Episcopis datam fuisse *Parochialium Ecclesiarum Rectores, qui Sacris Officiis minus apti sunt*, ab exercitio muneris removendi, dato Vicario vel Coadjutore, *cui pars fructuum pro sufficienti victu adsignari debet, eos vero, qui turpiter & scandolose vivunt, postquam præmoniti fuerint, coercendi, & castigandi, & si in sua nequitia perseverent, beneficiis privandi*, ut cum Mecolus surditate sua, de qua viri probi testificationem faciunt, atque ipse Episcopus testis fuit, Sacramentalibus Confessionibus excipiendis minus aptus esset, consequens sit rectissime ei ab Episcopo vetitum fuisse, ne eas in Ecclesia exciperet; Cum vero ob turpitudinem vitæ suæ *destruat potius, quam ædificet*, ut ait Tridentinum Vicarius, seu Coadjutor ei dandus erat.

Cum autem Coadjutori huic, seu Vicario pars fructuum pro sufficienti victu sit adsignanda, sive hæc pars tertia sit redditum, ut visum est Sacræ Rotæ Romanæ apud *Duran. decis.* 144. *num.* 6. & *Card. Falcon. de Decim. decis.* 9. *n.* 14. sive sit duorum aureorum singulis mensibus, ut de sententia Sacri hujus Senatus tradunt *Garzia de Benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 15. *Barbosa de Off. & Potest. Episc. alleg.* 60. *num.* 2. *in fin.* & *Panimol. dec.* 15. *adnot.* 2. *num.* 29. nihil est quod Mecolus queri possit de stipendio Coadjutori adsignato ab Episcopo in sc. 24. cum ex facto constet Archipresbyteri redditus certos, omissis incertis, qui veniunt *ex Jure Stolæ*, esse quotannis in sc. 120. nam Collegiata Ecclesia S. Agathæ, in qua est Massa Communis; singulis Beneficiatis portionem præstat annuæ quantitatis sc. 30. singulis vero Canonicis duplum, Archipresbytero quadruplum, & ita sc. 120. ut plures illius Ecclesiæ Canonici, atque ipse Archipresbyter testificationem fecerunt.

Nulla demum ratione de validitate Præcepti Mecolum movere posse quæstionem; cum enim Præceptum factum fuerit ob nova crimina ab ipso admissa post appellationem ad hoc Sacrum Tribunal, non præpediebatur ab ea Episcopus ob nova delicta in Mecolum animadvertere, nec poterat Mecolus prætextu, & colore quæsito litis pendentis impune peccare.

His cognitis respondendum est ab hoc Sacro Senatu quatuor, quæ sequuntur, dubiis, audito tantum Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis, nam Mecolus nondum rationes, & Jura sua dedit.

I. An prohibitio excipiendi Confessiones Sacramentales facta Archipresbytero Mecoli substineatur.

II. An deputatio Coadjutoris in exercitio cure Animarum ei facta ab Episcopo substineatur, & *quatenus affirmative*.

III. An annuum stipendium scutorum vigintiquatuor ab Episcopo adsignatum Coadjutori substineatur, vel potius sit minuendum.

IV. An

IV. An Præceptum dicto Archipresbytero injunctum ad comparendum sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ substineatur in casu &c.

Dilata ad sequentem, & interim Mecolus abstineat a celebratione Missæ.

Die Sabbathi 29. Februarii 1744.



Ilata àb Eminentissimis Patribus in ultima Congregatione, quæ habita est *die 8. Februarii* duarum, quæ sequuntur Causarum Propositione, rogantur nunc, ut ad eas definiendas, *folium diei illius*, iterum ea, qua solent, humanitate perspiciant.

SAVONEN. in qua duo Dubia in disputationem veniunt. *Sess.14. c.12. de reform. & Sess.25. c.9. de ref., & Sess.22. c.9. de ref.*

I. An constet de Jurepatronatus Ecclesiæ Cathedralis in casu &c.

II. An Edictum Episcopi publicatum die 22. Februarii 1740. sit exequendum in casu &c.

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Affirmative.

FERENTINA COADJUTORIÆ, in qua definienda sunt quatuor Dubia. *Sess.21. c.6. de Ref., & Sess.24. c.18. de ref.*

I. An prohibitio excipiendi Confessiones Sacramentales facta Archipresbytero Mecoli substineatur.

II. An deputatio Coadjutoris in exercitio curæ Animarum ei facta ab Episcopo substineatur; *& quatenus affirmative*.

III. An annum stipendium scutorum vigintiquatuor ab Episcopo adsignatum Coadjutori substineatur, vel potius sit minuendum.

IV. An Præceptum dicto Archipresbytero injunctum ad comparendum sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ substineatur in casu &c.

Negative in omnibus.

NEAPOLITANA SPONSALIUM. Postquam in Congregatione habita *die 11. Januarii hujus Anni* responsum fuit ab Eminentissimis Patribus *Negative*, redit Aurora Michaelia ad eorum Judicium; rogantur igitur ut *Folium Congregationis habitæ die 24. Augusti Anni 1743.* iterum inspiciant, ut cognoscant. *Sess.24. c.1. de ref. Matr.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

CAMERINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Ut rem omnem memoria repetant, non pigeat Eminentissimos Patres -- *Folium Congrega-* *Sess.25. c.8. de Ref.*

gregationis habitæ die 23. Novembris superioris Anni, qua proposita hæc causa fuit, iterum legere: Cum vero placuerit respondere *Dilata*, *&* *ad Mentem*, mens autem fuerit, ut inquireretur de numero dotium, quæ a Republica sive Communitate Campi Rotundi collatæ quidem fuissent in Puellas inopes, natas, & moram in eodem Pago facientes, non tamen hactenus solutas, & de quantitate pecuniarum, quæ superextent: hinc iterum audito Episcopo Camerini, retulit hic Dotes hasce esse 42., ut monstratur collationibus earum e publicis libris exceptis: Quantitas vero pecuniarum, quæ in Æde Sacra depositæ sunt, ut constat ex testificatione Rationalis, est ad diem usque 27. Novembris Anni 1743. in sc 1707. 76÷ Atque ob id inutilis esset quæstio omnis, & disputatio, quæ instituta est inter eos, qui postulant sibi tribui quod reliquum est, nam quadraginta duarum Dotium solutio facit summam sc. 2100., quæ excedit quantitatem depositam sc. 1707. 76. & desunt sc. 393. At cum jussu Sacræ Congregationis *Boni Regiminis* e pecuniis depositis empta fuerint Loca decem Montium, quæ obnoxia sunt & affecta hypothecæ harum Dotium præstandarum, ideo si conjungantur pretium decem Locorum Montium, & quantitas pecuniæ, quæ in Æde Sacra est, habetur excessus, & quæstio tractari potest de redditibus superextantibus, eritque onus EE. VV. definiendi Dubium.

An Communitas Campi Rotundi possit libere disponere de fructibus superextantibus ex hæreditate Piersanctis Fanti, vel potius an, & cujus favore sit consulendum Sanctissimo pro applicatione eorumdem fructum in casu &c.

Ad primam partem Negative. Ad secundam docto de superextantia reddituum supplicat in casibus particularibus, & ad mentem. Mens est quod scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess.24.c.12. de ref.

ANAGNINA DISTRIBUTIONUM QUOTIDIANARUM: In Carceres conjectus fuit uti falsus confìcti criminis delator Joseph Antonius Colettus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Anagninæ, & post quinquennium, re diligenter perspecta, absoluti fuerunt ob eorum innocentiam rei delati, & damnatus fuit Colettus ad redintegrationem impensarum damnorumque iisdem reis obventorum e falsa accusatione, jussumque etiam, ut post hanc redintegrationem, atque emendationem damnorum, & impensarum dimitteretur Colettus *ex gratia*, *&* *ex quo satis*, *&* *Viatica cederent loco Pœnæ*. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, dum Colettus in Carceribus esset, redditus Canonicatus illius, qui, ut alii omnes ejusdem Ecclesiæ, solas distributiones quotidianas habet, inter eos qui statis horis interfuerint ut jubent Tridentinum, & illius Ecclesiæ Constitutiones, non distribuit, sed deposuit, atque ob id lata, quam supra memoravimus sententia, Colettus epistolam dedit ad Capitulum, qua postulabat, ut redditus sui Canonicatus, qui depositi erant, pietatis gratia ei donaret. Renuit Capitulum, aditoque Sacratissimo Principe nostro preces obtulit, quibus postulabat facultatem sibi dari depositos redditus distribuendi: dataque inde Sacro huic Tribunali postulationis hujusce cognitione, auditoque, ut fieri solet Episcopo, petit Capitulum definiri redditus Canonicatus, qui depositi sunt, non spectare ad Colettum, sed esse distribuendos.

Decreto siquidem Tridentini, & Constitutionibus Ecclesiæ Cathedralis caveri, ut distributiones quotidianas ii tantum recipiant, capiantque, qui statis horis interfuerint, ut cum Colettus quinquennii tempore, quo in Carceribus detentus fuit, statis horis, officiisque non interfuerit, consequens sit

ſit non poſſe eum redditus ſui Canonicatus, qui in ſolis diſtributionibus quotidianis ſunt, lucrifacere, ſed inter Capitulares eſſe diſtribuendos, ut ex reſponſo Pontificis *in cap. unico de Cleric. non reſident. in 6* monent interpretes omnes; redditus vero Canonicatuum Cathedralis Eccleſiæ Anagninæ in ſolis diſtributionibus quotidianis eſſe manifeſtum fieri teſtificatione Epiſcopi in epiſtola ad hoc Sacrum Tribunal data, facto Rev. Cameræ Apoſtolicæ, & definitione Sacri hujus Senatus in cauſa Anagnina, quæ acta fuit die 4. Septembris anni 1729. inter Capitulum, & Canonicum Scipionem Ambroſium.

Fruſtra ob id negari a Coletto redditus Canonicatuum ſolas habere quotidianas diſtributiones, quod in unum acervum, maſſamque redigi ſoleant, atque inde certis temporibus inter Capitulares diſtribui; quamvis enim redditus ſive in pecunia ſint, ſive in ſpeciebus in unum acervum redigantur, non tamen certis temporibus juxta Canonicorum numerum inter Canonicos erogantur; pecunia ſiquidem cum cuique libet Canonico omni tempore juxta ſervitium tamen a petente Eccleſiæ præſtitum diſtribuitur, & ſpecies e prædiis, fundiſque ruſticis habitæ, facta partitione earum collectionis tempore, inter Canonicos dividuntur, non habita ratione numeri, ſed ſervitii, quod quiſque præſtitit Eccleſiæ, ut pro modo ſervitii augeri, vel minui poſſint ſingulorum Canonicorum portiones, atque ob id redditus Capituli iſthac partitione, ac diſtributione, in unum licet acervum maſſamque redigantur, propriam diſtributionum quotidianarum naturam non amittunt, ut definitum eſt a S. Rota apud *Seraphinum dec.*1140. *num.*2. *& deciſ.*135. *num.*7. *par.*10. *rec.*

Fruſtra quoque obtendi a Coletto, privari non poſſe redditibus Canonicatus ſui, habeat ille licet ſolas quotidianas diſtributiones, quod legitime impeditus fuerit ſtatis horis intereſſe, cum facto Principis, quod cauſa legitima habetur, in carceres conjectus fuerit, & per quinquennium detentus. Diſtinguendum ſiquidem eſſe juſte ne, an inique aliquis in Carceres conjectus fuerit Principis juſſu; nam ſi inique, legitime impeditus dicitur facto Principis, ut cum nulla ſua culpa a reſidentia abfuerit, diſtributionibus quotidianis carere non debeat; Cum vero jure in Carceres conjectus eſt proprio, facto præpeditum fuiſſe ſtatis horis intereſſe, ut ad lucrifaciendas quotidianas diſtributiones ſatis ei non ſit color quæſitus ex facto Principis, cui proprio crimine, propriaque culpa cauſam ipſe dedit, ita diſtinguentibus *Antonell. de regim. Eccleſ. lib.* 3. *cap.*16. *ſub* 16. *Card. de Luca in adnotat. ad Concil. Trident. diſc.*15. *num.*18. *Nicol. in Floſc. verbo diſtributiones n.*12., *& Pantmolla dec.*20. *par.*1. *adnot.*3. *num.*64

Cum itaque ex facto, quod ſupra memoravimus, conſtet Collettum juſtiſſime in Carceres conjectum fuiſſe, qui calumniam innocentibus impegerat, quique damnatus fuit ad emendationem, & redintegrationem impenſarum, & damni illati, conſequens eſſe, non poſſe eum proponere factum Principis, ut hoc colore poſt turpe crimen admiſſum, poſtquam Eccleſiæ ſuæ ſervitium non præſtitit, lucrifaciat quoque diſtributiones quotidianas. Licet vero ea ſententia damnatus non fuerit Colettus uti calumniator, cum tamen quæſtio non ſit de privatione Canonicatus, ſed de diſtributionibus amittendis, nihil opus eſt probatione delicti, ſed ſatis eſt probare eum juſte in carceres detruſum fuiſſe. Juſtitia vero apparet, quod ab indiciis, atque argumentis criminis ſeſe ita non purgaverit, ut omnem maculam abſterſerit ſententia, qua fuerit abſolutus ratione innocentiæ ſuæ, quod ad rem, de qua agitur, rradunt *Pignatell. conſult.*157. *vol.*4. *præſertim num.*3. *& Cardinalis de Luca in adnot. ad Concil. Tridentin. diſc.* 15. *n.* 18.

Nullam demum habendam eſſe rationem Judicii Epiſcopi, qui cenſuit portionem aliquam depoſitorum reddituum titulo pietatis tribui poſſe Coletto, quod ab hoc Sacro Tribunali de jure reſpondendum ſit, nec jus lædi debeat

beat pietatis, & misericordiæ gratia, nec lædenda sint rescripta Pontificum, Tridentini decreta, Ecclesiæ Constitutiones, quibus omnibus cautum est, ut ii tantum, qui statis horis intersuerint, quotidianas distributiones capere possint.

Hæc disputat Capitulum: Colettus nondum jura sua libello complexus est: Pertinet igitur ad religionem animi EE. VV. definire.

An Canonico Coletti ob delictum Carcerato, & relaxato cum clausulis ex gratia, ex quo satis, & Viatica cedant loco pœnæ *debeantur distributiones quotidianæ sui Canonicatus decursæ in casu &c.*

Negative.

Sess. 24. c. 10. Sess. 24. c. 13. & Sess. 24. c. 1. de Ref.

NEAPOLITANA DECRETORUM: Prochyte Insula, quæ inter Misenum, & Pithecusam est, tribus millibus passuum circumscribitur, latitudinem ac longitudinem habet a Meridie ad Septemtriones passuum mille, ab Oriente ad Occasum passuum fere bismillium, Planitiem habet perpetuam, non montibus, non vallibus interceptam, nisi quod, qua parte Oriente Solem aspicit, collis assurgit, qui ab amplissimo Cardinali Arragonio primum ut fertur, muris cinctus, habitari ab Insulanis cœpit, inditumque inde sive Castro, sive Oppido nomen *Terram rata*. Una erat in universa Insula Parochialis, atque Abbatialis Ecclesia S. Michaelis Archangeli, quam regebant Monachi Benedictinæ familiæ, sed postquam Monasterium sæculo Christi nostri XVI. in Commendam dari cœpit, curam & Jurisdictionem Abbates Commendatarii retinuerunt, & cum Insula abessent, sueverunt Vicarium delegare *amovibilem*, qui Ecclesiam regeret, & Curam administraret, quæ res cum non placuisset Cardinali amplissimo Roberto Bellarminio, cujus nomen nulla unquam ætas delere poterit, nulla oblivio, illius Ecclesiæ Abbati Commendatario, voluit in ea Vicarium *perpetuum* constituere. Sed ortis inter Bellarminium, & Cardinalem Jesualdum Archiepiscopum Neapolitanum de Jurisdictione controversiis, Clemens VIII. Pontifex Optimus Maximus duabus Constitutionibus uno tempore datis rem ita sopivit, ut una Insulam, Ecclesiam, Clerum, & Populum ordinariæ Archiepiscoporum Neapolis Jurisdictioni subjecerit; Altera vero *Vicariam perpetuam* in eadem Ecclesia erexerit, ut *unus Presbyter* perpetuus Vicarius curam animarum exerceret, & Ecclesiastica Sacramenta *omnibus Parochianis* ministraret, quod probe observatum fuit semper, licet undique Insula habitaretur, etiam in extremis illius partibus, quas alluit Mare, quæque vulgo *la Chiajolella*, *& Cottimo* aliisque nominibus nuncupantur.

Hoc rerum ordine ventum est ad annum 1672. quo cum Populus, qui in Insula erat, plurimum excrevisset, & Portæ *Terræ muratæ*, in qua est Parochialis & Abbatialis Ecclesia, nocte clauderentur, nec posset ob id Vicarius perpetuus subitis rebus, & casibus moræ impatientibus accurrere & præsto esse, Cardinalis Caracciolus, qui & Archiepiscopus Neapolitanus, & Abbas Commendatarius erat, providentissime censuit Oeconomum constituere in Ecclesia S. Mariæ Annunciatæ, qui facultatem haberet prævio consensu Vicarii, Ecclesiastica tantum Sacramenta ministrandi, quæ *necessitatis* dicuntur; & ut Incolarum per universam Insulam habitantium numero, & commoditati plenius consuletur, alias duas anno 1679. prævio consensu Vicarii perpetui, erexit *Coadjutorias* in Ecclesiis filialibus S. Mariæ Gratiarum, & S. Antonii Abbatis, distributis unicuique finibus, & data œconomis facultate Ecclesiastica Sacramenta ministrandi *Juribus tamen Abbatialibus semper salvis, & expresse reservatis*.

Oeco-

Oeconomorum tamen audacia, & libidine ampliandi facultates, quæ datæ fuerant, plurima Ecclesiæ Matri evenerunt detrimenta, quæ tollere posse censuit Cardinalis Archiepiscopus epistola sua, qua illorum licentiam coercebat, sed frustra, omnia indistincte Ecclesiastica Sacramenta illis, ut primum, Populo ministrantibus, ut lite tandem coram ipso contestata a Vicario & Clero, die 10. Junii anni 1680. lata fuerit sententia, cujus uno capite definitum est, quod præcepto annuæ Communionis in Paschate satisfieri non posset in Ecclesiis coadjutricibus, sed deberet solummodo in Abbatiali S. Michaelis: *novisque iterum exortis dissidiis lata altera sententia est anno* 1684. *qua definitum fuit* Licere tantum & soli Vicario perpetuo Abbatialis Ecclesiæ Baptismi Sacramentum ministrare tam Parochianis seu Filianis intra Terram prædictæ Insulæ, quam extra, & intra dictas Grancias degentibus; Adeout nusquam prædicti Oeconomi possint, & valeant Sacramentum hoc ministrare, nisi de licentia ipsius Vicarii Curati, & in prædicta Abbatiali Ecclesia: Si qui autem Fontes Baptismales in prædictis Granciis fuerint erecti, hoc nostro decreto volumus, & mandamus, ut protinus evellantur.

Ne his quidem sententiis comprimi potuit œconomorum licentia: igitur Clero, ipsaque instante Communitate, quæstio tractata est validitatis erectionis *Granciarum* factæ anno 1679., & cum compertum fuisset, defecisse justam causam, defecisse consensum Abbatis Commendatarii (nam tunc Cardinalis Archiepiscopus Abbatiam dimiserat favore Innici Caraccioli) nec satis fuisse consensum a Vicario perpetuo præstitum, quæstio definita fuit sententia, qua die 23. Decembris anni 1690 pronunciatum est non constare de legitima erectione supradictarum Granciarum, adeoque ex integro procedendum denuo ad earumdem Constitutionem auditis interesse habentibus. Instructo igitur Processu servatisque omnibus, quæ Jure erant servanda, sequenti anno 1691. altera lata fuit sententia, qua iterum erectæ fuerunt in iisdem Ecclesiis tres *Coadjutoriæ*, ita tamen, ut ad Vicarium perpetuum spectaret trium Cappellanorum nominatio, qui Sacramenta necessitatis, scilicet Pænitentiæ, sanctissimi Viatici, & extremæ unctionis ministrarent, quique Cappellani coadjutores, *sunt ipsa sententiæ verba*, teneantur diebus Dominicis, & Festivis instruere Populum in Doctrina Christiana, & assistere Infirmis, & Morientibus, in reliquis vero Parochialibus Functionibus, nec non aliorum Sacramentorum administratione nullo modo se intromittant sine expressa licentia ejusdem Vicarii Curati perpetui.

Hactenus isthæc observata sententia fuit; At cum anno 1742. Eminentissimus Cardinalis Spinellius Archiepiscopus Neapolitanus Prochytam appulisset Sacram Visitationem acturus, preces ei oblatæ fuerunt a Syndico Universitatis illius Insulæ, quibus petebat, ut decerneretur, iisdem *Cappellanis Coadjutoribus* nedum Sacramenta *necessitatis*, sed alia etiam Ecclesiastica Sacramenta Populo, cujus numerus ad undecim fere capitum millia auctus est, ministrare licere. Omnia igitur ut par est, secum reputans Eminentissimus Archiepiscopus decrevit, licere deinceps, licitumque esse iis, qui Prochyte Territorium incolunt intra fines trium Ecclesiarum ex adsignatione anni 1691. Præcepto Paschalis Communionis satisfacere, *sunt ipsa decreti verba*, communicando tam in unaquaque respective ex prædictis Ecclesiis, quam in Ecclesia Parochiali S. Michaelis Archangeli, ita tamen ut schedæ, quibus constat impletum fuisse Præcepto, a Vicario subscriberentur. Quod vero ad Sacramenti Baptismatis administrationem pertinet, decrevit, ut qui intra fines Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum adsignatos nascuntur, in Parochiali Ecclesia Baptisma susciperent: Ratione tamen distantiæ, & itinerum longitudine, & periculorum, quibus Infantes necessario exponerentur ob Insulæ situm, ventorum vim,

æstus-

æstusque fervorem voluit in Ecclesia Annunciationis B. Mariæ Virginis extrui Fontem Baptismalem, quo lavarentur ii, qui ortum habent intra fines illius Ecclesiæ, atque alterius S. Antonii Abbatis ab Oeconomo sive Cappellano primæ Baptismalis Ecclesiæ, qui nomina Infantium describeret, & singulis mensibus Vicario perpetuo traderet, ut ab eo in libros nominales referri possint, a quibus tantum suscepti Baptismatis testificationes excipi debeant.

Decrevit demum Matrimonia ab Incolis illius Insulæ contrahenda esse in Parochiali Ecclesia S. Michaelis, iis dumtaxat exceptis, quæ in aliis tribus Ecclesiis expediat legitimis causis, ut contrahantur, quibus casibus aut ipse Vicarius perpetuus ad Ecclesias illas accedat, ut ipse Matrimoniis illis præsens sit, vel expressum præstet consensum, ut quilibet respective Cappellanus Coadjutor Matrimoniis inter personas inibi etiam respective commorantes celebrandis assistat, quo casu statim schedula contracti Matrimonii hujusmodi subscriptione per Cappellanum munita in manus ejusdem Vicarii Curati transmittatur. Provocarunt ab his Decretis Eminentissimus Ruffus S. R. E. Cardinalis Amplissimus, & illius Ecclesiæ Abbas Commendatarius, atque Vicarius perpetuus, oblatoque Sacratissimo Principi nostro libello data fuit sacro huic Tribunali Causæ cognitio, & hac occasione alia quæstio tractatur de Edicto ab eodem Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo lato anno 1736. quo tribus Ecclesiis potestas facta fuit corpora defunctorum, qui nulla electa sepultura decederent, sepeliendi. Nunc igitur audito Eminentissimo Archiepiscopo, qui disertissima Epistola rationes Decretorum suorum, Edictique sui late retulit, causa isthæc, cujus quatuor capita sunt, Eminentissimis PP. definienda proponitur.

De Præcepto Paschali, quod impleri posse in tribus Ecclesiis decretum est, primo capite agitur: Decretum hoc infirmandum esse, quod contra Jus sit, quod sit contra rem Judicatam, quod nullum sit, quod injustum contendit Eminentissimus Commendatarius. Contra Jus quidem, nam dispositione cognitissimi *Cap. omnis utriusque sexus de Pœnitent. & remiss.* quam confirmavit Tridentini decretum, statutum est, ut recurrente singulis annis Paschali tempore, teneantur omnes propriam Parochiam adire, ibique manu Pastoris sui Sanctissimum Christi Corpus sumere, atque ita propriam Matrem recognoscant, nec ad ullam aliam Ecclesiam divertere possint. Hoc aperto Jure, quod habet Parochialis, & Abbatialis Ecclesia, privatam tamen fuisse decreto Eminentissimi Archiepiscopi; Tres siquidem illæ Ecclesiæ, quibus hic honor hoc Jus datum fuit, simplices sunt Cappellæ numquam in Parochiales erectæ prævia dotis constitutione, certaque Populi separati, ac distincti, & finium propriorum assignatione, ut ad veram Parochiam constituendam opus esse *ex Textu in Can. nullus omnino* 16. *qu.* 7. tradunt *Fagnan. in cap. ad audientiam* 1. *num.* 31. *de Eccles. ædific. Ugolin. de potest Episc. cap.* 53. *in princ. Panimoll. decis.* 5. *annot.* 1. *num.* 34. *& seq.* Ut si nequeunt Christiani ad ullam aliam Ecclesiam etiam Cathedralem implendi præcepti causa divertere, facile cognosci possit non esse observandum decretum, quo facultas conceditur in simplicibus Cappellis illud implendi.

Nec satis esse illato vulneri obducendo, quæ habet Eminentissimus Archiepiscopus, Cappellanos coadjutores a Vicario nominari, ut quidquid hi agant, agant nomine Parochi, non suo, Jus Parochi salvum esse subscriptione schedularum: Nam Juribus & honori Parochi, non Ecclesiæ Matris consultum esse, quæ privata fuit reverentiæ, & subjectionis, quæ ipsi debetur, argumentis, cum filii soluti sint obligatione personalis accessus, atque ob id hanc rationem remediumque schedarum, quæ a Parocho signari, & subscribi deberent, respuisse Sacrum hunc Senatum *in*

Cassa-

Cassanen. 22. *Julii anni* 1741. & licet Episcopo, Parocoque potestas sit, justis legitimisque causis, veniam dare, ut in alia Ecclesia Præceptum impleatur, non tamen universo fere Populo dandam hanc esse veniam, nulla urgente necessitate, quam licet Eminentissimus Archiepiscopus agnoverit ex itinerum longitudine, & Incolarum incommodo, cuilibet tamen esse perspectum non satis has esse causas, ut Populus ea, qua tenetur, obligatione solvatur, semel saltem in anno propriam Parochiam adeundi, ut præceptum impleat, ita definiente *Sac. Rota post Tamburr. de Jur. Abbat. dec.* 34. *num.* 3. *& in Burgeb. Parochiæ auxiliaris* 20. *Aprilis* 1742. §. 10. *coram Eminentissimo Calcagnino*.

Esse quoque hoc decretum contra rem judicatam, nam ut supra ex facto narravimus, sententia anni 1680. definitum fuerat non posse præceptum impleri in his Ecclesiis, sed tantum in Ecclesia Abbatiali, idemque definitum fuit in lege erectionis harum Ecclesiarum, sententiaque lata an. 1691. qua jussum fuit, ut Cappellani extra tria illa Sacramenta necessitatis *in reliquis Parochialibus Functionibus, nec non aliorum Sacramentorum administratione nullo modo se intromitterent*; quæ res Judicatæ non poterant simplici decreto, nullaque habita causæ cognitione retractari ut est *in l. post rem judicatam l. cum quæritur ff. de re Jud.*

Nullitatis etiam vitio infectum esse idem decretum contendit Eminentissimus Commendatarius, quod latum fuerit ipso non interpellato, & non audito, qui Jura Ecclesiæ suæ tueri poterat, cum tamen constans sit Interpretum omnium sententia Ecclesiam Juribus suis privari non posse, etiam si legitima causa proponatur, nisi citato Rectore, vel legitimo Defensore, secus quod fit, nullum est ut ex *Cap. ad Audientiam de Eccles. ædif.* tradunt *Fagnan. ibidem n.* 29. *Lotter. de re benef. lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 6. *& seqq. Card. de Luca de Benef. disc.* 45. *num.* 9. aliique innumeri, qui congregari possent. Necquicquam juvantibus facultatibus a Tridentino datis Episcopis Visitantibus, aut consensu Vicarii perpetui; In iis enim, quæ causæ cognitionem postulant, non potest Episcopus decernere, nisi juris ordine servato, & auditis interesse habentibus, ut cognitissimum est, & unus pro cunctis docere potest *Cardinalis de Luca in adnotat. ad Concil. disc.* 5. *sub num.* 5. De consensu vero Vicarii non constare ex ipso decreto, & si constaret non satis esse, cum vel præsumatur præstitus, ut se a labore muneris, officiique sui liberaret, ut placuit *S. Rotæ in Argentina dismembrationis* 27. *Junii* 1742. §. 3. *&* 14. *Januarii* 1743. §. 2. *coram Eminentissimo Tanario*: vel non satis esse possit illius consensus, sed opus sit altero Eminentissimi Commendatarii, qui curam habet habitualem, quique est Defensor Ecclesiæ, ut habent *Lotter de re Benef. lib.* 1. *qu.* 28. *n.* 18. *Barbosa ad Concil. Triden. sess.* 21. *de ref. cap.* 4. *n.* 12. *& S. Rota in d. Argentina* 27. *Junii* 1742. §. 9. *coram Eminentissimo Tanario*.

Injustum denique idem esse Decretum, quod tum illud, tum alia quæ supra retulimus, veram præseferant separationem, seu ut ajunt *dismembrationem*, cum Jura illa omnia, quæ Ecclesiæ Matris erant, data fuerint *Granciis*, ita ut hæ jura Parochialia acquisierint separata ab Ecclesia Matre, atque Abbatiali, idque nulla vehementi, atque legitima causa factum fuerit; nam quas edidit Eminentissimus Archiepiscopus, longitudinis itineris, impetus ventorum, incommodi Incolarum, & numeri eorum longe aucti nec ex facto, nec ex Jure uti legitimas esse habendas. Non enim quælibet locorum distantia, non qualecumque incommodum spectanda sunt, sed quæ difficilem reddunt, & periculosum accessum, quod ne satis quidem est, si Parochus offerat Cappellanum retinere, qui præsto sit administrationi Ecclesiasticorum Sacramentorum, juxta Lapi doctrinam, quam omnes verissimam agnoverunt *allegat.* 66. *sub num.* 6. *vers. limitatur tamen*. Nec Populi augmentum in causa esse potest separandi Parochias,

chias, earumque Jura, cum satis consultum fuerit dispositione Tridentini *Sess.* 21. *de ref. cap.* 4. ut cogantur Rectores, vel alii ad quos pertinet, tot Sacerdotes sibi ad hoc munus adjungere, quot sufficiunt ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum agendum.

Impetus vero ventorum, Pauperum incolarum nuditas, scandalum, quod obvenit aliquando e reditu Puellarum ab Ecclesia Parochiali non impleto Præcepto ob negatam absolutionem, etiamsi ex facto subsisterent, quod negat, & pluribus testificationibus contrarium probat Eminentiss. Commendatarius, ex Jure tamen spectari non posse, quod longe ante Decretum adessent, ut aderant annis 1680. & 1691. quibus sententiæ latæ sunt, quæ rei Judicatæ habent authoritatem, quod ex eventu pendeant, nec eventa Judices spectent, quod deinum locum etiam habeant in tribus Ecclesiis, uti locum habent, & habuerunt in Ecclesia Parochiali.

Secundo capite de Fonte Baptismali res est: queritur Eminentissimus Commendatarius læsum fuisse hoc Decreto Jus Ecclesiæ Matris: licet enim hic Fons non sit necessario de juribus Parochialis Ecclesiæ, cum in alia Ecclesia esse possit vel privilegio, vel longa consuetudine vel transactione, ut erat casus ab hoc Sacro Senatu definitus *in Guardien. Fontis Baptismalis* 23. *Aprilis* 1735. Longam tamen esse differentiam cum in una Civitate, Locove plures sunt Parochiales Ecclesiæ certis finibus separatæ, & distinctæ, quarum quælibet plenum jus habet administrandi Sacramenta, & cum in Civitate una est Parochialis Ecclesia, licet ratione commoditatis, & exercitii Curæ in aliis Ecclesiis non Parochialibus Sacramenta ministrentur: primo enim casu, quamquam una earum Mater sit, & antiquior, & Fontem semper habuerit, si aliæ velint Fontem extruere, vetari iis ab Ecclesia Matre non potest, ut ex doctrina *Innocentii in cap. Cum dilectis num.*4. *de Cappell. Monach.* defendunt *Fagnan. in cap. Cum contingat num.* 59. *de decim. Vanespen. in Jus Eccles. Univ. par.* 2. *tit.* 2. *cap.* 2. *num.* 16. *Eminenitssimus Albicius in disc. de Jurisdict. Cardinal. impres. apud Card. de Luca de Jurisd. quæst.* 6. *in princ. Eminentiss. Petra ad Constitut. Apostol. vol.* 4. *pag.* 286. *num.* 13. diversum altero casu, in quo res nostra est, quia Ecclesiæ illæ adjutrices Sacramentorum Administrationem jure proprio non habent, sed unam cum Ecclesia Matre Parochiam constituunt, & ob id nequit in iis novus Fons constitui, qui unus in qualibet Parochia esse debet, ut est aperta sententia *Canon. Plures* 16. *quæst.* 1.

Præsertim cum in antiquitate Ecclesiastica certum sit solos Episcopos Baptisma primum contulisse in solis Ecclesiis Cathedralibus, ut post alias observarunt *Jo. Dartis ad Grat. Decret. par.* 3. *de Consecr. dist.* 4. §. *Sed non erat pag.* 514. *Vanespen. d. cap.* 2. *num.* 1. 2. *&* 14. *Marten. de Antiq. Eccles. Ritib. lib.* 1. *pag.* 11. Sed aucto numero eorum, qui Baptisma suscipiebant, sublatoque tempore huic rei statuto in Ecclesiis Parochialibus, quæ discretæ a Cathedralibus fuerunt, Fontes Baptismales constituti sunt, & soli Parochi hujus Sacramenti Ministri esse cœperunt, negato aliis Ecclesiis Jure habendi fontem, ut nunc collatio Baptismatis inter Jura Parochialia censeatur, nec in aliena Parochia, nec ab alieno Parocho Baptisma possit conferri, atque hac ratione spretis, quæ contra proponebantur periculis Infantium hyemali tempore, & difficultate, ac longitudine itinerum erectionem Fontis in Ecclesia adjutrice Sacrum hunc Senatum negasse fuerunt *in Cassanen. dismembrationis* 17. *Decembris* 1740. *&* *in Urbevatana Fontis Baptismalis anni* 1742.

Ex his colligit Eminentiss. Commendatarius Decreto Eminentissimi Archiepiscopi eversam fuisse Juris dispositionem, quæ vult unum in singulis Parochiis Fontem haberi, illatum Parocho, & Ecclesiæ Matri detrimentum, & sublatam rem Judicatam sententia anni 1684., quæ definitum est *non posse*

posse Oeconomos Sacramentum hoc ministrare nisi de licentia Vicarii Curati, & in prædicta Abbatiali Ecclesia. Et si qui Fontes erecti essent, evellendos esse, & destruendos, eversamque pariter alteram rem Judicatam anni 1691. qua data fuit tantum administratio Sacramentorum necessitatis, & vetitum Cappellanis, *ne in aliorum Sacramentorum administratione ullo modo se intromitterent*: Ut ex his consequens efficiatur non esse spectandas rationes, causasque, quas habuit Eminentissimus Archiepiscopus, cum illæ vel ex facto non subsistant, ut contrariis testificationibus probat Eminentissimus Commendatarius, vel ex Jure satis non sint, cum novæ non sint, sed dudum extiterint, cum ex eventu pendeant, cum etiam in aliis Ecclesiis contingere possint.

Tertio capite de contrahendis Matrimoniis ambigitur: queritur Eminentissimus Abbas Commendatarius obscurum esse Decretum illud, cum videatur sublatam fuisse Vicario perpetuo facultatem, quam habet, & habuit hactenus deputandi, si ipse præsens esse aut nolit, aut nequeat, vel Coadjutorem Ecclesiæ Matris, vel alium quem velit Sacerdotem. At paucis disputatio confecta est, nam quantum ex Epistola Eminentiss. Archiepiscopi ad hunc Sacrum Senatum data colligi potest, & ex alia ejusdem Epistola ad Vicarium Foraneum, non hæc illius mens fuit, ut Vicarium perpetuum de possessione hujus suæ facultatis dejicere voluerit.

Quarto demum capite in quæstionem venit Edictum latum anno 1736. de condiendis corporibus eorum, a quibus sepultura electa non fuit, in tribus Ecclesiis. Horum corpora in Ecclesiam Parochialem inferenda esse contendit Eminentiss. Commendatarius, quod Jure cautum sit eas tantum Ecclesias Jus habere sepeliendi, quæ Populum habent, vel quæ id habent ex Privilegio, itaut corpora eorum, qui nulla electa sepultura decesserunt, non alias condi possint, quam in Ecclesia Matre, & Parochiali, cum sepellire defunctos, qui sepulturam non elegerunt, Jus Parochiale sit, quod ad alias Ecclesias pertinere non potest, ut est *in cap*. 1. 2. *&* 5. *de Sepultur. in* 6. & habent *Fagnan. in cap. Fraternitatem num*. 4. *de Sepult. Card. de Luca de Paroch. disc*. 31. *num*. 8. *Antonell. de Regim. Eccles. lib*. 1. *cap*. 12. *num* 30. *Sperell. dec*. 17 *num*. 8.

Neque hic spectandas esse causas, quæ moverunt Eminentiss. Archiepiscopum longitudinis itinerum, & aeris inclementiæ, e quibus mala illa eveniant, quæ in disertissima ad hoc Sacrum Tribunal epistola ipse retulit. Sodales enim, qui dum corpora efferuntur, illa ex instituto Sodalitii comitantur, testificationem faciunt nunquam evenisse, ut vel ex aeris inclementia, vel ex itineris longitudine corpus aliquod insepultum jacuerit, nec putandum sit nostra hac tantum tempestate hæc contingere posse, cum vel antiquissimo tempore in ultimis Insulæ oris, quas alluit Mare, habitatores essent, quorum tamen corpora in Ecclesia Parochiali condita fuerunt, & nautæ non in eorum Ecclesia, quæ ad littus est, sepulcra extruxerunt, sed in Ecclesia Matre condi voluerunt.

Hæc habet Eminentissimus Abbas Commendatarius. Promotor Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, vel litis consortes nondum Jura sua libello complexi sunt: Et ab EE. PP. quatuor, quæ sequuntur Dubia definienda sunt.

I. An substineatur Decretum Eminentiss. Archiepiscopi circa adimplementum Præcepti Paschalis in tribus Granciis; seu potius Præceptum Paschale sit adimplendum in Ecclesia Curata, & Matrice in casu &c.

II. An substineatur Decretum Eminentissimi Archiepiscopi super erectione novi Fontis Baptismalis in Ecclesia, seu Grancia SS. Annunciationis: seu potius Fons Baptismalis sit retinendus in sola Ecclesia Curata, & Matrice in Casu &c.

III. An substineatur Decretum Eminentiss. Archiepiscopi super celebratione Matrimoniorum Incolarum Prochytæ in casibus designatis, sive per Vicarium Curatum sive per solos Cappellanos Coadjutores dictarum Ecclesiarum : seu potius liceat Vicario Curato deputare Coadjutorem Ecclesiæ Matricis, sive alium Sacerdotem sibi benevisum in Casu &c

IV. An substineatur Edictum anni 1736. Eminentissimi Archiepiscopi super tumulatione Cadaverum decedentium absque electione Sepulturæ, tam in tribus Granciis, quam in Ecclesia Matrice, seu potius an Cadavera Defunctorum, & Puerorum decedentium sine electione Sepulturæ sint sepellienda in Ecclesia Parochiali, & Matrice in casu &c.

Ad I. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad secundum Affirmative ad primam partem de consensu tamen Vicarii. Negative quoad secundam, & ad mentem. Ad III. Negative ad primam partem Affirmative ad secundam. Ad IV. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam præterquam quoad decedentes intra fines designatos Ecclesiæ B. Mariæ Gratiarum, & salvis omnibus Juribus Parrochialibus.

Sess. 25. c. 3. de refor.

JANUEN. Pietatæ, & munificentia S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Januensis Stephani Duratii annis 1645. & 1653. institutæ fuerunt in Civitate Januæ, & redditibus auctæ duæ Congregationes, quorum altera nuncupatur *Missionariorum S. Vincentii de Paulis*, altera vero *S. Caroli Borromei*, de quibus late sermonem habuit ipsemet Cardinalis Archiepiscopus in Relatione Status Ecclesiæ, & Diœcesis suæ data ad hoc Sacrum Tribunal anno 1655. Harum prima instituto, legibusque suis, non in Civitate, sed in Diœcesi *Missiones*, quas vocant, habet; Altera vero sæcularium Sacerdotum est, qui in ædibus quisque suis disjunctim viventes, qualibet hebdomada semel in unum conveniunt, & Parochis intra Civitatem operam præstant in Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & bis singulis annis intra Civitatem *Missiones* agere sueverunt, unde inditum illi Congregationi nomen est *Missionis Urbanæ*, cujus vis, atque ardor cum deferbuisset partim peste per Januæ Civitatem crassante anno 1656. partim alias ob causas, quas inquirere non vacat, revirescere tamen cœpit anno 1698. studio atque industria Jo. Baptistæ Spinulæ Januensis Archiepiscopi, atque inde S. R. E. Cardinalis amplissimi, ut ex alia ejusdem relatione ad hunc Sacrum Senatum data perspici potest.

Sed Anno 1715. Cardinalis Fliscus Archiepiscopus Januensis pietate, & cura in Populum sibi creditum nulli concedens duodecim Sacerdotes moribus, & virtute præstantes elegit, qui extra Januæ Civitatem in Pagis, & Vicis aliisque Diœcesis Locis easdem sacras *Missiones* haberent, adjunctisque, ut fieri solet, aliis horum exemplo permotis, ut corpus hoc firmius consisteret, certas illi sibi regulas constituerunt, quas probavit authoritate sua ordinaria Januensis Archiepiscopus anno 1740. Cum vero preces obtulissent Optimo Maximoque Pontifici nostro, ut easdem regulas, & Constitutiones *in forma specifica* confirmaret, negocium omne ab eo datum fuit Sacro huic Tribunali, cui placuit Eminentissimum S. R. E. Cardinalem Spinulam rogare de sententia animi sui, qui Regulas, & Constitutiones illas probavit, laudavitque, sed *quasdam* censuit *conditiones esse adjiciendas*, quarum prima est *ut Presbyteri hujus Congregationis Missionis Forensis*, ipsa sunt disertissimi responsi verba, *Missiones*, aut alias quascumque sacras, & publicas functiones ad instar Missionis, seu etiam novemdiales preces pro cujuscumque Sancti Festivitatis instructione non pera-

peragant in ipsa Civitate Januæ, nec intra ejusdem Pomerium, sive primum & alterum illius ambitum, & circumdarium, quo mænia nova, & antiqua complectuntur; *Altera vero est*, quod nec extra Civitatis mænia intra mensuram duorum ab ipsa Urbe lapidum memoratas Missiones, & alia quæcumque pia exercitia, sed hæc & illas alibi in Villis, aliisque Archidiœcesis Januensis locis & Oppidis expleant.

Displicuerunt *Missionariis Forensibus*, ita siquidem hi nuncupantur, conditiones ab hoc responso adjectæ, quas longo libello rejicere curarunt, ut ab hoc sacro Senatu prudentissime rescriptum fuerit die 10. Martii anni 1742. Archiepiscopo pro Informatione, & Voto, auditis aliis Missionariis, & præsertim Urbanis, eisque præfixo termino ad deducendum Jura, si quæ habent, in Sacra Congregatione, quatenus se opponere velint. Longum esset ea omnia referre, quæ post hæc acta fuerunt a *Missionariis Forensibus*; præsertim cum nihil ad rem de qua agitur, pertineant, fatisque sit redire nunc, audito Archiepiscopo ad hujus sacri Senatus Judicium hanc causam, ut cognoscatur an regulæ illæ, & Constitutiones probandæ sint, an exigendæ.

Nihil habent quod contra regulas illas excipiant duæ Congregationes *Missionis Urbanæ*, *& S. Vincentii de Paulis*, sed tantum in eo disputant, novam hanc Congregationem *Missionariorum Forensium* non esse probandam, quod *necessaria* non sit, quod non *expediat*, quod damnum inferat, & *detrimentum*: Probanda siquidem, & permittenda sunt nova Collegia, sodalitia, Universitates, Congregationes, si nullum veteribus, & jam constitutis detrimentum inferant, si e novis jurgia, dissensiones, discordiæ, quibus publica quies turbatur, & scandalum obvenit, non oriantur, ut ex doctrina *Innocentii in cap. dilecta sub num. 2. de excess. Prælator.* tradunt *Marta de Jurisd. par. 2. cap. 23. num. 18. Barbosa de Jur. Eccles. lib. 2. cap. 11. num. 76. Capyc. Latro decis. 169. num. 36. & seq. & late S. Rota in Derthonen. Commemorationis defunctorum 14. Junii 1728. coram Eminentiss. Aldovrando*, ut ob id provide constitutum fuerit a Summis Pontificibus præsertim Clemente VIII. & Paulo V. unum tantum Sodalitium sive Congregationem ejusdem Instituti, & regulæ esse posse in eadem Civitate, & Loco, ne pluralitate dissidia, & confusiones sequantur, ut est in *Constitutione 115. Clementis VIII. & Constitut. 21. Pauli V. Bullar. nov. vol. 3.* & differunt *Pignatell. consult. 69. vol. 3. Cardinalis de Luca de Præeminent. disc. 10. n. 8. & Eminentiss. Petra ad Constitut. 1. Cælestini III. Sect. unic. num. 23. vol. 2.*

Necessariam non esse novam hanc Congregationem facile posse dignosci, nam si de Civitate Januæ ejusque suburbiis sermo sit, munus impletur a Congregatione *Missionis Urbanæ*, ut constat ex iis, quas supra memoravimus, relationibus Cardinalium Stephani Duratii, & Jo. Baptistæ Spinulæ & ex Epistola Archiepiscopi Januensis. Si vero de Pagis, & Vicis, aliisque Diœcesis locis sermo sit, præsto est altera antiquior Congregatio *Sancti Vincentii de Paulis cujus hoc est Institutum, ut ruricolis Missiones* faciat, jubentibus ejus regulis *cap. 1., & cap. 2. num. 10.* quod munus optime præstat singulis annis, ut & quas diximus relationes, & eadem Epistola Januensis Archiepiscopi habent aperte: Non expedire ut nova hæc Congregatio probetur, quia cum instituta dudum ad hanc rem fuerit altera *S. Vincentii de Paulis*, æmulationes & dissidia oriri inter eas facile sit, quæ Christianæ Reipublicæ interest averruncari, & avelli: eoque amplius quod antiquioris illius Congregationis Sodales intra circulum trium annorum universam Diœcesim peragrent, ut Archiepiscopus refert, & ob id convenire non videtur, ut a nova Congregatione aliæ agantur *Missiones*, ne illarum frequentia, & consuetudine vilescant, & aspernentur, atque ita minor sit, qui ex iis fructus colligi potest.

Detrimentum denique novam hanc Congregationem afferre, tum quia in eam allecti sunt plures Parochi, qui harum *Missionum ruralium* causa maximo populi damno Parochiis suis absunt, tum quia *Missionarii Forenses* oculos injecerint in legatum scriptum in testamento nobilis Viri Juliani Centurioni, qui voluit ,, che la terza parte della metà delle mie rendite ,, debbano distribuirla a RR Teologi Religiosi approvati dal Reverendissimo Monsig. Arcivescovo di Genova con obligo, che vadino secondo che da detto Monsig. Arcivescovo li sarà ordinato ad istruire nella via del Signore tutti li Poveri ed ignoranti delle due Valli di Genova, Polcevere, e Bisagno ,, quod legatum dari suevit Congregationi *S. Vincentii de Paulis*, quæ inopia laborat, cujusque portionem in ejusdem Congregationis detrimentum sibi tradi obtinuerint Missionarii Forenses. & ob id tanta animi contentione conditiones in responso Eminentissimi Cardinalis Spinulæ adjectas rejecerint, nam Legatum illud consequi non possent; nec legatum tantum istud, sed aliud etiam inhient a Franzono relictum *Missioni Urbanæ*: Ut ex his facile cognoscatur machinam hanc omnem novæ Congregationis *Missionariorum Forensium* non duci zelo Divinæ Legis, sed desiderio rerum humanarum moveri, & præsertim horum Legatorum, ut ob id si placeat Sacro huic Tribunali respondere *Pro Approbatione regularum* adjiciendum esse, *& non licere Missionariis Forensibus duo illa legata acquirere*, ne specie pietatis iniqua conditio inseratur duabus veteribus Congregationibus ab hac nova, ut prudenter respondit *S. Rota in d. Derthonen. Commemorationis Defunctorum §. tum etiam coram Eminentiss. Aldovrando*.

Demum Archiepiscopi Judicium contra *Missionarios Forenses* esse videtur, quorum tamen Jura nondum libello complexa sunt, ut ex his, quæ a duabus Congregationibus taneum proponuntur, respondendum sit.

An regulæ de quibus agitur sint approbandæ in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 21. c. 4. de reform. & Sess. 23. c. 1. de ref. Sess. 24. c. 18. de ref.

POLICASTREN. Diuturno usu, & longa quasi possessione observatum est, ut Sacerdotes adscripti Ecclesiæ Consortiali, seu ut ajunt *receptitiæ* D. Jacobi, quæ una est Ecclesiarum Parochialium Laureæ, numeratque capita 3500. Sacerdotes vero Consortes habet 43. qui æquales cum Paroco Decimarum aliorumque reddituum, atque obventionum Parochialium portiones ferunt, & quasi parem Clericorum numerum, qui Ecclesiæ servitium præstant, Paroco, qui *Cantoris* nomine nuncupatur, opem ferant in officio Parochiali, eumque adjuvent in Cura animarum. De longa ihstac consuetudine Testes plures testificationem fecerunt, & quod magis est, usus hic, & longa quasi possessio Parochi confirmata fuit Judicum Decretis, nam si quando consortium Sacerdotum aliquis hac in re defecit, adito a Paroco Vicario Generali Episcopi, decretum fuit, ut operam omnes Sacerdotes diuque noctuque præstarent *Cantoris*, si secus fieret, non admitterentur ad participationem fructuum, & Jurium Parochialium, indicta etiam *pœna amissionis partis Decimarum*.

Usum hunc diuturnum turbavit tandem Edictum Episcopi Policastrensis, quo vetuit, ne quis extra Parocum molles puerorum animos præceptis Christianæ legis imbueret ,, nec quisquam alius, *Edicti verba sunt*, tali muneri, sicut etiam aliis quibusvis officiis Parochialibus sub pœna suspensionis a Divinis latæ sententiæ nobis reservatæ se intromittat, nisi is, qui prius a nobis prævio examine ad id idoneus repertus licentiam in scriptis obtinueris ,, & cum Joseph Serrubius illius Ecclesiæ *Cantor* sive Parochus podagra laboraret, & ob id curæ præesse non posset, huic agendo

do muneri Sacerdotem Consortem constituit Episcopus, adsignato eidem singulis diebus stipendio ob: quindecim, quod e redditibus Parochialibus ad Cantorem pertinentibus numerari deberet. Movit Edictum consortium Sacerdotum animos, movit Serrubii, aditoque hoc Sacro Tribunali, auditus fuit, ut fieri solet, Episcopus, petuntque nunc Serrubius, & Sacerdotes definiri Sacri hujus Senatus authoritate *teneri Sacerdotes Participantes Parochum adjuvare in cura animarum sub pęna amissionis partis Decimarum, quæ aliis id munus agentibus accrescat, & posse Parochum, si adversa valetudine afficiatur, Vicarium temporalem constituere unum ex Confessariis approbatis, absque licentia, aliaque speciali Episcopi approbatione.*

Urget enim ad eos audiendos diuturnus usus, & longa quasi possessio, in qua *Cantor* est, rescriptis decretisque Vicariorum Generalium confirmata, quæ servanda est, nec Jus consuetudine nunquam contradicta quæsitum tolli debet. Urget autem magis ratio ipsa Juris, ob quam consuetudo introducta est; Redditus enim Parochiales ita tenues sunt, ut impossibile fiat Cantori adjutorem alere sua pecunia, qui alias *numeroso Populo* præsto esse posset, & periclitantium animarum necessitatibus occurreret, ut æquitas suggerat, licet Jure destitueretur Parochus, Sacerdotes, qui ob servitium Ecclesiæ recepti sunt, quique de redditibus, etiam Parochialibus tantum, participant, & ob id adjuncti, & coadjutores Parochi fiunt, operam, opemque eidem præstare debere, & si deficiant, pęna amissionis partis eorumdem reddituum plectendi sint, jubente ipsa naturali lege, ut qui commodum habet, habeat quoque, & ferat incommodum, ut disserunt *Barbosa de Parochis par.* 3. *cap.* 28. §. 2. *n.* 8. atque ita quæstionem hanc absoluisse dicitur hunc Sacram Senatum in *Larinen. Decretorum Sinodalium* 30. *Augusti anni* 1731. *ad IX. & X. Dubium, & in Sipontina* 12. *Maii ejusdem anni.*

Nec mutare, quæ contra hæc proponit Episcopus: Ait, tenues fuisse Parochiæ redditus, cum illam Cantor obtinuit, ut sibi imputare debeat, si petiit illam, & petitam tenere voluit. Nam si Parochiam tenuis redditus accepit, accepit tamen sine onere adjutorem, qui alias ob Populi numerum necessarius esset, alendi sua pecunia, accepit eam Parochiam, in qua consuetudo erat, ut Consortes Sacerdotes operam Parocho præstarent in Cura animarum; & si hoc nexu Sacerdotes liberentur præstandam esse Parocho congruam portionem, qua possit alios sibi Sacerdotes adjungere ad Ecclesiastica Sacramenta Populo exhibenda. Consensuum vero Parochi, qui tenuis redditus Parochiam accepit, nullum eidem detrimentum inferre posse, ne congruam ferat, eam enim salvam esse debere Parocho, etiam si tenuitatem reddituum non ignoraverit, ne ad paranda alimenta distentus curam deserat animarum, ne egestare sua iis, quibus præesse debet, ludibrio sit, ne sibi tantum, sed etiam Parocorum Ordini dedecus afferat, ut recte differit *Rebuff. de congrua quæst.* 12. *num.* 91. & *Rot. dec.* 420. *num.* 4. & 5. *par.* 1. *dec.* 449. *n.* 5. *par.* 2. & *dec.* 230. *n.* 6. & *seq. par.* 6. *recent.*

Frustra quoque obtendi ab Episcopo Sacerdotes ad Consortium admitti Jure tantum Civico, nullo prævio examine, nullo facto periculo, an idonei sint ad operam Parocho præstandam, & Sacramenta Ecclesiastica ministranda, nec id laturos fore Sacerdotes illos, licet opus esset, ut fieret ad restituendam disciplinam, & mores Ecclesiasticorum formandos. Nam si consuetudo est, ut qui Ecclesiæ hujus servitio adscribuntur *Parochi coadjutores sint*, ut ipse met dixit Episcopus, dum Status Ecclesiæ, & Diœcesis suæ ad Sacrum hoc Tribunal retulit anno 1735. jam consequitur, ut ne ipse Episcopus in culpa sit, qui incapaces decoret Ordinibus Ecclesiasticis, præsumendum omnino sit, eos, qui Sacerdotes fiunt, aptos esse ad operam

operam Paroco præstandam; neque enim Sacerdotis officium est dumtaxat Sacrum facere, sed is esse debet, qui Sacerdos instituitur, ut omnia ageri sciat, quæ Parochi facere debent, cum illi, qui Parochiam obtinuit, potestas tantum conferatur ea munera exercendi quorum exercitium simplicibus Sacerdotibus interdictum est, non vero scientia, quæ vel in simplici Sacerdote esse debet, præsertim cum hi, qui Jure Civico in Ecclesia isthac recipiuntur Parochi non fiant, sed Parocho adjungantur, ut Ministri, & Vicariam potius eidem operam præstent, ut universo Populo prospiciatur, nam cura animarum ipsi Parocho incumbit, qui *per se ipsum* illam exercere.

Nil demum obesse responsa Sacri hujus Senatus data annis 1737. & 1738. in Causa *Policastren.* acta inter Parochum, & Sacerdotes Consortes, sive Participantes alterius Ecclesiæ S. Nicolai Laureæ superioris, quibus definitum est *Participantes hortandos, non cogendos esse ad coadjuvandum Parocho*. 2. *quoad perceptionem decimarum, oblationum, emolumentorum, aliorumque redditaum illius Ecclesiæ, necnon quoad prætensum augmentum, seu adsignationem congruæ Parochi servari solitum*: quæ responsa edit Episcopus, ut probet nullam consuetudinis habendam esse rationem. Ea siquidem non convenire nostræ speciei, quod Sacrum hoc Tribunal dubium definiverit in genere, *an Presbyteri Participantes Parochum coadjuvare tenerentur*, & ob id responsum fuit *hortandos esse, non cogendos*: nec velle Cantorem, ut Sacerdotes Consortes compellantur inviti ad Parochum adjuvandum, sed si velint illi Parochialium obventionum partem ferre, cogendos quoque esse a onus ferendum, ne iniquitas aperta sit compendium facere ex Parochialibus redditibus, & onus Parochi non ferret hoc etiam casu, quo Consortes Sacerdotes partem Parochialium redditaum accipiebant, constans fuit semper Sacri hujus Senatus sententia, teneri eos operam Parocho præstare, eumque adjuvare in cura animarum ut est *in Farfen. Decimarum* 1. *Septembris* 1691. *ad III. Dubium*, & *in Aquil. pendien.* 15. *Maii* 1727. & *in Squillacen. Communeriæ* 3. *Septembris* 1729.

Eoque amplius, quod responsa illa in nostra specie normandare non possint, sive quod ipsi Curæ animarum iniqua in ferretur conditio, sive quod necessitas postulet compellendo esse Sacerdotes Consortes ad Parochum adjuvandum, cum enim numeroso Populo *Cantor* unus satis esse non possit, si Sacerdotes hortandi tantum, non vero compellendi essent ad operam Cantori præstandam, ea venirent mala, quæ postlatum Edictum ab Episcopo contigerunt, nam Sacerdotes spreta hortatione Sacramenta Ecclesiastica non ministrant, *Cantor* vero omnibus præsto esse non potest, atque ita in ægros, aliosque qui præsidium a Parocho expectant, omnia recidunt, cum tamen Sacerdotes redditaum, & obventionum, quæ soli Parocho deberentur, otiosi, & sedentes partem accipiant.

Hæc de edicto: Posse vero Parochum, si adversa valetudine afficiatur, sine venia Episcopi, sine speciali ipsius probatione, Vicarium temporarium sibi in Cura Animarum constituere, intendit Serrubius ex doctrina *Hostiens. in cap. Clericos de officio Vicarii*: diserte *Henric. Boich. in cap. consultationibus sub n.3. ibique etiam Fagnanus n.* 12. *de Cleric. ægrot.* & *Passerinus in cap. unico n.* 22. *eod. tit. de Cleric. ægrot. in* 6. idque antiqua consuetudine observatum fuisse testes plures affirmant: Ut ob id queratur Serrubius de Episcopo, qui consortem Sacerdotem constituit, dum ipse podagra laboraret, adsignato stipendio obulorum quindecim in singulos dies, cum hoc facto violata fuerit Juris dispositio, & consuetudo, læsum Jus Parochi, ad quem spectabat Vicarium constituere, & quod iniquius est adsignatum fuerit Substituto stipendium, quod excedit annuam ipsam

quan-

quantitatem, quam ratione Curæ Parochus percipit, quæ non excedit duc. 15., ut ipse met refert Episcopus.

His igitur, quæ a Serrubio proponuntur, quæque Episcopus habet in epistola sua, nondum enim libellum jurium suorum dedit, probe perpensis, respondendum est duobus, quæ sequuntur Dubiis.

I. An Presbyteri adscripti servitio Parochialis Ecclesiæ S. Jacobi Terræ Laureæ, & Participantes de decimis, & aliis emolumentis Parochialibus æqualiter cum Parocho, teneantur eidem Parocho coadjuvare in explicatione Cathechismi, tum in assistentia moribundis, tum in administratione Viatici, & extremæ Unctionis, tumque in cæteris Functionibus Parochialibus sub pena privationis partis decimarum, aliorumque emolumentorum Parochialium, eaque accrescat aliis sedulo id munus agentibus in casu &c.

II. An in casu infirmitatis curabilis, & temporalis ipsius Parochi possit ipsemet in Vicarium temporalem constituere unum ex Confessariis approbatis absque licentia, & alia speciali approbatione Episcopi in casu &c.

NICIEN. DECRETORUM: A Visitatione Niciensis Episcopi hæc est controversia, quæ seniores, junioresque adversos agit illius Cathedralis Canonicos, quæque ad hoc Sacrum Tribunal delata est, appellantibus senioribus, a decretis ejusdem Episcopi. Florebat equidem dudum Capitulum illud Canonicorum numero, inde, qua causa ignoratur, eo pervenit, ut octo tantum numerarentur. Igitur, quæ perpetua est rerum humanarum inconstantia, iterum flore e, & virescere cæpit novorum Canonicatuum accessione, qui nunc decem & octo veteribus illis numeratis habentur; Dispar vero horum, qui aucti sunt, conditio est, nam duo Canonicatus juris Patronatus Capituli sunt, & seniores Canonici suis redditibus fundatos fuisse contendunt; Uni, qui nuncupatur *Archidiaconi Jacobi* negatum fuit Jus suffragii ferendi; Cæteri vero, qui diversas & ipsi erectiones habent, quas referre inutile est, exceptis decimis, & iis quæ ad redditus veterum Canonicorum pertinent, Juribus aliis & honoribus, & sedis, & vocis donati fuerunt, extra quam in electione Procuratoris Capituli, in qua novis Canonicatibus ademptum fuit Jus *passivum* suffragii; Hinc igitur separatæ massæ Capituli, hinc orti novi, & veteres, seu juniores, senioresque Canonici, qui ab integra decimarum perceptione *decimantes* dicti sunt: hinc demum orta dissidia, & natæ controversiæ inter veteres, novosque Canonicos, quas dum sopire, & comprimere studuit Episcopus decretis pluribus in Visitatione latis, causam dedit disputationi, quæ in decem capita distributa, audito jam eodem Episcopo, qui rationes suas late retulit, nunc in hoc Sacro Tribunali definienda proponitur. *Sess. 24. c. 10. de ref. & Sess. 21. c. 3. de ref.*

Primum igitur caput, quod in quæstionem revocatur, est „ An Canonici „ decimantes efformare debeant unum Corpus, & unum Capitulum cum „ cæteris Canonicis secundæ, & tertiæ erectionis, itaut Capitulum a se„ nioribus tantum non repræsentetur, idque locum habere possit etiam „ quoad ea, quæ pertinent ad administrationem Massæ seniorum, ju„ riumque eidem adnexorum „: Affirmativam sententiam defendunt juniores, quod ipsi non sint Canonici *Honorarii*, sed uti vere Canonici pleno Jure Canoniæ potiantur, ideoque unum idemque corpus, & Capitulum cum senioribus Canonicis constituant, juxta ea quæ inter *veros & Honorarios* Canonicos distinguendo tradunt Pontificii Juris Interpretes *ad Cap. cum M. Ferrariensis de Constitut.* ubi horum quæstionum sedes est, & præsertim *Fermosin. n. 28. & 37. & Fagnan. n. 25. & 26.*; Idque custodien-

ſtodiendum eſſe, atque obſervandum etiam in iis, quæ ad adminiſtrationem Maſſæ ſeniorum, Juriumque eidem adnexorum pertinent, nam ſi juniores membra ſunt Corporis illius, quod Capitulum nuncupatur, repelli non poſſunt, & ſeparari, ne integrum corpus membris ſuis careat, & ſi ſecus fieret in una Cathedrali Eccleſia duo eſſent diverſa Capitula, quorum unum a ſenioribus in iis, quæ ad eorum Maſſam pertinent, alterum a Junioribus in iis, quæ adminiſtrationem propriæ Maſſæ reſpiciunt, eſſent conſtituenda, quod Eccleſiaſticæ diſciplinæ non convenire tradunt *Lotter. de re benef. lib. 1. quæſt. 15. ſub n. 10. & ſeqq. Scarfant. Lucub. Canon. lib. 1. tit. 14. in Animadver. num. 3.*

Dant tamen ultro Juniores Canonici, ut in reſponſo ab hoc Sacro Senatu adjiciatur, eos non habere Vocem activam nec paſſivam in iis, quæ privative pertinent ad adminiſtrationem Canonicorum decimantium, & Jurium ei adnoxorum, neque ob id colligi poſſe ajunt eos non eſſe *de Capitulo*, quod omnino diverſum ſit quærere, an illi vocem *activam*, & *paſſivam* habeant in Capitulo, & an *de Capitulo* ſint, & Capitulum conſtituant, ut habent *Barboſa de Canonic. cap. 27. num. 1. & 2. Scarfanton. Luc. vol. 1. deciſ. 59. n. 70.* cum nihil vetet novos Canonicos vocem non habere in certis rebus negociiſque tractandis, & tamen membra eſſe totius Capituli, itaut ſine iis nequeat corpus univerſum a ſolis veteribus ſenioribuſque Canonicis conſtitui, ut docent idem *Barboſa d. cap. 27. n. 19. Garzia de Beneſ. par. 3. cap. 2. n. 377. Leuren. For. Benef. vol. 1. quæſt. 405. ſub n. 4. & S. Rota coram Cavaler. deciſ. 109. n. 11.*

Contra vero ſeniores Canonici negativam ſententiam tuentur, quod cum non ambigatur primam antiquam menſam, Maſſamque Capitularem plene, atque integre ad eos ſpectare, uti ad eos ſpectabat, cum novis nondum erectis Canonicatibus integrum ipſi corpus, & Capitulum conſtituebant, & hujus menſæ participes non eſſe novos Junioreſque Canonicos, qui ab ejuſdem adminiſtratione, cura, & diſpoſitione tum ex communi Jure, tum ax pactis in eorum Canonicatuum erectione conventis arcentur, conſequens ſit *quoad Juris effectus* Juniores Canonicos non eſſe cenſendos *de corpore capituli*, ſed ſolos *Honorarios*, & *Supranumerarios*, cum eorum Canonicatus erecti non fuerint ex redditibus Eccleſiæ, nec admiſſi fuerint ad participandos omnes, & quoſcumque Eccleſiæ, & Maſſæ Capitularis redditibus, quo caſu unum corpus, & Capitulum conſtituerent cum veteribus, ſed propriis Fundatorum bonis erecti fuerunt, & de illorum Jurepatronatus ſunt, mutuo convento pacto rejecti a redditibus Eccleſiæ & Maſſæ Capitularis, ut nequeant dici factos de corpore Capituli, neque in omnibus pares veteribus Canonicis, ſed *Honorarii* dumtaxat cenſendi ſunt, eaque ſolum jura & honores obtinere poſſunt, quæ in actu fundationis & erectionis conceſſa, conventaque fuerunt, ut duos hoſce caſus diſtinguentes differunt poſt *Abbatem in cap. cum M. Ferrarienſis ſub num. 29. de Coſtitut. Fagnanus in cap. dilectus 1. num. 21. & 24. de Præbend. Card. de Luca de Canon. diſc. 37. num. 2. Panimoll. dec. 98. num. 3. & ſeq. Sac. Rota coram Lancetta vol. 3. dec. 803. num. 3. & ſeq. & in Novarien. Præcedentiæ 11. Decembris 1713. §. Nullatenus coram Barbadico.*

Jus vero ſuffagii, & communionem honorum, & Privilegiorum non poſſe facere, ut novi Canonici accipiendi ſint uti pares veteribus, & unum idemque Capituli corpus conſtituentes, cum non fuerint admiſſi purè, ſed certis legibus, & conditionibus, nec ſuffragium faciat, ut *in omnibus, & per omnia* ſenioribus pares ſint, & unum cum iis Capitulum efficiant, ut reſpondent *Pignattell. vol. 4. conſult. 104. num. 4. Panimoll. d. dec. 98. num. 1. & ſeq. S. Rota coram Lancetta d. deciſ. 803. num. 10., & 11. & deciſ. 416. num. 6. part. 1. & dec. 114. num. 3. part. 4. tom. 1.*
recent.;

recent. ; Præfertim cum novi hi Canonici in actibus Capitularibus, qui proponuntur ipsis præsentibus, *Supranumerariorum* nomine tituloque vocati fuerint, ut cum nullam emiserint contrariam protestationem, dici debent agnovisse eos non esse veros Canonicos, ut erant seniores; Idque etiam apertius monstrari ex optione sedium, locorumque in Choro, quæ semper servata fuit, actuque observatur distinctè, & separatim in unoquoque gradu, nec novi Canonici optarunt unquam loca superiora, quæ a veteribus tenentur, quæ res deliquet Juniores esse Canonicos *honorarios*, alias servari inter omnes debuisset ordo admissionis in Capitulum, & jus senii, & antiquioris temporis, ut ad rem hanc ex mente Sacri hujus Senatus *in Sutrina* 28. *Januarii* 1668. observant *Cardinalis de Luca d. disc.*37. *de Canon. num.*2. *Gratian. disc. cap.*367. *Pignatell. consul.*90. *num.*4. *vol.*6. *& consul.*72. *num.*18. *vol.*9. *Panimoll. d. decis.*98. *annot.*1. *num.*17. *& Laucetta d. decis.*803. *num.*1.

Quod adhuc novi Canonici unum cum veteribus corpus, & Capitulum constituere possent, dicendum id essent in iis tantum actibus, qui statum Ecclesiæ respiciunt, & in quibus omnes tum veteres tum novi Canonici convenire, & in unum corpus coalescere possent, quod in ea re æquale esset Jus, & potestas, & interesse, non vero in iis, quæ pertinent ad administrationem Massæ Canonicorum seniorum, & Jurium eidem adnexorum, nam in his non ambigitur nec vocandos nec audiendos esse novos Canonicos, ut omissis innumeris DD., qui colligi possent, responsum fuit ab hoc Sacro Tribunali *in Aretina Erectionis Canonicatuum* 15. *Maii* 1703. *& in Alatrina Erectionis Canonicatus* 8. *Februarii* 1727., & consequenter omnino dicendum esse in illis actibus & negociis solos Canonicos seniores Capitulum constituere, cum ipsi tantum in iis tractandis & peragendis coire, interesse, suffragium dare, & negocia definire possint; Capitulum siquidem constituunt illi, quibus hæc omnia agere datum est, non vero, qui Capitulo interesse, & suffragium dare nequeunt, ut ex textu *in cap. cum nobis*, ubi Interpretes id habent *de Elect.* tradunt *Barbos. de Jur. Ecclesiastico lib.*1. *cap.*1. *num.*74. *& c.*19. *num.*4. *Passerin. de elect. cap.*14. *num.*11. *Lotter. de re benef. lib.*2. *qu.*18. *n.*6. *Cardinalis de Luca de præeminent. disc.*17. *num.*7. aliique quos referre non vacat.

Neque ob id dici posse duo futura in eadem Ecclesia diversa Capitula seniorum alterum, alterum juniorum Canonicorum; unum siquidem dicendum esse Capitulum formaliter compositus novis antiquisque Canonicis, sed materialiter quoad negocia & Massas distinctum, & separatum, ut in iis, quæ Massam seniorum respiciunt, & jura eidem adnexa, seniores tantum illud constituant, in iis vero, quæ respiciunt aut Ecclesiæ statum, aut id, quod communiter, & ex æquo interest, & senioribus & junioribus Canonicis Capitulum constituatur, ut ab hoc Sacro Tribunali declaratum est in illa *Aretina Erectionis Canonicatuum* 5. *Maii* 1703. Atque ita accipiendam esse Synodalem hujus Ecclesiæ Constitutionem latam anno 1730. qua statutum est: *Canonicos omnes in unum non in duplex Capitulum coalescere*: ut scilicet unum sit in Ecclesia formale Capitulum, quod in iis, quæ ad seniores Canonicos pertinent a senioribus repræsentetur, in iis vero, quæ communia sunt, repræsentetur a Canonicis omnibus.

Ex his colligunt seniores substineri non posse alterum Episcopi decretum, quod secundum est hujus disputationis caput, quod jubetur, ut „ sub nomine Capituli nulla unquam capiatur, aut fiat, aut enun-„ cietur resolutio, nisi cum interventu, aut saltem vocatis & „ monitis omnibus Canonicis tum antiquis tum novis: Et quoties tra-„ ctandum erit, & resolvendum aliquid concernens decimas & redditus „ spe-

„ ſpectantes ad Canonicos decimantes reſolutio fiet, & enunciabitur ſub „ nomine Canonicorum Decimantium „ In ea ſiquidem Epiſcopus opinione fuit, ſeniores Canonicos, cum in unum conveniunt, novis excluſis, ut de iis, quæ ad eorum Maſſam, & jura eidem adnexa pertinent, inter eos agant, non conſtituere, & repreſentare Capitulum, quod falſum eſſe ex iis, quæ primo capite tradita ſunt, evinci poſſe, idque alia etiam ratione monſtratur, quia ante erectionem, & fundationem novorum Canonicatuum. aderat in illa Eccleſia Capitulum, quod ſolis veteribus Canonicis componebatur, ut novis introductis vetus Capitulum mutatum non fuerit, ſed auctum tantum, & accretum numero Canonicorum; Neminem vero ignorare augmentum non mutare naturam ſpeciemque rei auctæ, ſed majorem facere numerum, & quantitatem illius; Et cum hoc augmentum numeri ex allectione; & aggregatione novorum Canonicorum factum fuerit lege pactoque expreſſo, ut ab iis, quæ ad veterum Maſſam ejuſque jura pertinent, novi Canonici longe abeſſent, conſequens eſſe, ut ſicuti Capitulum ante allectionem a Canonicis antiquis tantum quoad hos actus, & propriæ Maſſæ negocia componebatur, ita, & poſt allectionem a ſolis veteribus in iiſdem actibus, & negociis propriæ Maſſæ componatur, & componi debeat, eam in his affectu Juris habeatur, ac ſi numerus Capituli auctus non fuiſſet, ac ſi novi Canonici non eſſent *de Capitulo, & ac ſi Erectio, & Aggregatio facta non fuiſſet, ut eſt apud Scarfanton. ad Ceccoper. Lucub. Canon. lib.1. tit.14. num.57. & 58. & S. Rot. in Nevarien. Aggregationis* 12. *Junii* 1682. §. *aut agitur coram Urſino*.

Male igitur decreviſſe Epiſcopum *reſolutiones fieri, & enunciari ſub nomine Canonicorum decimantium*, hoc enim nomen quod non Capituli, eſt, ſed ſingularum Perſonarum: convenire tantum poſſe novis Canonicis, cum ſoli, & a veteribus ſejuncti coeunt, ut de negotiis juribuſque Maſſæ ſuæ agant, quia ipſi per ſe uti allecti in augmentum tantum, & ad augendum numerum Capituli, nequeant Eccleſiæ Capitulum conſtituere. quod a veteribus repræſentatur, hac plane ratione, ut in iis quæ aut Eccleſiæ ſtatum, aut intereſſe Canonicorum omnium reſpiciunt, vetus, Capitulum auctum ſit, & augeatur novorum Canonicorum acceſſione, in iis vero, quæ ad Maſſam veterum ſpectant, idem vetus ſit, ut erat, Capitulum, non auctum, non accretum, ſed ſeniorum tantum Canonicorum numero coactum, compoſitumque, ut differentiam hanc cognoviſſe dicitur Sacrum hoc Tribunal in dicta *Aretina Erectionis Canonicorum* 5. Maii 1703. idque etiam diuturna conſuetudine obſervatum fuiſſe in hac Eccleſia, ut ex iis, qui proponuntur, actibus apparet, quæ conſuetudo, dum juri contraria non ſit, ſervanda erat, nec lædi poterat hoc decreto ab Epiſcopo, ut advertunt Interpretes ad dictum *Cap. cum M. Ferrarienſis, & præſertim Felin. n.*113., *& Ropa num.*187. *de Conſtitut.*

At longe aliter rationes ſuas componunt juniores Canonici, nullam Capituli nomine a Canonici edi poſſe definitionem, ſeu ut ajunt reſolutionem, niſi omnibus Canonicis, qui Capitulum conſtituunt, præſentibus, & ſi extraordinarium Capitulum ſit, legitime vocatis, alias nullum irritumque Capitulum illud eſſe, nec reſolutionem edi poſſe nomine Capituli, quod nullum irritumque eſt, ut ex Textu *in cap. Bonæ Mem.*2. *&* 2. *& cap. in Geneſi*. §. *Nos his, & cap. quia propter de Elec. docent Fagnan. in cap. cum ex injuncto n* 52. *de nov. oper. nunc. Anaclet. in Jus Canon. lib.*3. *tit.*11. *num.*12. *Card. de Luca de Jur. Patron. diſc.*34. *n.*12. *Scarfan. Lucub. vol.*2. *lib.*4. *tit.*2. *in animadverſ. num.*1. Et cum Sacri Canones decernant Capitulum nonniſi ab univerſis Canonicis conſtitui, ut eſt *in cap. Capitulum Sanctæ Crucis*. 30. *de reſcriptis* conſequens eſſe, ut re-

ut resolutiones certi numeri Canonicorum nequeant inscribi nomine Capituli, nam si secus esset, non possent, quæ a certo tantum Canonicorum numero editæ sunt, distingui, & secerni ab iis, quæ editæ sunt ab omnibus Canonicis, atque universo Capitulo, & ad omnem tollendam confusionem, & componenda jurgia, & dissidia, quæ ob id inter veteres novosque Canonicos eveniebant, recte hanc distinctionem nominis decretum fuisse ab Episcopo.

Tertio Capite ambigitur de alio Episcopi decreto quod est,, Qualibet Fe-,, ria Sexta habebitur Capitulum ordinarium, nec opus erit alia intima-,, tione: In quo Capitulo in primis tractandum erit de iis, quæ ad di-,, vinorum Officiorum rationem, ad Sacros Ritus, & cæremonias per-,, tinent, tum ad tollendos abusus, si qui irrepserint, tum ad singulo-,, rum Ecclesiæ Ministrorum negligentiam, si quæ adsit, coercendam, ,, tum ad ea omnia, quæ ad rectam Ecclesiæ Gubernationem spectant: ,, Deinde tractabitur de aliis rebus, prout occasio postulabit,,. Late disserunt juniores Canonici, ut hujus decreti justitiam, atque æquitatem monstrent, quam non inficiantur seniores, seu Decimantes petentes tantum responderi *Affirmativè præterquam in respicientibus Massam Decimarum* ea ratione, quod cum hæc Massa ad veteres tantum Canonicos spectet, nequeant, cum de ea agitur, præsentes sese novi Canonici, qui tamen in hoc Capitulo ordinario, de quo est decretum Episcopi, præsentes erunt.

Quarto Capite in disputationem venit decretum Episcopi, quo definitum fuit,, omnes Canonicos tum seniore, tum juniores, excepto Canonico ,, fundationis Archidiaconi Jacobi, (cui ut supra narravimus, negatum ,, fuit jus suffragii) habere vocem activam, & passivam in omnibus Ca-,, pitulis, & Elestionibus etiam Canonici Curati, & alterius Canonici ,, cum Præbenda de Pulchro loco, præterquam Canonicos ex Fundatio-,, ne Rossignoli in Electione Passiva Procurationis,,: Duos Canonicatus Curatum, & alterum qui Præbendam habet nuncupatam de Pulchro loco juris esse Patronatus veteris Capituli contendunt seniores Canonici: de primo aperta res est, nec ambigitur: de altero quæstionem movit Episcopus, qui definivit (recte ne an secus nunc non quæritur) suæ esse liberæ collationis: Igitur de hoc Episcopi decreto Decimantes queruntur, quod in electionibus horum Canonicorum admissi juniores sint ad suffragium ferendum, cum non agatur de jure, quod Ecclesiæ statum respiciat aut commune Canonicorum omnium interesse, sed de electione, quæ sive ex juris dispositione, sive ex lege Fundationum ad solos Canonicos seniores pertinere debeat.

Et ex juris quidem dispositione ac lege fundationum i quia cum ambigi non possit Canonicatum Curatum erectum fundatumque fuisse bonis, & redditbus juribusque veteris mensæ Capitularis, cum præclara sint monimenta, quibus seniores nituntur, ut tueantur juspatronatus alterius Canonicatus de Pulchro loco ad Capitulum pertinere, non vero illius collationem Episcopi esse consequitur, ut cum redditus, fructus, & jura quæ ad veterem mensam spectabant, spectent nunc ad seniores Canonicos, novis expresso pacto exclusis, nequeant hi ad illorum Canonicorum electionem admitti, sed jus eligendi ad seniores tantum spectare debeat, quod Canonicatus illi erecti, & fundati sint juribus, & redditibus propriæ Mensæ, ut ex constanti DD. sententia tradunt *Lotter. de re Benef. lib.*1.*qu.*21. *num.*95. *Card. de Luca de Canonic. disc.*19. *num.*20. *Piton. discep. Eccl.*159. *num.*11., *&* 12. Alia quoque accedente ratione, quod jus eligendi, & nominaudi duos hosce Canonicos ante novorum Canonicatuum erectionem ad seniores spectabat, ut juris ratio non patiatur novos Canonicos ad hoc jus esse admittendos, cum non agatur *de jure quærendo. sed de quæ-*

 sito,

sito, ut distinguendo tradunt *Quesada controv. foren. foren. cap.1. n.45. Gratian. discep.867. num.1 . Perez. Lara de Anniver. cap.16. num.11. Scarfanton. ad Ceccoper. Lucub. lib.1. tit.14. num.57., & seq., & Sacrum hoc Tribunal in d. Aretina Erectionis Canonicatuum 3. Maii* 1803.

Longum profecto esset, quæ hac in re latissime hinc inde disputantur, referre, in volumen enim Folium excresceret, nonnulla vero, quæ ab junioribus Canonicis contra proponuntur, dabimus, qui cum nullam Episcopo de Canonicatu Pulchri loci quæstionem moveant, rogant Eminentissimos Patres ut in responso adjiciant: „ Salvo tamen jure eorum, „ ad quos spectet libera collatio Præbendæ de Pulchro loco: „ Satis nunc eis est de electione Canonici Curati cum senioribus contendere: Ajunt rem non esse de Canonicis Honorariis destitutis scilicet jure Canoniæ, Præbenda, aliisque juribus, solaque Canonicorum inania nuncupatione contentis, sed de veris, propriisque Canonicis, qui unum idemque Capitulum constituunt cum senioribus ex iis, quæ primo capite disputata sunt, & ob id activa, & passiva voce carere non debeant, sed uti antiquiores Canonici ea debeant potiri, præsertim perspecta lege fundationis cujuscumque Canonicatus, in qua non tantum negatum non fuit jus suffragii, quod satis esset, ut tradunt Interpretes, sed fuit aperte concessum, extra certum casum, quod apertius monstrat concessionem in aliis non exceptis, ut concesso jure suffragii ferendi nequeat præpediri, ut feratur in electione Canonici Curati.

Sequitur quintum Caput, quod de Decreto altero Episcopi jubente „ ut in „ omnibus Capitulis adhibeatur Secretarius, qui in certum librum re„ ferat, & describat omnes propositiones, instantias, & resolutiones „ Capituli tam quoad negocia spiritualia, quam temporalia: „ Queruntur de hoc decreto seniores, quod cum juxta ea, quæ primo, alteroque capite tradita sunt ad eos spectent, ea quæ sunt veteris Massæ, & jurium eidem adnexorum, si juxta hoc decretum in unum Codicem, librumque omnia colligeret, & referret communis Secretarius, aperta essent junioribus Canonicis ea, quæ ad ipsos non pertinent contra ea, quæ frequenter hac in re Sac. Rota respondit.

Sexto Capite res est de alio Decreto, quo jussum est ab Episcopo, „ ut in „ arduis negociis, si ita videbitur majori parti Capituli secreta suffragia „ ferantur, & quoties res ardua proponatur, resolutio differatur ad aliud „ Capitulum, si negocium patiatur dilectionem „ Laudant hoc Decretum juniores canonici, quod plurimum expediat etiam in negociis non arduis secreta ferri suffragia; sed seniores Canonici distinguedum negant inter ardua, & non ardua negocia, negant locum esse arbitrio majoris partis Capituli, sed obtemperandum esse contendunt menti, & voluntati Sanctissimi, optimique Pontificis Clementis XI., qui diserta epistola ad Capitulum Niciense data jussit, ut negocia omnia secretis suffragiis agerentur, addita si secus fieret pœna districtionis Ecclesiasticæ, a qua solvi non possent, nisi ab ipso summo Pontifice.

Altera septimi Capitis quæstio est de Depositarii persona. Consuetudine Niciensis Ecclesiæ receptum fuit, ut dignitates, & Canonici duplas decem singulis annis deponerent in communi Massa ut iis distribuerentur, qui statis horis interessent: jussit Episcopus Decretis suis, ut deponerentur in manibus Canonici Procuratoris, vel alterius ex Canonicis Gapitulo bene visi. Petunt Decimantes servari antiquum Ecclesiæ statutum, quod jubet a Collectore Decimarum, qui idem est ac Procurator Capituli, retineri pecunias, & apud eum deponi, & ob id delendum esse a Decreto Episcopi arbitrium illud datum vel alterius ex Canonicis Capitulo bene visi, cum statuta Ecclesiæ, quæ jurant Canonici, sint servanda, nec locus esse debeat arbitriis, ubi lex aliquid jubet aperte.

Quæstio

Quæstio quæ octavo Capite disputatur est; „ An Punctatura fieri debeat a „ singulis Canonicis per Turnum, vel potius Canonicus Punctator sit „ semper capitulariter eligendus „ . Hoc secundum decrevit Episcopus vestigia præmens Episcopi Malletti, qui hoc idem decreverat anno 1629. & rationes decreti in sua epistola retulit „ Expedire non videtur arctare „ hoc officium ad Turnum, tum quia contigere potest, quod non omnes Canonici habeant qualitates requisitas ad hoc munus exercendum, & statuto „ Turno admittere hujusmodi Canonicum non habentem requisita esse non „ potest præjudiciale servitio Ecclesiæ: illud excludere esset occasio dissen„ sionum „: Addit aliam rationem: si unus recuset, possent, & alii recusare „ & sic Capitulum remaneret sine Punctatore, vel cum dissen„ sionibus „: his rationibus addunt Juniores, ita ex juris dispositione decernendum esse, ita pluries respondisse hunc Sacrum Senatum.

Diversum placet senioribus, qui diuturno usu, longaque consuetudine observatum fuisse ajunt in hac Ecclesiæ, ut hoc officium per Turnum exerceatur; Consuetudinem, ut in alia qualibet re, ita & in hac esse sequendam, non mutandam, ut tradunt *Pignattell. consult. 129. num. 7., & seq. vol. 1. Gonzalez. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 1. num. 79. Card. de Luca de Canon. disc. 11. n. 2. & seq. Piton. de controv. Patron. alleg. 90. num. 77., & alleg. 100. num. 67.* Præsertim cum rationi conveniat; est enim hoc officium oneris, non utilitatis, ut ratio postulet a singulis exerceri per Turnum non vero ab arbitrio electionis pendere, cujus tamen sors caderet semper in seniorum aliquem, nam hi numero pauciores sunt, fugientibus junioribus laboriosum munus, ad quod tamen exercendum quilibet esse potest idoneus, cum nulla requiratur industria personæ, sed oculorum tantum, ut observetur, qui a Choro deficiat, & ejus adnotetur defectus.

Nono Capite ambigitur, „ An Episcopo accedenti ad Cathedralem Ecclesiam, „ pro Sacris Functionibus peragendis debeant de redditibus Ecclesiæ, seu „ Sacristiæ subministrari Candelæ? „ Quod Decreto suo jussit Episcopus. Placet hoc junioribus Canonicis, qui ex juris dispositione præstandas esse contendunt, ut ex *Text. in cap. fin. de stat.* tradunt *Bellet. disquisit. Cler. Tit. de Cleric. §. 13. & 14. Ventrigl. in praxi vol. 2. Annot. 18. §. Unic. num. 2. Pargna de Jur Patr. vol. 3. par. 5. can. 4. cas. 1. num. 16.* Contra vero seniores, longo usu semper observatum fuisse, ut Episcopi candelas præstarent, nec usum hunc esse mutandum: Sacrarium nullos habere redditibus, ut non sit hoc onere gravandum, quod satius esset sentire Episcopum, cum de tenuissima re agatur, præsertim cum statutis hujus Ecclesiæ onus tantum Capitulo datum sit hoc casu Altaria bene parandi, non vero candelas Episcopi Pontificalia agenti sua pecunia præstandi.

Decimo tandem Capite, quo quæritur, „ An substineatur concessio Almu„ mutiæ facta ab Episcopo Presbyteris inservientibus Choro Cathedralis „ sub nomine Beneficiatorum excluso Presbytero Vice-Curato? „ Respondendum est ab hoc Scro Senatu *satis provisum per Decretum Episcopi* contendunt juniores, quod inutilis disputatio sit, nam Episcopus audita Seniorum contradictione, concessionem illam jam revocavit.

His igitur omnibus, quæ tum a Senioribus, tum a Junioribus Canonicis late disputantur, expensis cognoscendum erit ab Eminentissimis PP. qua juris ratione decem, quæ sequuntur Dubia sint definienda.

I. *An Decretum Episcopi in Visitatione editum, quo statuitur Canonicos decimantes cum cæteris Canonicis secundæ, & ulterioris Erectionis efformare debere unum Corpus, & unum Capitulum, ita quod Capitulum non repræsentetur per solos Canonicos Decimantes, sit servandum etiam quoad ea, quæ pertinent ad Administrationem*

Massæ

Massæ Canonicorum Decimantium, & Jurium eidem adnexorum in casu &c.

II. *An itidem servandum sit etiam in iis, quæ pertinent ad Administrationem Massæ ipsorum Canonicorum Decimantium & Jurium eidem Massæ adnexorum ejusdem Episcopi Decretum præscribens nullam sub nomine Capituli capi, aut enunciari resolutionem, nisi intervenerint, aut saltem vocati, & moniti fuerint omnes Canonici tum antiqui, tum novi, ita tamen quod si tractandum erit aliquid concernens decimas, & redditus spectantes ad Canonicos decimantes resolutio fieri, & enunciari debeat sub nomine eorumdem Canonicorum Decimantium sub pœna aureorum decem solven. a Canonico Procuratore, & Sacristiæ applicandorum.*

III. *An in qualibet feria sexta habendum sit Capitulum ordinarium absque alia intimatione, & in eo tractandum in primis sit de iis, quæ ad Divinorum Officiorum rationem, Sacros Ritus, & rectam Ecclesiæ gubernationem pertinent, & deinde de aliis rebus juxta tertium Decretum Episcopi in casu &c.*

IV. *An aliud Decretum Episcopi, quo statuitur, omnes Canonicos tum Decimantes, tum posteriorum Erectionum excepto Canonico fundationis Archidiaconi Jacobi, habere vocem activam, & passivam in omnibus Capitulis, & electionibus etiam Canonici Curati, & alterius Canonici cum Præbenda de Pulchro loco præterquam Canonicos ex Fundatione Rossignoli in electione passiva Procuratoris Capituli sit servandum in casu &c.*

V. *An pariter servandum sit etiam quoad ea, quæ pertinent ad administrationem Massæ ipsorum Canonicorum Decimantium, & Jurium eidem Massæ adnexorum Decretum præscribens adhiberi in omnibus Capitulis Secretarium, qui in eorum librum referat omnes Propositiones, Instantias, & Resolutiones Capituli tam quoad negocia spiritualia, quam temporalia sub pœna aureorum decem Sacristiæ applicandorum in casu &c.*

VI. *An servandum quoque sit Decretum præscribens, quod in arduis negociis Capituli, si ita videbitur ejus majori parti, suffragia ferantur secreta, ac etiam resolutio, quatenus negotium patiatur dilationem ad aliud Capitulum differatur in casu &c.*

VII. *An depositum Duplarum decem, de quo in Decretis X., & XI. Episcopi fieri semper debeat in manibus Canonici Procuratoris, vel potius fieri possit in manibus alterius Canonici Capitulo benevisi juxta d. Decreta Episcopi in casu &c.*

VIII. *An Punctatura fierie debeat a singulis Canonicis per Turnum, vel potius Canonicus Punctator sit semper capitulariter eligendus juxta Decretum XII. in casu &c.*

IX. *An Episcopo accedenti ad Cathedralem Ecclesiam pro sacris functionibus peragendis debeant de redditibus Ecclesiæ, seu Sacristiæ a Capitulo subministrari Candelæ juxta aliud Decretum.*

X. *An substineatus concessio Almutiæ facta ab Episcopo Presbyteris inservientibus Choro cathedralis sub nomine Beneficiatorum excluso Presbytero Vice-Curato in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 14. Martii 1744.



Ogantur Eminentissimi Patres ut ea, qua solent humanitate Folium ultimæ Congregationis habitæ die 29. transacti mensis Februarii, iterum inspiciant, ut Trium, quæ sequuntur Causarum, definitionem dare possint, cum in illa Congregatione propositæ non fuerint.

JANUEN. In qua quæritur. *Sess. 25. c. 3. de ref.*

An regulæ, de quibus agitur sint approbandæ in casu &c.

Affirmative juxta Votum, & conditiones appositas ab Eminentissimo Spinula, addita secunda conditione, quod non exerceant Missiones in duabus Vallibus Poncevere & Bisagnii.

POLICASTREN. in qua duo hæc dubia disputantur. *Sess. 21. c. 4. de reform. & Sess. 23. c. 1. de ref., & Sess. 24. c. 18. de ref.*

I. *An Presbyteri adscripti servitio Parochialis Ecclesiæ S. Jacobi Terræ Laureæ, & Participantes de decimis, & aliis emolumentis Parochialibus æqualiter cum Parocho, teneantur eidem Parocho coadjuvare in explicatione Cathechismi, tum in assistentia moribundis, tum in administratione Viatici, & extremæ Unctionis, tumque in cæteris Functionibus Parochialibus sub pœna privationis partis decimarum, aliorumque emolumentorum Parochialium, eaque accrescat aliis sedulo id munus agentibus in casu &c.*

II. *An in casu infirmitatis curabilis, & temporalis ipsius Parochi possit ipsemet in Vicarium temporalem constituere unum ex Confessariis approbatis absque licentia, & alia speciali approbatione Episcopi in casu &c.*

Affirmative ad primum juxta facultates singulorum participantium. Ad secundum affirmative.

NICIEN. DECRETORUM, in qua decem Dubia definienda sunt. *Sess. 24. c. 10. de Ref., & Sess. 21. c. 3. de ref.*

I. *An Decretum Episcopi in Visitatione editum, quo statuitur Canonicos decimantes cum cæteris Canonicis secundæ, & ulterioris Erectionis efformare debere unum Corpus, & unum Capitulum, ita quod Capitulum non repræsentetur per solos Canonicos Decimantes, sit servandum etiam quoad ea, quæ pertinent ad Administrationem Massæ Canonicorum Decimantium, & Jurium eidem adnexorum in casu &c.*

II. *An itidem servandum sit etiam in iis, quæ pertinent ad Administrationem Massæ ipsorum Canonicorum Decimantium & Jurium eidem Massæ adnexorum ejusdem Episcopi Decretum præscribens nullam sub nomine Capituli capi, aut enunciari resolutionem, nisi intervenerint, aut saltem vocati, & moniti fuerint omnes Canonici tum antiqui, tum novi, ita tamen quod si tractandum erit aliquid concer-*

cernens decimas, & redditus spectantes ad Canonicos decimantes resolutio fieri, & ennunciari debeat sub nomine eorumdem Canonicorum Decimantium sub pœna aureorum decem solven. a Canonico Procuratore, & Sacristiæ applicandorum.

III. *An in qualibet feria sexta habendum sit Capitulum ordinarium absque alia intimatione, & in eo tractandum inprimis sit de iis, quæ ad Divinorum Officiorum rationem, Sacros Ritus, & rectam Ecclesiæ gubernationem pertinent, & deinde de aliis rebus juxta tertium Decretum Episcopi in casu &c.*

IV. *An aliud Decretum Episcopi, quo statuitur, omnes Canonicos tum Decimantes, tum posteriorum Erectionum excepto Canonico fundationis Archidiaconi Jacobi, habere vocem activam, & passivam in omnibus Capitulis, & electionibus etiam Canonici Curati, & alterius Canonici cum Præbenda de Pulchro loco præterquam Canonicos ex Fundatione Rossignoli in electione passiva Procuratoris Capituli sit servandum in casu &c.*

V. *An pariter servandum sit etiam quoad ea, quæ pertinent ad administrationem Massæ ipsorum Canonicorum Decimantium, & Jurium eidem Massæ adnexorum Decretum præscribens adhiberi in omnibus Capitulis Secretarium, qui in eorum librum referat omnes Propositiones, Instantias, & Resolutiones Capituli tam quoad negocia spiritualia, quam temporalia sub pœna aureorum decem Sacristiæ applicandorum in casu &c.*

VI. *An servandum quoque sit Decretum præscribens, quod in arduis negociis Capituli, si ita videbitur ejus majori parti, suffragia ferantur secreta, ac etiam resolutio, quatenus negotium patiatur dilationem ad aliud Capitulum differatur in casu &c.*

VII. *An depositum Duplarum decem, de quo in Decretis X., & XI. Episcopi fieri semper debeat in manibus Canonici Procuratoris, vel potius fieri possit in manibus alterius Canonici Capitulo benevisi juxta d. Decreta Episcopi in casu &c.*

VIII. *An Punctatura fierie debeat a singulis Canonicis per Turnum, vel potius Canonicus Punctator sit semper capitulariter eligendus juxta Decretum XII. in casu &c.*

IX. *An Episcopo accedenti ad Cathedralem Ecclesiam pro sacris functionibus peragendis debeant de redditibus Ecclesiæ, seu Sacristiæ a Capitulo subministrari Candelæ juxta aliud Decretum.*

X. *An substineatus concessio Almutiæ facta ab Episcopo Presbyteris inservientibus Choro cathedralis sub nomine Beneficiatorum excluso Presbytero Vice-Curato in casu &c.*

Ad I. Decretum Episcopi esse servandum præterquam quoad ea, quæ pertinent ad administrationem Massæ Canonicorum Decimantium, & Jurium eidem adnexorum. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative præterquam quoad respicientia Massam Decimantium. Ad IV. Affirmative salvo Jure eorum ac quos pertinere possit libera Collatio Præbendæ de Pulchro loco. Ad V. Affirmative ita tamen ut Canonici Decimantes Secretarium suum eligere valeant, qui in librum particularem omnia referat pro negotiis eorumdem Massæ. Ad VI. Servetur omnino literæ fa. mem. Clementis XI. Ad VII. Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. Ad VIII Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. Ad IX. Affirmative. Ad X. Negative & satis provisum per novissimum Episcopi Decretum.

NEA-

NEAPOLTANA SPONSALIUM. Indulta Auroræ Michaeliæ ab Eminentissimis Patribus dilatione propositionis Causæ ad hanc Congregationem, inspecto, ut eo quo par est, obsequio rogantur, Folio Congregationis habitæ die 24. Augusti 1743., qua primum proposita fuit, perpensisque Juribus, quæ nunc edita sunt, respondendum erit. *de ref. Matr. Sess. 21. c. 4.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad secundam post Agnos omnino.

GRANATEN. MATRIMONII. Proposita hac causa in Congregatione habita die 14. Septembris anni 1743 Placuit Eminentissimis Patribus respondere -- *Dilata, & proponatur citatis interesse habentibus*; cum igitur impetum hoc decretum fuerit, postulat nunc Anna Francisca Seixas, & Bolagnos, contradicto judicio rem definiri, ideoque grave non sit EE. PP. Folium Congregationis illius diei oculis iterum subiicere, ut respondere possint. *Sess. 24. c. 1. & 4. de ref. Matr.*

An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

Dilata.

SPOLETANA CAPPELLANIARUM. Postquam a Marghareta Testa, uti Matre, & Tutrice Dominici Antonii, & Mariæ Cœciliæ Pupillorum, ad quos pertinet Juspatronatus duarum Cappellaniarum, quæ Testamento Matthiæ Angeli Amicii Rectoris Ecclesiæ Parrochialis Divi Nicolai Oppidi Scheggini constitutæ fuerant anno 1656. in duabus Cappellis S. Philippi Nerii, & S. Francisci ejusdem Ecclesiæ Divi Nicolai, nominatus fuit earumdem Cappellanus amovibilis Sacerdos Dominicus Antonius Amicius, comperiit plurima bona iisdem Cappellaniis supposita, distracta, atque alienata fuisse a Felice Testa, qui fuerat ultimus Cappellanus, cujusque hæreditas ab eadem Marghareta, ejusque filiis Patronis possidetur: nec alia e tot bonis adsignatis superesse, nisi dimidiam partem domus sitæ intra Oppidum habitationi Cappellanorum destinatæ, & tria prædia, quorum duo, quæ nuncupantur la Valle, & le Campora, neglecta a Cappellanis cultura, ita facta esse deteriora, ut nunc annua tantum præstent scut. 7. 50. Tertium vero prædium, quod nunc a flumine in duo divisum est, redditum præstare quotannis scut. 1. 50., atque ita universos Cappellaniarum redditus esse scut. 9. singulis annis, quæ satis non sunt ad eleemosynam manualem sacrorum 104., quæ operari quotannis jussit Testator. *Sess. 25. c. 4. de ref.*

His cognitis satius duxit Amicius libellum offerre Sacratissimo Principi, quo postulabat, vel minui sacra agenda juxta proportionem redditium, atque eleemosynæ manualis. vel indulgeri facultatem alienandi dimidiam partem domus, duoque illa Prædia la Valle, & le Campora pretio sc. 500., ut pro portione scut. 410. emerentur tria Loca Montis Restaurati, 100. 40., quæ obnoxia essent hypothecæ favore emptionis ex causa evictionis, & fundus essent duarum Cappellaniarum. Pro reliqua vero portione scut. 90. emeretur alia domus intra idem Oppidum, quæ nunc pertinet ad fratres Amicios, nam redditus locorum Montium in annuis scutis 10. 16. —, & fructus prædii a flumine divisi in annuis scut. 10. 50. constituerent annuam summam, quæ respondere posset eleemosynæ manuali sacrorum, & emptione alterius domus pararetur habitatio, quæ Cappellanis convenire posset; nam quæ nunc adsignata est eorumdem habitationi, domus pars dimidia restitui, & reparari debet impensa scutorum 48. 40. eaque restituta, tenuissima annua pensio scutorum 2. 50. exigi posset.

Data Sacro huic Tribunali postulationis hujusce cognitione, auditus fuit, ut fieri solet, Episcopus, qui ea confirmans, quæ ex facto Amicius narraverat, censuit alienationi indulgendum, quod utilis esset futura, retulitque Margharetam Testam rogatam, ut consensum præstaret distractioni, atque alienationi, repugnasse. Igitur rescripto Sacri hujus Senatus interpellata fuit Marghareta, ut jura sua deduceret, & illa libellum dedit, quo se paratam monstrabat, & domum restituere, & meliorationes in prædiis necessarias facere pecunia sua, petebatque ut si venditio magis placeret, publica programmata, & edicta proponerentur emptoribus alliciendis. Amicius vero eodem tempore alium libellum dedit, quo postulabat duas Cappellanias authoritate Sacri hujus Tribunalis ad vitam sibi dari, ne a muliere ob lites contra eam, & filios agendas irata removeretur, atque hunc impensarum, & laboris fructum ferret. Placuit igitur Episcopum iterum audire, qui non mutavit sententiam de parte domus, prædiisque alienandis: ait non posse Margharetam pecunia pupillari impensas facere reparationis domus, & meliorationis Prædiorum, & cum Amicius Fundatori sanguine arctissime conjunctus sit, censuit dari posse duas Cappellanias ad ejus vitam, *facta tamen*, Epistolæ verba sunt, *per eumdem obligatione de recuperando propriis sumptibus bona eisdem Cappellaniis spectantia, & penes tertias personas distracta, ac etiam instaurandi Altaria, eaque de suppellectilibus necessariis providendi juxta indigentiam*.

Mandavit itaque Episcopo Sacrum Tribunal, ut proponerentur edicta, & exhiberetur Patronæ consensus: edicta proposita fuerunt, consensum vero mulier præstare noluit, ut duæ Cappellaniæ Amicio darentur ad vitam, qui ob id libellum iterum dedit, ut petitioni suæ indulgeretur, spreto mulieris dissensu, rescriptumque est die 24. Novembris anni 1742. *Proponatur instantia una cum aliis dubiis citatis omnibus interesse habentibus*. Quia vero duæ interim datæ fuerant oblationes, altera Iosephi Morichellii, qui duo tantum Prædia la Valle, & le Campora empturum spondebat pretio scut. 350., altera vero Lucæ Menettonii, qui, & duo illa prædia, & dimidiam domus partem empturum offerebat pretio scut. 500, ideo in jus vocatis, & Marghareta Testa, & utriusque oblatoribus, quatuor nunc ab Amicio controversiæ capita Sapientissimo EE. PP. judicio definienda proponuntur.

Primo capite ambigitur, an onus Sacrorum minui debeat, vel potius distrahi debeant duo prædia, & pars illa domus. Alienationi esse locum intendit Amicius, quod cum utilius est pretio bonorum, quæ tenues redditus ferunt, bona emere, quæ tot redditus præstent, quibus eleemosyna manualis sacrorum, quæ agi voluit Testator, solvi possit, bona potius distrahenda sint, quam numerus sacrorum minuendus, ut tradunt *Redoan. de reb. Eccles. non alien. fol. 124. num. 22. & seq. & fol. 252. num. 5. Card. de Luca de alienat. disc. 1. num. 47.* Utiliorem autem in nostra specie venditionem esse manifestum fieri ex his, quæ supra narravimus, nam omnia prædia rustica, quæ nunc a Cappellano possidentur, reddunt annuam summam scut. 9. imparem eleemosynæ manuali sacrorum 104., quæ singulis annis agi debent; cum contra venditione duorum prædiorum, & partis domus, ac subrogatione locorum Montium, reddituque annuo prædii a flumine divisi constitueretur summa scut. 12. circiter, quæ manuali eleemosynæ satis esse posset, nec Sacra a Testatore statuta minuerentur, & consequenter cum utilitas manifesta sit, permitti alienatio debet, etiamsi Patroni repugnent, cum hac alienatione novaque emptione nullum detrimentum inferatur juripatronatus, ut explicant *Felin. in cap. cum accessisset col. 7. de Constitut. Ancharan. cons. 220. Redoan. de Reb. Eccl. fol. 180. num. 1. & seq. Grazia de Benef. par. 7. cap. 1.*

Eoque amplius, quod cum distractio bonorum ea ratione fiat, ut emptione alio-

aliorum bonorum parentur redditus, qui respondere possint numero sacrorum quotannis agendorum, non dicitur isthæc vera alienatio, sed naturam induit permutationis, & subrogationis bonorum, quæ licet eo etiam casu, quo Testator alienationem prohibuisset, quamque ipse voluisset Testator, si putasset bona, quæ reliquerat, eo perventura, ut redditum præstare non possent, qui satis esset numero sacrorum agendo, quem ipse jusserat operari, ut ex *Textu in cap. nos quidem 3. de Testam.* differunt *Palma allegat.327. num.5. 7. & seq. Peregrin. de fideic. artic.40. num.41. Card. de Luca de fideicomm. disc.273. num.18. Menoch. de præsumpt. lib.6. præsumpt.137. n.39. & seq.*

Utilitas vero venditionis domus, & emptionis alterius, quam Amicii Fratres vendere parati sunt pretio sc.90., constat ex illius qualitate, atque annua ejus pensione, cum restitui, & reparari debeat impensa sc.48. 40., nec majorem præstare annis singulis possit sc.2.50.; Domuus vero emenda optimo statu est, & magis convenit Cappellanorum habitationi, pretiique est, ut illam periti æstimarunt, scut.130., & licet a Parochiali Ecclesia, in qua sacra agenda sunt, distet magis, levissima tamen est aliquot passuum distantia, quæ ratione habita utilitatis, quæ obvenit Cappellaniis, sperni debet, & posthaberi.

Altero capite quæritur, an spectanda sit oblatio Morichellii, an altera Menettonii: Intendit Amicius, & dato jurium suorum libello contendit Menettonius respuendam esse Morichellii oblationem, ex una enim venditione duorum prædiorum, & domus pretio sc.500. emi possunt loca montium, & domus, atque ita longe utilior est Cappellaniarum conditio, cum redditus parari possint, qui satis sint agendo numero sacrorum, quæ agi voluit Testator; cum contra si accipienda esset oblatio Morichelli, qui obtulit se empturum duo tantum prædia pretio sc.350. non possent emi tot loca Montium, quorum redditus, & fructus alterius prædii a flumine divisi præstarent annuam summam, quæ satis esset eleemosynæ manuali sacrorum, & cogeretur Cappellanus impensam facere sc.48., ut domum restitueret, ac repararet, quam habitare non posse ob ejus qualitates, & solam pensionem annuam perciperet sc.2. 50. In hoc igitur oblationum concursu ea utilior censenda est, & admittenda, quæ respondet causæ, rationi, & fini, ob quas fit alienatio, ut *ex l. eum qui emit. §. fin. ff. de in diem adject.* monent *Amat. decis. March.67., & alii apud Mangil. de subhast. quæst.133. num.2. & sequent.*

Quæstio tertii capitis est, an duæ Cappellaniæ nonobstante Patronæ dissensu Amicio Cappellano amovibili dari debeant ad vitam. Ait ille dandas quod Fundatori sanguine conjunctus sit, quique ob id præferendus in jurepatronatus passivo, quod obligationem emittere paratus sit litem agendi impensis suis, ut bona Cappellaniarum distracta recuperentur, Altaria instaurandi, & sacram suppellectilem, quæ necessaria erit, tradendi, quæ omnia, vel fieri non possent, si a Patronis Cappellanus amoveretur, vel si fierent, lite acta, recuperatis bonis, & instructis Altaribus sacra suppellectili, removeri posset a Patronis, atque ita Cappellanus deiiceretur possessione Cappellaniarum, non alia habita utilitate, quam patrimonii sui impensis diminuti. Eoque amplius hoc dicendum sit hoc nostro casu, quod justa causa proponatur mutandi hæc Beneficia in perpetua, nam Marghareta, ejusque filii contra quos uti possessores bonorum & hæreditatis Felicis Testæ, qui bona Cappellaniarum distraxit, agenda iis est, ira atque odio in Amicium perciti, eum removerent, alterumque eligerent Cappellanum, qui vel nullas illis inferret molestias, vel facile transigeret, ut Cappellaniæ Amicio ad vitam dandæ sint, quo jura earum sarcta tecta esse possint, & bona vindicari, quæ justa causa est Beneficium in per-

perpetuum mutandi, ut post alios tradit *Corrad. in prax. Benef. lib. 1. cap. 6. a n. 287. ad 289.*

Quod si sacro huic Tribunali non placeat petitioni huic indulgere, alia ratione succurrendum ei esse petit Amicius, ut scilicet, quod ultimum est hujus controversiæ caput, Patronis vetetur, ne *inconsulta S. Congregatione removeatur*, nam si liberum erit Patronis, contra quos lis agi debet, arbitrium amovendi Cappellanos, actum quoque erit de redintegratione Cappellaniarum, earumque bonis recuperandis. Licet enim versemur in Cappellaniis *manualibus*, quarum natura est, ut Beneficiatus, & Cappellanus possit sine causa, & ad nutum amoveri; cum tamen vehemens subesse potest iræ, odiique, aut vindictæ præsumptio, necesse est causam proponi, & propositam probari, ut remotioni locus esse possit, ita defendentibus *Franch. in cap. cum singula n. 5. de Præbend. in 6. Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 33. n. 2. Corrad. in Praxi Benef. lib. 1. cap. 6. n 276.*

Hæc habet Amicius, & qui ad tuendam oblationem suam in judicio est, Menettonius: Marghareta Testa, & Morichellius nondum jurium suorum libellum dederunt: Onus igitur erit Eminentissimorum PP. quatuor, quæ hic damus, Dubiis respondendi.

I. An sit locus reductioni Missarum, seu potius alienationi Prædiorum nuncupat *le Campora*, *e Valle*, & Domus ad Cappellanias, de quibus agitur spectan. *& quatenus negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam.*

II. An & quæ oblatio sit admittenda in casu &c.

III. An sit locus perpetuationi Cappellaniarum in persona Sacerdotis Dominici Antonii Amicii in casu &c. *& quatenus negative.*

IV. An liceat modernæ Personæ aliisque suis successoribus illum removere inconsulta Sac. Congreg. in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 24. c. 2. & sess. 25. c. 6. de Ref.

CIVITATEN. JURIS MULTANDI, SEU APPROBATIONIS CONCORDIÆ Species hujus causæ repetenda est humanitate Eminentissimorum PP. *ex folio Congregationis habitæ die 3. Decembris anni* 1735. in quo cum fuerit luculenter expressa, nihil opus est, ut hic iterum proponatur, ne actum agere videamur: satis igitur erit monere quatuor tunc, quæ sequuntur Dubia, in disputationem venisse. I. An Capitulo competat jus multandi Capitulares, cæterosque Ecclesiæ Ministros, nedum pro levibus, sed etiam pro gravibus excessibus. II. An pro excessibus in Choro, aula Capitulari, & Ecclesia dumtaxat vel etiam extra commissis. III. An multis pecuniariis tantum, & in qua summa. IV. An & quomodo a multa per Capitulum imposita competat appellatio ad Episcopum in casu &c. *Respondisse vero Sacrum hunc Senatum*: Ad primum affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam: Ad secundum competere pro levibus excessibus etiam extra Chorum, & Ecclesiam commissis in functionibus tamen Ecclesiasticis tantum, in quibus Capitulum procedit sub Cruce: Ad tertium affirmative in multis pecuniariis tantum, nempe duorum vel quatuor, & ad summum sex ducatorum juxta casus ita tamen, ut multa erogetur in usus pios: Ad quartum affirmative ad utrumque effectum, & hujusmodi causa amplius non proponatur. Post hanc causæ definitionem Actores, & Procuratores Episcopi Civitatensis curarunt, ut Brevi Pontificis Clementis XII. definitio confirmaretur, quod datum fuit die 12. Decembris 1735.

Evenit

Evenit autem, ut quo tempore Romæ a Postulatoribus tum Episcopi, tum Capituli jura utriusque Partis Sacro huic Tribunali proponenda parabantur, in ultimis illis Hispaniarum oris de ineunda inter Episcopum, & Capitulum transactione ageretur, omnibus itaque hinc inde summa diligentia perpensis transactum tandem fuit *die* 14. *Septemb. anni* 1735. longe antequam causa ab hoc Sacro Senatu definienda proponeretur, quæ ut supra memoravimus proposita fuit *die* 3. *Decembris* ob distantiam itineris longissimi transactionem ignorantibus utriusque partis actoribus, donec re comperta opus esse visum est, eidem Optimo Maximoque Principi Clementi XII. a quo Breve datum fuerat, preces offerre, qui Sacro huic Tribunali cognitionem hanc dedit *cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis*.

Causa preces has offerendi fuit, quod novus Episcopus transactionem observare nollet, tum quia confirmata, & probata non erat a Summo Pontifice, tum quia rem definiverant Eminentissimi PP. quorum definitionem Summus Pontifex authoritate sua confirmaverat. Nunc igitur postulat Capitulum ab hoc Sacro Tribunali declarari esse locum *aperitioni oris* adversus Breve Clementinum, quod censendum sit Summum Pontificem, si scrivisset transactum fuisse, antequam causa Romæ proponeretur, illud non fuisse daturum, & transactionem factam *die* 14. *Septembris anni* 1735. authoritate Sacri hujus Senatus probari.

Novem sunt illius transactionis capita, quorum aliqua licet collata cum definitione Eminentissimorum PP. eorumque responsis ad Dubia proposita non conveniant, cum tamen res acta sit eo tempore, quo lis pendebat, cum summa diligentia, & prævia disquisitione anxia, & scrupulosa rerum omnium facta ab Episcopo, ut patet ex ipso transactionis instrumento, in quo adjectæ sunt petitiones, & dubitationes partium transigentium, censet Capitulum responsa Sacri hujus Senatus obesse non posse, quæ ad diem transactionis retrahi non debeant, nec rescindi debeat transactio bona fide, omnique cura facta, ac in ipso litis calore, præsertim cum ea, quæ inter Capitulum, & Episcopum conventa fuerunt, consuetudini tum ipsius Capituli, tum omnium fere Capitulorum, quæ in Hispaniis sunt, conveniant.

De singulis transactionis capitibus ex jure differit postulator Capituli, quæ nondum dato ab Episcopo Civitatensi jurium suorum libello, onus erit Eminentissimorum PP. conferre cum responsis, & eorum rationibus datis ad Dubia proposita *die* 3. *Decembris anni* 1735. ut omnibus ea, qua præstant, jurisprudentia perpensis, definire possint duo, quæ sequuntur Dubia.

I. *An sit locus aperitioni oris?* & quatenus affirmative.

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis, seu potius sobstineatur concordia diei* 14. *Septembris* 1735. *ita ut sit approbanda in casu &c.*

BONONIEN. BENEPLACITI: Duo Testatores Hannibal Favarius, & Peregrinus Joanninius bona quædam, & hæreditatem reliquerunt Hospitali *Pauperum Mendicantium* Bononiæ: Primus testamento scripto anno 1617. onus adjecit præstandi quotannis perpetuo dimidiam fructuum, & redditum partem Monasterio *Sanctissimi Corporis Christi*, vetuitque, ne bona quocunque modo distraherentur, & alienarentur, neve facultas alienandi, & dispensatio peti posset; si secus fieret, substituit *Hospitale S. Francisci* iisdem legibus, & conditionibus. Alter vero testamento scripto anno 1639. post data onera quædam sacrorum vetuit alienationem, & venditionem bonorum immobilium suæ hæreditatis ,, cioè solamente ,, *sunt ipsius verba* delli due suoi luoghi di Terra lavorativa, ed altre ,, qua- *Sess. 25. c. 4. de ref.*

,, qualità, uno posto nel Commune di Castel Franco chiamato la Carossa, ,, l'altro nel Commune di Riolo, e Rastellino detto la Quaresima, perchè la mente ed intenzione di detto Testatore, e che sempre ed in perpetuo detti beni così si mantenghino, e conservino in detta sua eredità, ,, e non altrimenti, ne in altro modo,, substitutis, si distraherentur, Monialibus, & Monasterio *Convertitarum*.

Duo Prædia alterum *le sei Vie*, alterum *la Torretta* sita pariter in Territorio Castri Franchi, quæ veniunt ex hæreditate Hannibalis Favarii, atque alia duo, quæ distrahi vetuit Peregrinus, eum quindecim fere passuum millibus a Bononia, aliisque Hospitalis bonis distent, temporis fuga deteriora facta sunt, & rustica Edificia, quæ in iis sunt, ruinam faciunt, eorumque annui redditus longe diminuti præstant summam sc. 96. e quibus detrahi habet annuum salarium Villici seu *Factoris* librarum 30. quæ faciunt sc. sex monetæ Romanæ: Universum autem illorum pretium æstimatione publici Periti est librarum 16796. 17. 2. quæ peræquant sc. 3359. 37. 2 optimum igitur futurum fore visum est Curatoribus Hospitalis, si hæc prædia distraherentur, eaque pecunia alia emantur, quæ & pinguiores redditus præstent, & aliis Hospitalis bonis adhereant, aditoque Optimo Maximoque Pontifice hanc alienandi facultatem, & remissionem caducitatis libello postularunt, præsertim quod paratus esset prædiorum illorum emptor Joseph Antonius Cappius, a quo oblata fuerant sc. 4 mil.

Data postulationis hujusce cognitione sacro huic Tribunali, auditaque, ut fieri solet, sententia Vicarii Generalis Bononiæ, qui censuit facultatem alienandi indulgendam esse, monstravitque pluribus rationibus cessura alienationem in utilitatem, & compendium Hospitalis, rescriptum fuit ab hoc Sacro Senatu die 21. Julii anni 1742. *Pro facultate Arbitrio Vicarii Generalis prævia edictorum affixione, & accedente consensu substitutorum*. Sed negantibus substitutis consensum præstare, novus libellus Sacro huic Tribunali a Curatoribus Hospitalis datus est, rescriptumque ab Eminentissimis Patribus *Vicario Generali pro Informatione, & Voto auditis substitutis, eisque præfixo termino ad deducendum Jura in Sacra Congregatione*: Interpellatis igitur substitutis, Monasterium *Convertitarum* intra statutum tempus consensum præstitit, quem tamen præstare noluit Hospitale *S. Francisci* substitutum in testamento Hannibalis Favarii, ut nunc audito iterum Vicario Generali postulent Curatores Hospitalis *Mendicantium* declarari ab hoc Sacro Senatu locum esse Beneplacito Apostolico non obstante dissensu Hospitalis *S. Francisci*.

Cum enim ex facto non ambigatur, de distantia prædiorum distrahendorum a Civitate Bononiæ, aliisque Bonis Hospitalis, de Villici necessitate, de annuo prædiorum redditu, de imminenti ædificiorum rusticorum ruina, de pretio eorumdem bonorum, & de oblatione majoris quantitatis facta ab emptore parato, uti hæc omnia supra narravimus, nihil proponitur, cur locus esse non debeat facultati alienandi, spreta Testatorum prohibitione, spretoque dissensu substituti, vincit enim prohibitionem Testatorum authoritas, & Potestas Summi Pontificis justas ob causas alienationi indulgentis, quam ipsi Testatores, si viverent, concessuri essent, & tollitur eadem Principis authoritate lex caducaria a Testatoribus adjecta. Dissensus vero substituti post habendus est, quod cum alienatio cedat in compendium Hospitalis, & Monasterii *SS. Corporis Christi*, quod partem dimidiam fructuum, & redditnum ferre debet, nulla vehemens, & legitima recusandi causa proponatur, atque ob id vel officio Judicis compelli debet ad præstandum consensum, vel alienandi venia danda est, spreto dissensu injuste recusantis, ut tradunt, *Bartol. in l. 1. §. Si plures nu. 9. ff. de Exercit. Action. Gratian. discept. cap. 616. n. 9.* aliique innumeri, qui congregari facile possent.

Com-

Compendium vero, atque utilitatem obventuram esse, alienatione isthac, & Hospitali hæredi, & Monasterio *Sanctissimi Corporis Christi* manifestum esse ex pretio presenti illorum bonorum, & pretio oblato ab emptore parato, atque ex annuo illorum redditu sc. 96. quibus detrahi debet annuum Villici salarium sc. 61. nam si bona illa vendantur pretio a Cappio oblato sc. 4. mil., atque alia hoc pretio emantur, redditus annui, ratione scutorum trium in singula centum, erunt sc. 120., addita quoque alia utilitate, quæ obvenit a restitutione, & reparatione ædificiorum, qua impensa, si bona vendantur, ut & alia meliorationum, quæ necessario in iisdem prædiis fieri debet, liberabitur Hospitale sic pariter ab onere salarium Villico solvendi, qui emptis bonis contiguis aliis, quæ nunc possidet Hospitale, aut saltem vicinis, necessarius non erit, ut nunc est ob distantiam horum prædiorum tum a Civitate Bononiæ, tum ab aliis bonis Hospitalis; & consequenter cum utilitas manifesta sit tum ex majori pretio venditione reducendo, tum ex majori redditu bonorum emendorum, omnis ratio postulat, ut non spectato substituti dissensu, gratiæ alienationis sit indulgendum, ut ex textu *in Can. sine exceptione 52. caus.* 12. *quæst.* 2. *& in cap. ut super §. Possessiones de rebus Ecclesiæ alienand.* tradunt *Redòan. de reb. Eccles. alienan. quæst.* 20. *n.* 54. *Barbos. de jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 30. *n.* 13. *Eminentissimus Petra ad Constit. I. Divi Leonis Magni sect.* 4. *n.*183. *& Sperell. decis.* 154. *n.* 15. 16. *&* 85.

Atque his, quæ ab Hospitali tantum *Pauperum Mendicantium* proponuntur, nam Hospitale *S. Francisci* nondum jura sua dedit, religione EE. PP. expensis, definiendum erit.

An sit locus Beneplacito Apostolico non obstante dissensu in casu &c.

URBINATEN. REDUCTIONIS ONERUM. Latifundium instructum emit anno 1597. Sodalitium *S. Mariæ Misericordiæ* Civitatis Urbini pretio sc. 3000. quia vero integram summam non habebat, Franciscus Joanninius unus e Curatoribus ejusdem Sodalitii solvit propriis pecuniis summam sc. 1000. quæsita sibi tertia parte universi latifundii. Hanc tertiam partem idem Joanninius Sodalitio donavit adjectis tamen pluribus legibus, & conditionibus, quas servari voluit indicta pęna caducitatis favore alterius Sodalitii *S. Josephi* ejusdem Civitatis Urbini his verbis: „ obligavit res & bona dictæ Confraternitatis ad illarum observantiam, „ & sub pęna caducitatis dd. sc. 1000. sed sub pęna privationis eorumdem, „ quos Partes prædictæ voluerunt devenire in casu in observantiæ ad So- „ cietatem S. Josephi cum dictis, & infrascriptis oneribus „: Leges autem, conditiones, & onera, quibus donatio facta fuit, erant, ut post obitum donantis, qui sibi, quoad viveret, usufructum partis illius tertiæ servaverat, tenerentur sodales *in perpetuum quolibet anno cum fructibus dictæ tertiæ partis prædii* in Ecclesia Sancti Francisci sacra centum operari facere pro animabus ascendentium suorum, singulisque hebdomadis alia tria sacra *ad Altare Privilegiatum in Ecclesia Archiepiscopatus Urbini pro anima ipsius donatoris*, aliaque pariter tria sacra qualibet hebdomada *pro omnibus Defunctis suæ domus ad Altare Privilegiatum in d. Ecclesia S. Francisci, & unum sextarium grani dare, & mensurare quolibet anno in perpetuum Fratribus S. Joannis Baptistæ causa illum dispensandi, & distribuendi Pauperibus*. Convenerunt demum donans & donatarii *quod omnia supradicta onera non excedant summam sc.* 25. *singulo anno, & quod si excederent, quod liceat DD. Rectoribus ea moderari, & extinguere, itant non excedant dicta sc.* 25. *Sess.* 25. *c.* 4. *de ref.*

Cum autem temporis fuga deterior facta fuisset Latifundii conditio, & ferendis oneribus redditus impares essent, Curatores Sodalitii donatarii

anno

anno 1677. a sacris cessarunt ad annum usque 1710., quo preces obtulerunt sacro huic Tribunali, quibus petebant onerum omnium, quæ habebat Sodalitium quorumque conspectum dabant adjecto folio, generalem diminutionem ob tenuitatem reddituum, silentio tamen prætermissa quoad donationem Joanninii stipulatione pœnali, & substitutione alterius Sodalitii *S. Josephi*, auditoque Eminentissimo Sanvitale Archiepiscopo Urbini, rescripsit sacrum Tribunal *Ad X.* quo agebatur de donatione Joanninii *quoad futurum instantiam rejecit, quo vero ad condonationem in præteritum eidem Eminentissimo Archiepiscopo, qui celebrato aliquo Missarum numero arbitrio Eminentiæ suæ, reliquas gratis condonet*. Sed iterum instantibus Curatoribus Sodalitii sequentii anno 1711. ab hoc Sacro Senatu, re diligentius perspecta, responsum fuit locum esse reductioni in futurum ad rationem eleemosynæ manualis inspecto regionis more: *& Eminentissimus Archiepiscopus decreto suo jussit* in futurum celebrari annuas Missas 72. in Ecclesia S. Francisci, scilicet unam in hebdomada in Altari Privilegiato pro omnibus Defunctis suæ domus, & alias viginti distributas in quatuor Anniversariis a Testatore relictis, & alias sexaginta in Altari Privilegiato Ecclesiæ Metropolitanæ.

Impleverunt sodales decretum, donec anno 1727. latifundium illud, cujus tertia pars a Joanninio donata fuerat, & cujus fructibus onera conventa implenda erant, alienarunt & tertiam partem pretii e venditione redacti, quæ erat sc. 613. 33. erogarunt in redemptionem census, quem ipsi debebant sub annuis usuris sc. 3. in singula nummum centena, constituentes sese debitores favore donationis Joanninii in annuis sc. 18. 40. quot erant fructus census, quibus cum non possent onus sacrorum ab Eminentissimo Archiepiscopo Sanvitale constitutum ferre, libellum obtulerunt anno 1730. Archiepiscopo Marellio, quo petebant ut juxta facultates a Benedicto XIII. Pontifice Optimo Maximo in Concilio Romano datas onus minueret. Ille visis perspectisque decreto Eminentissimi Sanvitalis, aliisque monumentis novo decreto onus minuit, & sacra annua centum in futurum constituit.

Cum autem in distributiones horum sacrorum errorem obrepsisse censerent sodales, nam omnibus collectis non centum, sed 104. sacrorum numerus efficiebatur, novas preces obtulerunt præsenti Archiepiscopo Urbini, quibus postulabant tolli quatuor illa sacra: Sed Archiepiscopus ratus nondum legitime probatam justitiam diminutionis factæ a Prædecessore Archiepiscopo Marellio decrevit, ut nisi sodales „ aliquid magis relevans deduxe-„ rint in justificationem reductionis obtentæ ab Archiepiscopo Marelli in „ termino unius mensis, eo elapso nunc pro tunc mandamus observari pro „ omnibus Legatis in eadem reductione contentis præscripta a Sacra Con-„ gregatione Concilii Annis 1710. & 1711., & juxta ea eadem legata ad-„ impleri.

Displicuit sodalibus Archiepiscopi Decretum, & ad hunc Sacrum Senatum provocarunt, qui audito, ut moris est, Archiepiscopo, cujus sententia contra sodales aperta est, decrevit *Causam in folio ponendam citatis interesse habentibus*, & vi hujus decreti in jus vocato Sodalitio S. Josephi compertum ab his sodalibus fuit inadimplementum onerum conventorum inter Joanninium donantem, & sodales S. Mariæ Misericordiæ, ideoque putantes locum esse stipulationi pœnali, & substitutioni conventæ in casu inobservantiæ pactorum, caducitatem, & substitutionem in scut. 1000. sibi ipsis delatam agnoverunt. Nunc autem duo hæc sodalitia duobus capitibus, quorum alterum est *de confirmatione, vel infirmatione, diminutionis onerum factæ ab Archiepiscopo Marellio*; Alterum est *de substitutione, & caducitate*, postulant ab hoc Sacro Tribunali rem definiri.

Justam

Justam, legitimamque fuisse diminutione onerum (quæ inter verba facit de Legato Bernardini Astolphi, quod nihil pertinet ad donationem Joanninii, & ad jus sodalitium S. Josephi) late, pluribusque rationibus contra Archiepiscopi sententiam defendit postulator sodalitii S. Mariæ Misericordiæ, & præsertim Decreto Benedicti XIII. Pontificis Maximi in Concilio Romano Lateranensi tit.15. cap.8., ut latius Eminentissimi Patres agnoscere poterunt ex ejus libello; cum enim hujus primi capitis disputationem inutilem censeat postulator sodalium S. Josephi, quod intendat factum fuisse locum substitutioni in tertia parte Latifundii donati, sive in sc.1000., quæ pretium erant illius tertiæ partis, ideo nos illius ratione hic dabimus, ut perpensis, qua solent Jurisprudentia ab Eminentissimis Patribus utrisque sodalitii rationibus, jus suum unicuique tribuere possint.

Intentio sodalium S. Josephi est in publicis donationis tabulis, quibus aperte conventum fuit inter donantem, & donatarios verbis, quæ supra retulimus, ut si onera donationi adjecta non implerentur sc.1000. devenirent ad societatem S. Josephi; Cum igitur sodales S. Mariæ Misericordiæ ea onera non impleverint, itaut fassi fuerint anno 1710. sacro huic Tribunali longissimo tempore a sacris cessasse, & remissionem pro sacris non operatis obtinuerint, consequens sit commissam fuisse stipulationem, & factum fuisse locum substitutioni, ut in casu similis Legati respondit *Sac. Rota dec.107. n.1. & seq. par.12. & dec.54. n.38. & seqq. p.13. rec. & cor. Emerix Jun. dec.399. n.1.*

Præsertim cum donatio a Joanninio facta fuerit sub conditione observandi, & implendi onera, & consequenter adventa conditione ex inobservantia pactorum, illico substitutio ad sodales S. Josephi delata fuit, qui Jus ex illa adepti sunt repetendi, & vindicandi sc.1000. in stipulationem deducta, cum satis sit ad jus acquirendum solus defectus implementi pacti conventi, & onerum stipulatione conventorum, ut in casu donationis factæ sub conditione sacra quædam operandi late tradit *Sanminiat. controv.44. a num.13. ad 43.*, & respondit *Rota cor. Celso dec.238. & 251. n.1. & in Sabinen. Manutentionis 28. Junii 1737. §.5. & sequent. coram Eminentissimo Cardinali Rezzonico.*

Nec posse factum excusari diminutione, & remissione indulta ab hoc Sacro Senatu, & Eminentissimo Archiepiscopo Sanvitali, quod utraque subreptitia fuerit, & obreptitia; non enim a Sodalibus S. Mariæ Misericordiæ narratum fuit in casu inobservantiæ, & inadimplementi onerum substitutos fuisse Sodales Sancti Josephi, quod si rescisset Sacrum Tribunal, vel diminutionem, & remissionem petitam rejecisset, vel jussisset audiri, & citari Sodales Sancti Josephi, ne tolleretur his non auditis jus illis quæsitum ex inobservantia, & defectu implementi, quæ stipulatio cum fuerit concepta verbis directis, fecerat, ut sine ulla legis, aut hominis opera sc.1000. devoluta essent ad Sodalitium S. Josephi, ut docent *Cyriac. controvers.50. n.9. Rot. cor. Celso dec.41. n.13. & 14. & dec.196. n.9. par.14. & dec.536. n.25. par.18. tom.2. rec.*

Quod si iidem Sodales citati fuissent, & eorum jura potuissent proponere, diminutionem, & remissionem non obtinuisset Sodalitium S. Mariæ Misericordiæ contra apertam ejus obligationem in pactum deductam omnia onera data observandi, cui obligationi ab hoc Sacro Senatu derogari non poterat in detrimentum juris Sodalium S. Josephi, neque enim ipsi Summo Principi fas est pacta, & conventiones tollere, & abrogare authoritate sua, ut late monstrant *Salgad. in Labyr. cred. par.1. cap.38. num.15., & seqq. & Card. de Luca de Feud. disc.4. n.9.*

Apertam vero esse subreptionem diminutionis indultæ anno 1730. ab Archiepiscopo Marellio, quod Sodales Sanctæ Mariæ Misericordiæ silentio præterierint alienationem, & distractionem latifundii factam anno 1727.; non

enim diminutioni locus esse potest, nisi constet de certa quantitate redditum fundi, e quibus onus impleri debet, & alienatio dolo fit, cum certa est scientia substituti, & vocati, quæ scientia ex ipso instrumento donationis habebatur, ut est apud *Rot. dec.7. num.12.par.12. & dec.382. n.15. par.19. rec.* Frustraque obtendi impossibile fuisse, ut onera implerentur defectu, & diminutione redditum, quæ causa fuit diminutionem petendi, nam prædium dudum distractum fuerat, cujus fructibus, & redditibus onera impleri debebant, & stipulatio pœnalis non habebat substitutionem in ipsa tertia parte prædii, sed in scut.1000., ut aperta sunt verba, quæ supra retulimus.

Demum non mutare conventam fuisse facultatem minuendi onera a donante adjecta; donator enim onera impleri voluit ad summam usque scut 25., & ob id diminutioni locus esset, si eadem onera summam illam excederent, quod nec probatur, nec diminutioni summæ, sed onerum locus esset, si probaretur.

Omnibus igitur his expensis, onus erit EE. PP. cognoscere.

I. An, & quomodo sit confirmanda reductio, de qua agitur in casu &c.? *& quatenus negative.*

II. An sit purificata substitutio favore Societatis Sancti Josephi Urbini in casu &c.

Die Sabbathi 28. Martii 1744.



Uatuor, quas hic damus, Causæ in ultima Congregatione, quæ habita est die 14. hujus mensis, propositæ non fuerunt, rogamus itaque Eminentissimos Patres, ut Folium illius Congregationis iterum legant, quo possint eas, quæ nunc proponuntur, prudentissimo, ut solent, judicio definire.

Sess.25. c.4. de Reg.

SPOLETANA CAPPELLANIARUM. In qua respondendum est quatuor dubiis, quę sequuntur.

I. An sit locus reductioni Missarum, seu potius alienationi Prædiorum nuncupat *le Campora*, *e Valle*, & Domus ad Cappellanias, de quibus agitur spectan., *& quatenus negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam.*

II. An, & quæ oblatio sit admittenda in casu &c.

III. An sit locus perpetuationi Cappellaniarum in persona Sacerdotis Dominici Antonii Amicii in casu &c. *& quatenus negative.*

IV. An liceat modernæ Patronæ, aliisque suis successoribus illum removere inconsulta S. Congreg. in casu &c.

Circumscripta nominatione novi Cappellani scribatur Episcopo pro nova informatione, & voto juxta instructionem.

CIVITATEN. JURIS MULTANDI, SEU APPROBATIONIS CONCORDIÆ. In qua duo dubia disputantur. Sess. 24. c. 12. Sess. 25. c. 6. de ref.

I. *An sit locus aperitioni oris?* & quatenus affirmative.

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis, seu potius substineatur concordia diei* 14. *Septembris* 1735., *ita ut sit approbanda in casu &c.*

Concordiam anni 1733. non esse servandam, & proponatur dubium in alia Congregatione an sit standum vel recedendum a decisis.

BONONIEN. BENEPLACITI. In qua definiendum est. Sess. 25. c. 4. de ref.

An sit locus Beneplacito Apostolico non obstante dissensu in casu &c.

Affiimative ita tamen, ut unico contextu, fiat investimentum, & amplius.

URBINATEN. REDUCTIONIS ONERUM. In qua duo dubia in quæstionem veniunt. Sess. 25. c. 4. de Ref.

I. An, & quomodo sit confirmanda reductio, de quatenus negative.

II. An sit purificata substitutio favore Societatis Sancti Josephi Urbini in casu &c.

Ad I. Negative, & servandam esse reductionem anni 1711. Ad II. Negative, & amplius.

ANAGNINA DISTRIBUTIONUM QUOTIDIANARUM. Postquam die 29. Februarii responsum fuit in hac causa ab hoc Sacro Senatu *Negative*, Canonicus Joseph Antonius Colettus rationes, & jura sua proponit Eminentissimis Patribus, a quibus iterum ea, qua solent humanitate perspecto Folio illius Congregationis definiendum erit. Sess. 24. c. 12. de ref.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

URBEVETANA CENSURARUM. Vetustissimum, amplissimumque Hospitale Sanctæ Mariæ de Stella Urbis Veteris, in quo non infirmi tantum, & peregrini excipiuntur, sed etiam infantes expositi, pueri, puellæque aluntur, artibusque imbuuntur pietate, & opibus illius Civitatis extructum, auctumque fuit largis redditibus, atque ob id ad Civitatem ipsam, ejusque magistratum pertinet illius regimen & administratio, cujus exercitium, & Cura Rectori Sæculari committitur, qui publicis comitiis singulis triennis eligitur. Templum habet adjunctum D. Jacobo Apostolo inscriptum, eademque Populi pietate pecuniaque a solo ædificatum, in quo Nicolai IV. Pontificis Optimi Maximi Beneficio indultum fuit, ut Cappellanus esset Curatus, qui & Divina Officia ageret & Ecclesiastica Sacramenta omnibus iis qui in Hospitali sunt, ministraret. Præcipua Rectoris, & Curati sollicitudo est in expositas puellas, quæ in Hospitali aluntur; hæ namque summa diligentia, studioque educantur, servantque mores atque instituta Pii illius Loci, quæ optima sunt; Lanificio siquidem, aliisque fœmineis artibus instructæ operas præ- Sess. 25. c. 3. de Ref.

ſtant diurnas partim earumdem compendio ceſſuras; Feſti vero diebus Eccleſiaſtica Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ a proprio Parocho, aliſque Sacerdotibus, qui in Eccleſia Hoſpitalis ſacra agunt, accipiunt.

Quod ſi iis placeat magis alii Sacerdoti peccata fateri, alioque loco Sacramenta recipere, facile explere ſuum deſiderium poſſunt, nam quolibet menſe tribus feſtis diebus ad alias Urbis Eccleſias ducuntur, in quibus Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis reficiantur; utque uberius Religionis Chriſtianæ dogmata tenere poſſint, adjuncti fuere Parocho ſive Cappellano Curato Patres Doctrinæ Chriſtianæ, quorum alter ſingulis diebus Domini ad Eccleſiam Hoſpitalis accedit, & publice in ea expoſitis pueris, puellisque Fidei dogmata tradit: Atque ex hac diligenti, piaque puerorum puellarumque educatione factum eſt, ut qui hactenus fuerunt Epiſcopi, nihil mutandum cenſuerint. Diverſum tamen viſum eſt, qui nunc Eccleſiæ illi præeſt, Epiſcopo: Placuit nempe illi ſuperiori anno 1743. Confeſſarium extraordinarium dare puellis P. Lazzarinium Ordinis Servorum B. Mariæ. Is perhumaniter convenit Ioſephum Zampium Rectorem Hoſpitalis explicans munus ſibi ab Epiſcopo datum: Reſpondit Zampius certiores hac de re faciendos eſſe Curatores ſive Deputatos: ſed facile confecta res eſt, advenit ab Epiſcopo præceptum Zampio datum, quo jubebat, ut ceſſaret a turbanda Epiſcopali Juriſdictione in Hoſpitali, indictaque pœna Cenſurarum, & Excommunicationis jubebat, ut P. Lazzarinium admitteret Pro audiendis, præcepti verba ſunt, Confeſſionis puellarum projectarum.

Paruit Zampius prævia tamen judiciali proteſtatione, & P. Lazzarinius nullo impedimento munus datum implevit; ſed die 26. Menſis Julii aliud officium, quod in præcepto non erat: ſuſcepit Vocatis enim puellis, circuloque earum in Eccleſia facto, ipſe ſedens medius inter ſedentes Doctrinam Chriſtianam explicabat: dum hæc Lazzarinius agit, malo ſuo fato Zampius advenit, rogavitque illum, an veniſſet, ut alumnarum confeſſiones exciperet, negavit Lazzarinius, & veniſſe dixit ut doctrinam Chriſtianam explicaret: repoſuit Zampius hoc non eſſe in præcepto Epiſcopi, & ad Puellas converſus juſſit, ut abirent, quod illæ fecerunt: abiit & Zampius, nec alia inter eum, & Lazzarinium habita verba ſunt, ut rem omnem narrant teſtes, qui pręſentes fuerunt; Lazzarinius tamen ira percitus adiit Epiſcopum, cujus animum ita movit, ut petente Promotore Fiſcali, criminis hujus judicialis proceſſus inſtructus fuerit, & Zampius uti turbator juriſdictionis Epiſcopalis, & Eccleſiaſticæ monitus fuerit intra triduum „ ad videndum ſe declarari incurſum in excommunicationem, & Cedulones relaxari.

In his anguſtiis nullum aptius Zampio viſum eſt remedium appellatione ad A. C. Sed Epiſcopus ſpreta inhibitione, ad affixatio Cedulonum proeeſſit. Juſſit A. C. Judex ſpretus purgari attentata & lacerari Cedulones, quod etiam pluries probavit Auditor Signaturæ, atque ita factum eſt ſed Auditor SSmi circumſcriptis Actis coram A. C. & Signtura Juſtitiæ decrevit „ redintegrari Cedulones, & partes uti Jure ſuo coram ſuis Ju- „ dicibus. Igitur Zampius, impetrata ab hoc Sac. Tribunali abſolutione cum reincidentia infra quatuor menſes, poſtulat nunc, audito jam ut fieri ſolet Epiſcopo, ampliſſimi hujus Senatus authoritate declarari cenſuras non ſubſtineri, quod illæ nullitatis, & injuſtitiæ vitio inficiantur.

Nullitas educitur ex defectu trium monitionum, quæ ſententiam declarantem incurſum in cenſuras præcedere debent; nullibi enim conſtat, vel ſemel ſaltem monitum fuiſſe Zampium, ut Lazzarinium admitteret ad exponendam puellis alimentariis Doctrinam Chriſtianam, nec ad rem pertinet, quod verſemur in excommunicatione lata a Sacris Canonibus contra

contra eos, qui Iurisdictionem Ecclesiasticam turbant non vero in excommunicationem lata ab homine, cum primo casu omitti monitiones possint, diversum secundo, ut communiter distinguunt Doctores Juris Pontificii; nam iis casibus turbata dicitur Ecclesiastica Jurisdictio, & locus est censuræ a lege latæ, quibus, vel ipsi Episcopi, vel alii ab Episcopis delegati in exercitio Jurisdictionis turbantur, in nostra vero specie, nec ipse Episcopus, nec Parochus, nec alius quisquam, cui mandata vel ab Episcopo, vel a Parocho fuisset Provincia docendi Christianam Doctrinam, a Zampio turbati fuerunt, cum non probetur Lazzarinio hoc munus datum fuisse ab Episcopo, vel a Parocho, ut puellas doceret, & consequenter apertum est versari nos in excommunicatione non a lege, sed ab homine lata.

Nec probari potest datum fuisse P. Lazzarinio hoc munus ab Episcopo præcepto illo, quod Zampio datum fuit, nam præceptum solam habet facultatem excipiendi confessiones Sacramentales Alumnarum, non vero facultatem publice in Ecclesia docendi Christianæ Legis dogmatum, quæ duæ res, ut quisque intelligit, plurimum differunt. Frustra quoque intendi a Promotore Fiscali citationem ad dicendam causam quare non fuerit incursus in pœnam excommunicationis supplere posse defectum trinæ monitionis, ea siquidem ratione monitio fit, ut his qui monetur, resiliat ab actu faciendo, quod non impletur citatione illa, quæ fit, postquam contumax in Censuras incurrit; ne igitur dicamus contraventum prius fuisse, inde monitum, dicendum est citatione illa trinam monitionem suppleri non potuisse: eademque ratione nullam esse sententiam excommunicationis ab Episcopo latam, quæ ferri non potest, nisi postquam monitus in contumacia, duritieque sua perseveret, atque obdurescat, cum tamen dici nequeat contumax Zampius & inobediens, cum nullam habuerit monitionem admittendi P. Lazzarinium ad exponendam publice Doctrinam Christianam, cum numquam illum expulerit ab Ecclesia, cum ille numquam redierit ad docendum, ut sententia excommunicationis nulla ratione tueri possit.

Injustas vero esse Censuras contendit Zampius, quod non probetur a Promotore Fiscali turbatam fuisse Jurisdictionem Episcopi; probari siquidem debebat ab Episcopo, scivisse Zampium, munus docendi puellas datum fuisse Patri Lazzarinio ab Episcopo, nam si Rector Religiosum illum non uti Delegatum ab Episcopo, sed uti simplicem Sacerdotem præpedivit, ne Doctrinam Christianam doceret, jure id facere potuit, nec erat excommunicandus, non enim licet Sacerdoti in Ecclesia Parochiali, & Juris Patronatus Parochi officium sibi vindicare fidei dogmata publice explicandi, ut habent *Barbosa de jur. Eccles. lib.2 cap.11. num.105. & in Collect. Apost. decis.5. Confraternitas n.17. Capon. discept. Forens. vol.4. discep. 276. num.32.* Præsertim cum satis sit ad tuendum excusandumque Rectorem sola opinio, & credulitas licitum non esse P. Lazzarinio Doctrinam Christianam alimentariis puellis explicare, quia ad Parochum hoc munus spectaret, quæ opinio, atque ignorantia in persona seculari, cui Sacri Canones cogniti perspectique non sunt a censuris excusat ut tradit *Pignattell. consul.18. num.62. vol.6.*

Sed & ejectio Patris Lazzarinii ab Ecclesia, & verba, quibus constet Zampium „ impedivisse, perturbasse, & violasse libertatem, & exercitium „ ordinariæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ expellendo ab Ecclesia S. Jacobi „ auctoritative, irreverenter, & improprie R. P. Lazzarinium „ ut sese in sententia Episcopus explicat, nullibi probantur. Tres enim Testes, qui in Processu sunt, nihil habent, si ipsum Lazzarinium excipiamus, qui hoc narrat, sed quos vocat contestes, Elisabeth vilis fœmina audivisse negat, quod oraret ante Altare Virginis Gratiarum, quod abest

ab

ab Ara majori illius templi, prope quam Doctrinam Christianam Lazzarinius docebat, & Philippus Fauchinius Cappellanus Curatus aberat, negociis in conclavi suo distentus; contra vero Zampius testes edit, qui præsentes erant, quique nullo scandalo, nullo tumultu, nulla irreverentia, quod supra narravimus, actum fuisse referunt.

Hæc Zampius urget; Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis nihil hactenus dedit. Decernant igitur EE. Patres.

An Censuræ substineantur in casu &c.

Negative.

Sess.21.c.4. de ref.

VERONEN. Crusanum Oppidum sexcentos fere numerat Incolas, quorum impensis Templum S. Zenonis sive a solo extructum fuit, sive ad elegantiorem formam perductum, instructumque Sacra Suppellectili iisque omnibus, quæ necessaria sunt ad Ecclesiastica Sacramenta, vel servanda, vel populo ministranda. Subest autem Parochiali Ecclesiæ Brentonici, a qua cum censerent Crusani Incolæ pluribus ex causis, & præsertim itineris, hyberno tempore, difficultatibus separari posse, anno 1738. preces Episcopo Veronensi obtulerunt, quibus postulabant, ut a veteri Parochiali Ecclesia separarentur, novaque constitueretur Parochia in Oppido Crusani. Ita tamen sese monstravit adversum Episcopus huic postulationi, ut articulos rejecerit, quibus Oppidani intentionis suæ probationem costituebant; in eadem sententia fuit Iudex Metropolitanus aditus; At contra Torcellensis Episcopus Delegatus Apostolicus articulos censuit esse admittendos.

Appellavit Archipresbyter Parochialis Ecclesiæ Brentonici ad A. C., sed Auditor Sanctissimi transactum jam in hujusce rei disquisitione quadriennium observans, ad rem omnem celerius præcidendam cognitionem causæ dedit amplissimo huic Ordini, a quo, ut fieri solet, epistolæ datæ fuerunt Episcopo, ut referret, sententiamque suam aperiret *audito Parocho*: Respondit ille fere post annum, & cum ex illius responso cognovisset Crusanensium Postulator Jura eorum vix ab Episcopo perspecta fuisse, petiit mandari Jurisdictionem alicui Judici, ut testes *formiter repeti* possent, & judicialis fieret processus, sed rejectus fuit ad Eminentissimos Patres. Postulant nunc igitur Crusanenses ab hoc Sacro Tribunali responderi ,, Ad ,, Nuncium Apostolicum, qui conficiat Processum, & interim mandet ,, deputari in Ecclesia Sancti Zenonis Oppidi Crusani Cappellanum Coad- ,, jutorem pro administratione Sacramentorum, & curæ animarum sum- ,, ptibus Parochi.

Intentio est in dispositione Juris, & praxi Sacri hujus Tribunalis, qua comprobatum est, ut in causis separationis Ecclesiarum legitimus fiat Processus, quo Judicii hujus necessaria probari possint, mandandam vero esse hujus legitimi processus instruendi Jurisdictionem Nuncio Apostolico, non Episcopo, non Metropolitæ, quod hi Crusanensibus Jure suspecti sint, & ob id recusari justissime queant, nam uterque decrevit Articulos datos a Crusanensibus non esse admittendos, quibus intentionem suam probare poterant, his autem decretis iniqua illata fuit conditio, & grave Actoribus detrimentum, qui causa cadere debebant, Juribus eorum non perspectis, neque auditis, contra legum dispositionem quæ vult Actoribus ampliandam, non vero angustiandam esse probandi facultatem: Eoque amplius quod Judicum illorum decreta a Delegato Apostolico retractata fuerunt, quo casu Jus præsumit eos male affectos esse erga Appellantes, & nihil omissuros, quod suum Judicium, & decreta quæ tulerunt, substinere possit,

possit, *cap. ad hæc 6. & cap. proposuit 24. de Appell. DD. in cap. dilectus 26. de rescriptis*, late *Castillo dec. 117. n. 1. & seqq.*

Augeri vero suspicionem in Episcopum ex suo responso, quo spretis, & non cognitis Juribus Crusanensium, totus est in probandis rationibus Archipresbyteri, falsumque esse Jura illa sero nimis advenisse, & post scriptum responsum, cum pateat collato editionis eorum tempore, cum die, qua responsum signatum est, viginti diebus ante datam epistolam jura edita fuisse: Sed Archipresbyteri suggestionibus abreptum fuisse Episcopum manifestum facere, quod ait de redditibus duorum sodalitiorum B. Mariæ Virginis, & S. Rocchi erogatis in erectionem vel ampliationem Templi Divi Zenonis Oppidi Crusani, cum tamen in illo Oppido nullum Sodalitium sit, sive his, sive aliis nominibus, & titulis, quod narret plures Crusani Sacerdotes esse ad excipiendas Sacramentales Confessiones probatos, atque horum unum, qui *Præmissarius* dicitur, Curam habere animarum mandante Archipresbytero, cum tamen quatuor tantum in illo Oppido Sacerdotes sint, quorum duo Sacramentales Confessiones excipiunt, horumque alter *Præmissarius* dictus octuagesimum agens ætatis annum, nullo stipendio, sed sola in Cives suos pietate, qui Archipresbyteri vultum, nisi quo tempore collectiones instant, numquam vident, Ecclesiastica Sacramenta ministrat, dum sacrum facit. Quod denique Episcopus testem se faciat facilitatis viarum, quæ ab Oppido Crusani ad Parochialem Ecclesiam Brentonici ducunt *occasione*, ut inquit *S. Visitationis habitæ de mense Junii* 1737. cum tamen de facilitate viarum æstivo tempore non sit judicandum & quod rei caput est, cum nec illo anno 1737. nec unquam Episcopus ad Crusani Oppidum accesserit, nec ullam unquam in Templo illius Oppidi visitationem habuerit, sed tantum in Ecclesia Parochiali Brentonici.

Interinam vero Cappellani Coadjutoris deputationem necessariam omnino esse, quod difficile sit Archipresbytero Brentonici, ut solus præsto esse possit, atque accurrere tot dissitis Locis, Oppidisve, quæ curæ subsunt: quod hoc exposcat numerus Incolarum Crusani capitum fere sexcentum, quæ inter pueri, senes, debiles, mulieres, quæ utero gerunt, hyeme præsertim. ad Parochialem Brentonici Ecclesiam ire nequeunt ad audiendum Dei verbum, ad Fidei Dogmata cognoscenda, ad Ecclesiastica Sacramenta accipienda, cum mensorum testificationibus constet distare Oppidum ab Ecclesia Brentonici perticis 1183., quarum quælibet, sex pedibus componitur atque ita passibus 1419. via aspera & difficili, nive, geluque obducta, & torrente in eam redundanti periculis obnoxia: quod cœli illius inclementia, nimioque frigore Infantes, vel sine Baptismate obierint, vel dum, lustralibus aquis loti in Ecclesia Parochiali, domum ab Obstetricibus reducebantur; quod pluries evenerit mortem obiisse Crusanenses sine Sacramentis Ecclesiasticis, quod demum Parochus, sive Archipresbyter Brentonici multos habeat ex hoc Oppido redditus, quibus Cappellanum Coadjutorem alere possit.

His igitur cognitis, quæ a Communitate, & Incolis Crusani tantum proponuntur, nam Archipresbyter Parochialis Ecclesiæ Brentonici nondum jurium suorum libellum dedit, respondendum erit.

I. *An sit locus dismembrationi antiquæ, & respective erectioni novæ Parochialis in casu &c.* & quatenus negative.

II. *An & quomodo sit providendum in casu &c.*

Scribatur Nuncio Apostolico pro confectione processus, & ad mentem.

ARIMI-

ARIMINEN., SEU ANCONITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Quod longa anteacti temporis fuga observatum est iis evenisse, qui liberis novercam superinducunt, ut novæ nuptæ amore perciti ipsas naturæ leges, quibus Parentes in amorem filiorum vi quadam rapiuntur, non tantum non audiant, sed liberos ipsos, quos primis nuptiis susceperunt, odio habeant, & perditos velint, id accidit nobili viro Ignatio Martinellio Ariminensi, qui defuncta Justina Bezzia Uxore septem superstitibus impuberibus filiis, ut ad secundas nuptias cum nobili Virgine Catharina Costa Veneta venire posset, operam omnem sese daturum spopondit, ut quos e Justina sustulerat, liberi, Monasteriis nomen darent, quod ut facilius, contractis jam novis nuptiis, obtinere posset Aloysium natu quidem majorem, sed adhuc impuberem, supercilio, imperioque paterno impellebat frequenter, ut sese Deo dedicaret in aliquo Monasterio, cæterosque fratres suis exemplo præiret.

Sess. 25. c. 19. de Reg.

Renuebat Aloysius, sed asperius Pater urgebat, id velle se, ut Monasterium ingrederetur, quod ut obtineret ab imbecillis naturæ adolescenti Homo ferox ingenio, & moribus inconditus, atraque bile facile tumens nihil censuit esse prætermittendum. Igitur sordidi, & vili veste indutum filium jubet per Urbem incedere, in summa ædium contignatione, quæ tecto subest, quaque Columbæ tantum, aut Gallinæ retinentur, lectum sterni, quo noctes insomnes duceret filius, alimenta denegat, ut panem a Colonis quærere Aloysius cogeretur, & quod omnem superat modum, non verbis tantum minacibus perpetuo eum exagitat, sed fuste, ferroque ita illum contudit, ut ipsa Mulier pietate adolescentis privigni perculsa virum oraret, ut sineret eum suo arbitrio, suaque libera voluntate uti. Necquicquam tamen suadente Muliere, frustra orantibus Amicis, Aloysius postquam integro mense sordido lectulo jacuerat, ut convalesceret a verberibus, fractus animo, & in summa rerum omnium desperatione Monasterium Heremitarum Sancti Augustini ingressus est, & vix transacta legitima ætate, nomine non mutato, Professionem emisit Anconæ die 4. Maii anno 1725.

Quia vero antequam Monasterium ingrederetur de vi metuque atroci, quem Pater intulerat, cum noverca, & avunculo, aliisque Amicis, & Consanguineis querelas fuderat, & protestationes coactæ suæ voluntatis Aloysius emiserat, ita quoque post emissam Professionem ubique voluntatem suam explicabat, cum primum posset, de nullitate ipsius judicio experiundi, spretis semper muneribus, & oneribus Ordinis sui, & ea, quæ alii læti lubentesque faciebant, implere recusans, quod menti imbibisset Religiosum non esse. Atque ita transacto decennio, auditaque tandem inhumani Patris morte, læto animo, ridentique vultu nuncium accepit, quod optatum tempus advenisset, quo nullam diceret Professionem suam, seseque in libertatem recipere, & vindicare posset; sed partim diuturna ægritudine distentus, partim intentus testibus, pecuniaque ad litem instruendam necessaria comparandis, nonnisi anno 1741. querelam proponere potuit, & rescissoriam suæ Professionis actionem, precibusque adito Optimo Maximoque Principe nostro, a quo Amplissimo huic Ordini data hujus rei cognitio est, mandata fuit Eminentissimo Anconæ Episcopo jurisdictio. Nunc igitur *decem* testibus *formiter repetitis* in Civitatibus Arimini, Ravennæ, & Venetiarum, in jus ubique vocatis iis, qui Monasterio præerant, audito ipso Aloysio, qui rem omnem sub jurisjurandi religione narravit, propositaque sententia Eminentissimi Episcopi, postulat Aloysius Sacri hujus Senatus authoritate in integrum restitui, quod professio, quam emisit, nulla fuit & irrita ob vim metumque atrocem a Patre illatum.

Conve-

Convenit equidem inter omnes vim illam metumque, vel constantissimum Virum concutere posse, qui atrox sit, cujusque illatio, & voluntate aperta mali inferendi, & potestate inferentis absolvatur: Vis cui resisti non potest, & metus atrox restitutione locum faciunt. Nec dubium est negata alimenta, denunciationem malorum, minas quæ ab eo sunt, qui potestatem facultatemque habet indicta mala exequendi, quique exequi minacia verba solet, cruciatus corporis, verbera, metum facere atrocem, qui constantem Virum percellat, & vim illam inferre, cui resisti non possit; pectus enim animumque hominis solidum licet concutiunt, mentemque tristi calamitatis, & mali imagine lymphatam ita cient, pulsantque, ut eam a proposito dimoveant. Omnis igitur hæc disputatio eo est deducenda, ut inquiramus, an constet ex facto vim hanc, metumque atrocem Aloysio illatum fuisse: probatur hoc equidem testibus propositis quam quod maxime: Testibus inquam plurimum spectandis, quod factum proprium, quæque ipsi viderunt, referant; hos inter Noverca est, Avunculus, Coloni, Amici, qui Patrem frustra suaserunt, qui panem dederunt Aloysio, qui minas audiverunt, vapulantem viderunt filium, eique opem præstiterunt.

Iisdem Testibus, & præsertim ejusdem Ordinis, atque Instituti Heremitarum, constat de protestationibus, & declarationibus contrariæ voluntatis Aloysii continuo post Professionem emissam, constat de opinione, quam animo imbiberat, Monachum non esse, ut consequens sit non obesse Tridentini decretum, non obesse quinquennii fugam, ut in integrum restituatur. Satis equidem est ad rem omnem definiendam ea legere, quæ testes habent, ut secundum Aloysium sit pronunciandum. Id visum est Eminentissimo Anconæ Episcopo, qui disertissima epistola ejus favore respondit: id agnoscunt Julius, & Christina Martinelli, quorum frater Aloysius est, quibusque interesset potius, Fratrem natu majorem Professionis suæ nullitatem judicio non obtinere; id denique agnoverunt Præfecti omnes Monasteriis, qui in jus vocati, totius Ordinis nomine, nolle litem intendere: *Attento bono jure Oratoris*: declararunt: Superest igitur id unum, ut Eminentissimorum Patrum religione, prudentissimoque judicio definiatur.

An sit concedenda restitutio in integrum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

CAMERINEN. REPARATIONIS ECCLESIÆ. Terræ motu concussa anno 1741. Cathedralis Ecclesia Camerini ruinam in Fornice, fronteque Templi fecisset, nisi circulis ferreis vis murorum, qui ventrem faciebant, fuisset repulsa: At ne hi quidem satis erant, nec impetum inclinatorum parietum amplius sufferre queunt: Igitur de reparanda Ecclesia cogitatum est a Capitulo, aditoque Architecto, censuit hic opus esse sc. 1500. Cum pecunia deesset, preces Capitulum obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus narrabat Ansovinum Cambium hæreditatem omnem suam in Capitulum contulisse dato onere, ut illius redditus integre erogarentur in stipendium Musicorum, qui servitium Ecclesiæ præstarent, cum autem Canonicorum redditus tenues essent, impetravit Capitulum ab Optimo Principe Benedicto XIII. ut fructus illius hæreditatis Massæ Capitulari unirentur, impleto onere a Testatore dato: Postulabant igitur ut quando nullæ erant ad reparandam Ecclesiam pecuniæ, duæ e quatuor Musicis vocibus, quæ in illa sunt, suspenderentur authoritate Pontificia, atque venia indulgeretur tot census contrahendi, qui- *Sess.22. c.1. de ref.*

bus impleri opus posset, quorumque usuræ singulis annis solverentur redditibus illis hæreditariis Ansovini Cambii, qui duobus Musicis præstantur, qui faciunt annuam summam sc. 126. Data amplissimo huic Ordini postulationis hujusce cognitio est, & nunc audito Episcopo petit Capitulum contra Cives quosdam Camerinenses, qui sese Contradictores fecerunt, definiri ab hoc Sacro Senatu *Locum esse suspensioni duarum vocum ad effectum reparandi labentem Ecclesiam*.

Temporariam duarum vocum suspensionem, ut ære alieno census dispuncto, & restituta Ecclesia, eadem voces restitui debeant justam legitimamque esse probat Capitulum rescripto Diocletiani, & Maximiani Augustorum, quod est *in l. unica Cod. de expens. publicor. Ludov. lib. XI.* respondent enim *Impensas quæ in certaminis editione erogabantur, ad refectionem Murorum* transferri potuisse, *& quod salubriter derivatum est, non revocabitur, & solemne certaminis spectaculum POST RESTITUTAM MURORUM FABRICAM juxta veteris consuetudinis legem celebrabitur:* Ut quod Augustis illis Principibus ratione publicæ utilitatis, quæ in reparatione Mæniorum Civitatis versatur, justum æquissimumque visum est, potiori ratione in reparatione Cathedralis Ecclesiæ locum habere debeat.

Eoque amplius, quod non alius suppetat modus occurrendi impensæ huic necessariæ, nam ut refert Episcopus Mensa Episcopalis, cujus hoc onus esset potissimum, tot redditus non habet, Populus pecuniis caret, Canonici vero etiam post unionem hæreditatis Ansovini Cambii cum Mana Capitulari ita tenues habent redditus, ut non satis sint implendæ summæ, a lege Conciliari Diœcesana simplicibus Sacerdotibus statutæ in annuis sc. 36. Cum igitur necessarium opus reparationis sit, cum justa sit reparandæ Ecclesiæ causa, cum alius non suppetat modus, non erit dubitandum commutari posse defuncti voluntatem juxta Tridentini Decretum, præsertim cum ea non evertatur, & funditus tollatur, sed suspendatur tantum ad certum tempus illius exequutio.

Judicium Episcopi Capituli petitioni respondet, censet autem ut si quid solutis censuum usuris supererit ex annuis sc. 126. quæ in Musicos erogari deberent, in æde sacra deponatur, ut ex iis sors multiplicatione constitui possit, qua census redimantur: Cives Camerinenses, qui petitioni Capituli obsistunt, nondum Jurium suorum libellum dederunt. Respondendum tamen est.

An sit locus suspensioni duarum vocum Musicalium de quibus in precibus ad effectum reparandi Ecclesiam in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. Aprilis 1744.



DUÆ, quæ sequuntur, causæ in ultima Congregatione, quæ habita est *die* 28. transacti Mensis *Martii* propositæ non fuerunt, & definitionem nunc ab Eminentissimis PP. expectant.

ARIMINEN. SEU ANCONITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM, in qua quæritur. *Sess. 25. c. 19. de Ref.*
An sit concedenda restitutio in integrum in casu &c.

Affirmative.

CAMERINEN. REPARATIONIS ECCLESIÆ, in qua ambigitur. *Sess. 22. c. 4. de Ref.*
An sit locus suspensioni duarum vocum Musicalium de quibus in precibus ad effectum reparandi Ecclesiam in casu &c.

Affirmative collatis etiam per Capitulum redditibus hæreditatis Ansuini Cambii, & Episcopus incumbat firmationi status ejusdem hæreditatis, eumque transmittat ad Sac. Congregationem non retardata interim imposisitione census.

BISACCIARUM IRREGULARITATIS. Repetenda est hujus Causæ species *ex folio Congregationis habitæ die* 11. *Aprilis anni* 1739. quod impressum fuit *vol.* 9. *Thesaur. Resol. Sac. Congr. pag.* 48., atque ex alio *Folio Congregationis diei* 10. *Junii anni* 1741. *vol.* 10. *ejusdem Thesaur. pag.* 80. qua die propositis duobus dubiis. *I. An constet de irregularitate Sacerdotis Francisci Pavese*, & quatenus affirmative. *II. An, & quomodo concedenda sit dispensatio in casu &c.* Responsum fuit. *Ad I. affirmative. Ad II. negative*, & demum ex alio *Folio Congregationis* habitæ *die* 22. *Septembris anni* 1742. *vol.* 11. *ejusdem Thesauri pag.* 162. qua die cum quæreretur: *An esset standum vel recedendum a decisis in casu &c.* Responsum fuit *in decisis*. *Sess. 24. c. 6. de Ref.*

Quartum nunc eamdem speciem retexere obscuræ opus esset diligentiæ: Addimus igitur quæ post Amplissimi hujus Ordinis definitionem evenerunt, Appellavit Sacerdos Franciscus Pavesius a decreto Episcopi ad Tribunal A. C. in Criminalibus, a quo mandata Judici delegato jurisdictione, & in jus vocatis tum Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis, tum Brigitta Vidua Marini Coliæ, qui a Sacerdote Pavesio interfectus dicebatur *die* 17. *Junii anni* 1736. instructus fuit processus *defensivus*, quo expleto, propositaque causa in Congregatione A. C. in Criminalibus, Fisco jura sua defendente, cum testibus repetitis probaret Pavesius *negativam coarctatam loco & tempore*, quod *die* 16. in Civitatem Abellinarum venisset, quæ sexagesimo lapide distat a loco admissi criminis, nec ab ea discessisset pluribus diebus distentus eo vitæ, & orationis genere, quod *spiritualia exercitia* vocare solemus, causam tenuit, & lata sententia est *die* 6. transacti Mensis *Martii*, qua pronunciatum est *male & indebite* judi-

judicatum fuisse per Episcopalem Curiam, & absolvendum, & liberandum fore & esse Sacerdotem Franciscum Pavesium *tamquam repertum non culpabilem, & de jure non punibilem: Processus & acta omnia desuper confecta cassantur & abolentur, Fiscoque, & adhærenti perpetuum silentium imponitur*: Redit igitur nunc Pavesius ad hujus Sacri Senatus judicium, & proposito processu *defensive*, propositis juribus editis in Congregatione A. C. proposita hac sententia postulat ab Amplissimo hoc Ordine responderi, *non constare de irregularitate, vel saltem esse concedendam dispensationem ad cauthelam*: Decernant igitur omnibus perpensis Eminentissimi Patres.

An, & in quo sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis non indigere dispensatione attenta sententia A. C.

Sess. 23. c. 8. de Ref.

TARRACONEN. ORDINATIONIS: Hujus quoque causæ species repeti debet *ex folio Congregationis habitæ die* 1. *Julii anni* 1741. *ejusdem Thesauri pag.* 88. *vol.* 10. qua die responsum fuit ab hoc Sacro Senatu „ Coadjutoriam Canonicatus vel Dignitatis sufficere, ut Coadjutor „ dicatur habere domicilium requisitum in Constitut. Innocentii XII. „ incipien. Speculatores &c. „ Cum vero hæc causa iterum proposita fuerit *die* 16. *Decembris ejusdem anni pag.* 205. *ejusdem vol.* 10. paribusque distracta suffragiis definita non fuerit, respondendum nunc est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis præstito juramento ad formam Bullæ *Speculatores*, & amplius.

Sess. 23. c. 13. de Ref.

VIGLEVANEN. FUNERUM. Redit ad Amplissimi hujus Ordinis judicium hæc causa, quæ tribus dubiis proposita fuit *die* 18. *Maii anni* 1743. Placuitque tunc Eminentissimis Patribus respondere. Ad I. negative. Ad II. dilata, & proponatur auditis Parochianis. Ad III. dilata & coadjuventur probationes super consuetudine. Cum nunc itaque proponatur impletis omnibus, quæ decreta sunt, poterunt Eminentissimi Patres inspecto iterum *folio illius Congregationis*, perpensisque ea, qua solent jurisprudentia iis, quæ nunc proponuntur, tria quæ sequuntur dubia definire.

I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad electionem Sepulturæ, & exhumationem Cadaveris in casu &c.

II. Quæ emolumenta debeantur Præposito accedenti tam cum Clero, quam sine Clero pro associatione Cadaverum ad Ecclesiam S. Bernardini occasione electionis sepulturæ in eadem Ecclesiæ.

III. An occasione associationis dictorum Cadaverum ad dictam Ecclesiam S. Bernardini liceat Præposito accedenti tam cum Clero, quam sine Clero ingredi ejusdem Januam cum Stola, Pluviali, & Cruce elevata in casu &c.

In reliquis causis dilata ad sequentem.

Sess. 21. c. 4. Sess. 23. c. 3. Sess. 24. c. 18. de ref.

POLICASTREN. Et quæ facti sunt, & quæ juris rationes favent Josepho Serrubio *Cantori*, seu Parocho Receptivæ Ecclesiæ D. Jacobi Lauren habentur *in folio Congregationis*, quæ habita fuit *die* 29. *Februarii hujus*

hujus anni: Visum est Sacro huic Tribunali respondere *Affirmative ad utrumque Dubium* in Congregatione, quæ habita est *die 14. Martii*: Rogamus igitur Eminentissimos Patres, ut *folium Congregationis diei 29. Februarii* legant iterum, ut decernere possint.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

TUSCULANA PARTICIPATIONIS. Una dignitate Archipresbyteri, sex Canonicis, & duobus Beneficiariis Tusculanæ Cathedralis Ecclesiæ Capitulum componebatur ad annum usque *1659.* quo tempore auctum fuit novi Canonicatus accessione, Testamento Joannis Baptistæ Stephanuccii: hunc alii sequuti eo res pervenit, ut nunc Archidiacono, qui secunda dignitas est, aliisque sex Canonicis & duobus Beneficiariis, atque ita duabus dignitatibus, duodecim Canonicis, & quatuor Beneficiariis componatur: hinc diversa eorum nuncupatio est, hinc discretæ Massæ Capitulares, nam qui ante illum annum *2659.* constituti fuerant *primæ Erectionis* vocantur, veteremque Massam Capitularem sibi servarunt: cæteri *secundæ Erectionis* nuncupantur, sunt de jurepatronatus eorum, qui illos fundarunt, propriasque singuli Præbendas habent, quæ omnes ab antiqua Massa Capitulari distinctæ sunt. *Sess.24. c.14. de refor.*

Lex institutionis, & receptionis primi illius Canonici *secundæ Erectionis* ea fuit, ut non tantum omnia facere & adimplere posset, & deberet, quæ antiqui Canonici tam intra quam extra dictam Ecclesiam facere, & adimplere possunt, & debent, sed etiam de omnibus & quibuscumque Legatis Piis, sunt ipsa verba Literarum Institutionis datarum a Cardinali Antonio Barberinio Episcopo Tusculano, eleemosynis, aliisque Capitulo Ecclesiæ hujusmodi relinquendis post admissionem ejusdem in Canonicum ad instar aliorum Canonicorum antiquorum participare, ipsumque ad participationem hujusmodi admitti debere, absque eo quod ratione participationis ultimo dictæ aliquid de fructibus suorum Censuum in Massa communi prædicta ponere teneatur: Iisdemque verbis datæ sunt Literæ Institutionis alterius Canonicatus fundati donatione Marci Antonii Bottonii Episcopi Coronensis ab Hieronymo Cardinali Columna Episcopo Tusculano anno *1663.*

At quia Antonio Severolio clarissimi nominis Jureconsulto, & Visitatori Apostolico Civitatis, & Diœcesis Tusculanæ anno *1660.* placuerat decernere, ut novus Canonicus tunc institutus, & ipsius Successores in perpetuum, decreti verba sunt, ad tollendum præjudicium, quod posset parari dictis Canonicis in diminutione supradictorum emolumentorum quolibet anno solveret scuta tria supradicto Capitulo, & Canonicis: hinc veteres, seu primæ Erectionis Canonici in actu, quo consensum præstiterunt novorum Canonicatuum admissioni, legem adiecerunt, ut novi Canonici ratione partis, & compendii, quod habituri essent a futuris Legatis, Funeribus, aliisque obventionibus incertis, annuam certam summam inter ipsos veteres Canonicos distribuendam solvere tenerentur, ut cognosci potest ex actis Capitularibus anni *1692.* & anni *1696.* in quibus adjecta est alia conditio, vel exprimendi hæc omnia in Literis Erectionis, & Institutionis, vel habendi confirmationem, & approbationem Sac. Congregationis Concilii, quorum neutrum impletum monstratur.

Non una tamen fuit certa illa annua summa novis Canonicis indicta, nam Canonicatui anno *1692.* erecto ab Olimpia Bonellia onus datum est annuorum sc. 8. cæteris vero inde admissis imperatum fuit, ut solverent sc. 10. atque ita tres annuarum præstationum species habent veteres a novis Canonicis trium, octo, & decem aureorum. Hos inter, quibus annua sc. 10. solvendi onus datum fuit, est Canonicus Cajetanus Butius, cui

grave

grave non fuerat publico admissionis instrumento anno 1720. solutionem hanc spondere, & agnoscere, quod etiam expressum fuerat in literis collationis Canonicatus datis a Sebastiano Fanario S R. E. Cardinali, & Episcopo Tusculano, licet in literis erectionis sui Canonicatus datis ab eodem Cardinali Fanario onus hoc non fuisset adjectum. At septennio elapso judicialem protestationem emisit nullitatis suæ agnitionis, & improbitatis oneris adjecti, quæ res cum veteres Canonicos commovisset, ad controversiam præcidendam honorarius arbiter inter eos conventus fuit Laurentius Corsinius S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Tusculanus, inde Pontifex Maximus, qui contra Butium laudavit.

Appellavit Butius ad hoc Sacrum Tribunal, abstinuitque a ferendo suffragio, cum de allectione novorum Canonicorum in Capitulo ageretur, ne onus, quod iis dabatur, probasse videretur, & causæ suæ deteriorem faceret conditionem, eademque ratione nec solvit, nec portionem suam ex incertis obventionibus exegit, donec in jus vocatus, ut solveret, definitivo decreto damnatus fuit a Cardinali Corradinio Episcopo Tusculano. Appellavit iterum Butius ad hoc Sacrum Tribunal, qua appellatione *in devolutivo tantum* admissa, protestationem emisit de juribus suis sartis tectis servandis, quo indebite solutum condicere posset. Novis itaque erumpentibus quotidie controversiis preces obtulit Butius Amplissimo huic Ordini, cui placuit audire Petrum Marcellinum Corradinium S R E. Cardinalem, eumque rogare de sententia animi sui, qui luculenta epistola contra Butium respondit: nunc igitur collatis viribus Canonici omnes secundæ Erectionis octo capitibus ab Eminentissimorum Patrum doctrina definiendis cum veteribus, seu primæ Erectionis Canonicis fortissime pugnant.

Primo Capite ambigitur, an Laudum a Cardinali Corsinio Tusculano Episcopo editum anno 1727. observandum sit & exequendum, qua in re congregatis Iuris regulis sibi late indulgent veteres Canonici. Frustra tamen, ut recte Juniores observant; pendet enim omnis hujus capitis definitio a definitione Tertii Capitis, quod, si secundum veteres definiatur, observandum quoque, atque exequendum erit Laudum illud; contra vero si secundum Juniores Canonicos caput illud tertium definiatur, nec servari Laudum, nec exequi poterit: nihil igitur opus est verbis; nihil quoque de altero Capite dicendum, cum conveniant in *Affirmativo responso*, qui Jura partium tuentur.

Quæstio omnis hujus causæ est in Tertio Capite, quo ambigitur, an lex adjecta novis Canonicis, onusque datum solvendi quotannis sc tria, octo, & decem, ultra interessentiam & satisfactionem onerum Missarum impositorum a piis Benefactoribus seu Fundatoribus, validum, legitimumque sit, ita ut novi Canonici solvere teneantur. Improbum, illicitumque, ac simoniaca labe infectum hoc esse onus, iniquamque hanc conditionem Juris dispositioni, Constitutionibus summorum Pontificum, Tridentini decreto, Prudentum responsis adversari disputant Canonici secundæ Erectionis. Addunt responsa Theologorum, qui rogati in hanc sententiam descendunt. Contra justum legitimumque onus, & conditionem hanc esse intendunt veteres Canonici, quibus favet luculentum illud Cardinalis Corradinii responsum. Nolumus hic, quæ ab utrisque late disputantur, exscribere, ne Folium in volumen excrescat.

Sed non simoniaca tantum labe infectam conditionem illam onusque datum annuam præstationem solvendi defendunt Juniores, verum etiam contendunt ea lædi enormissime, nec obstare regulam Juris, quæ vult læsionis exceptionem non admitti in contractibus, qui lucrum habere possunt, & damnum, quod cum dignoscitur contractum, qui sui initio & lucrum & damnum habere poterat, successive ad iniquitatem vergere, & detrimen-

mentum inferre, officio Judicis vel ad æqualitatem redigi debeat, vel rescissoriæ actioni sit locus, ut pluries in Tribunalibus definitum est. Detrimentum & læsio enormissima ultra alias rationes a Junioribus, seu novis Canonicis allatas probatur facto ipso Canonicorum veterum, qui contra Butium petierunt solut. sc. 30. 12 $\frac{1}{2}$ quod non solvisset annuam præstationem quinque annorum, bonificatis eidem sc. 19. 87. existentibus pœnes Canonicos contrarios pro incertis eidem tangen. decurs. ad totam die 23. Novembris, quæque non exegerat Butius, qui ut lucrifaceret incertas illas obventiones quinque annorum sc. 19. 87. solvere coactus fuit sc. 30. ut facile dignoscatur quale sit dispendium Juniorum Canonicornm, qui sc. 10. annua solvere tenentur.

Disputationem tertii capitis sequitur quartum, quo quæritur, an Canonici primæ Erectionis teneantur restituere quidquid a Junioribus acceperunt annuarum præstationum nomine, quæ disputatio inutilis erit, si tertio capite obtineant seniores, contra si secundum Juniores definiatur, observandum erit, an Seniores, antiquosque Canonicos tueri possit bona fides, vel potius an læsio enormissima adsit in contractu, quo casu omnis abest fides bona, & quidquid perceptum est, restitui debet, quod tamen locum non obtinet alio casu, quo contractus officio Judicis ad æqualitatem redigatur.

Tria, quæ sequuntur capita quintum scilicet sextum & septimum in una cognitione posita sunt. Ante novorum Canonicorum allectionem Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Tusculanæ Sacra quædam & Anniversaria agebat piis Testatorum dispositionibus relicta; datoque certo eorumdem compendio. Post novorum Canonicorum allectionem compendium horum legatorum sibi servarunt Canonici primæ Erectionis, quod ad veterem Capitularem Massam pertineret, onus vero Sacrorum & Anniversariorum cum novis Canonicis communicarunt distributo *per Turnum* implemento, & negata Junioribus ipsa *manuali* eorumdem Sacrorum eleemosyna; si quis horum non interfuerit *punctatur*, ut lubet veteribus, quibus hoc etiam cedit compendium. Hinc triplex disputatio; Prima an novi Canonici Participes esse possint distributionum, quæ obveniunt e legatis Canonicis antiquis ante novorum allectionem quæsitis, quod negant veteres: Altera est, an novi Canonici Sacris ex illis legatis agendis interesse debeant, quod veteres affirmant. Tertia, an saltem novis Canonicis Sacra illa *per Turnum* agentibus præstanda sit *eleemosyna manualis*, quod veteres negant. Contra novi contendunt, aut participes fieri distributionum, quæ ex illis legatis obveniunt, aut solvi ab hoc onere Sacra agendi, aut saltem *eleemosynam manualem* esse præstandam, quod iniquum sit sine ullo compendio servitium præstari, quod impleri debet ab iis qui commodum sentiunt legatorum, neque recta Juris ratione comprobari posse, teneri eos servitium præstare, cum oneribus & honoribus veterum Canonicorum subjiciantur, emolumentum vero nullum capere posse, quod illud ad veterem Capitularem Massam pertineat.

Ex his oritur octavum caput, quo quæritur, an cogi debeant primæ Erectionis Canonici novis restituere *eleemosynas manuales*, quæ debebantur horum Sacrorum ratione, quod negant veteres, affirmant novi. Judicium horum omnium est apud Eminentissimos Patres, qui ea, qua præstant Sacra Jurisprudentia, octo quæ hic damus dubia, definient.

I. An Laudum anni 1727. editum a sa. mem. Clemente XIII. tunc Episcopo Tusculano sit observandum, & exequendum in casu &c.

II. An Canonici noviter erecti debeant superlucrari distributiones provenientes tum ex fructibus legatis, & Funeralibus, aliisque obventionibus relinquendis Capitulo post erectionem dictorum Canonicatuum, tum etiam ex eleemosynis manualibus, quæ in dies a Fidelibus distribuuntur

tur pro decantandis Missis tam de Requie in die obitus defuncti, quam de Sanctis in eorum Festivitatibus, *& quatenus affirmative*.

III. An memorati Canonici pro supradicta participatione distributionum, & legatorum ultra interessentiam, & satisfactionem onerum Missarum impositorum a piis Benefactoribus, seu Fundatoribus, teneantur annuatim solvere Canonicis antiquis summam scutorum trium, vel octo, aut decem.

IV. An Canonici antiqui teneantur solutiones jam factas, & perceptas restituere Canonicis noviter erectis in casu &c.

V. An Canonici noviter erecti debeant participes fieri de distributionibus provenientibus ex legatis jam acquisitis Capitulo, & Canonicis antiquis ante erectionem novorum Canonicorum, *& quatenus negative*.

VI. An Canonici noviter erecti teneantur interesse, & satisfacere oneribus Missarum fixis supradictis Legatis, *& quatenus affirmative*.

VII. An saltem Canonicis noviter erectis præstanda sit consueta eleemosyna manualis pro applicatione dictarum Missarum.

VIII. An Canonici antiqui teneantur restituere Canonicis noviter erectis eleemosynas debitas pro applicatione dictarum Missarum in casu &c.

Sess.21. c.4. Sess.24. c.18. Sess. 25. c. 9. de reform.

BOJANEN. ERECTIONIS, ET ELECTIONIS. Visum est amplissimo huic Tribunali anno 1627. finiendum esse Sacerdotum Consortium numerum in Ecclesiis receptivis Diœcesis Bojanensis: datum id negocii fuit Episcopo, qui mandata implevit iisque Ecclesiis certum Sacerdotum numerum præfixit, *supra quem nulli imposterum*, decreti verba sunt, *ad dictam participationem aliquem admittere liceret sub pœna nullitatis talis admissionis*. Inter has receptivas una fuit Ecclesia D.Georgii Pagi Petrellæ, quæ numerata fuit Archipresbytero, aliisque duobus Sacerdotibus. Erant, ea tempestate, in illo Pago capita fere 800., sed lapsu centenarii temporis aucto Populo ad capita mille, & quadraginta, cum duo e Consortibus Sacerdotibus senectute, & adversa valutudine laborarent, satius duxit, qui tunc Ecclesiæ illi præerat Episcopus Nuncius Baccarius Consulto hoc Sacro Tribunali, rogante Universitate Petrellæ, quæ Ecclesiæ S. Georgii sibi vindicat Patronorum, præstitoque ab Archipresbytero, & Sacerdotibus Consortibus consensu quartum Locum in illa Ecclesia constituere, & erigere, qui prævio examine, rigidaque morum, & doctrinæ disquisitione collatus fuit Sacerdoti Nicolao Pizzio.

Nondum transacto decennio coacto Popularium concilio decretum est, ut peteretur ab Episcopo quinti Loci constitutio, & erectio ex causa augmenti populi, & reddituum Ecclesiæ. Annuit Episcopus, qui Visitationis causa Petrellam venerat, & rem composuit cum Archipresbytero Dominico Carissimo, aliisque Sacerdotibus, ut quinto Loco augeretur Ecclesia, qui inter duos dividi deberet. Hinc die 30. Septembris ad libellum duorum Sacerdotum Michaelis Gerardi, & Balthaxarris Fantaconi, qui ad examen admitti petebant, rescripsit Episcopus: *Ad nostros examinatores synodales pro examine super scientia, & experientia oratorum, & referant*: eadem die retulerunt Examinatores: *& peracto per nos examine oratorum, sumus in voto, quod admittuntur*. Die 1. Octobris datæ fuerunt ab Episcopo litteræ Collationis; eadem vero die ab iidem Sacerdotibus Gerardo, & Fantacone alius libellus Episcopo oblatus fuit, quo petebant quinti hujus loci tertiam fieri portionem, eamque tribui, atque adsignari Sacerdoti Joanni Stelluto. *Petitis annuimus* rescripsit Episcopus, *& ad nostram Curiam pro expeditione, & relaxatione Bullarum*. Eadem die libellum dedit Stellutus, ut ad examen admitteretur, rescripsitque Episcopus forma eadem, qua rescripserat ad libellum duorum, qui petierant ad examen admitti:

mitti: retulerunt eadem die Examinatores: *Attenta Oratoris idoneitate per nos in examine recognita, potest admitti ad petitam portionem*: igitur die sequenti 2. Octobris datæ fuerunt ab Episcopo Litteræ Collationis: Die 2. Gerardus, & Stellutus in possessionem portionis quisque suæ quinti loci immissi fuerunt.

Commovit hæc res Archipresbyteri animum, commovit Sacerdotes Consortes, commovit Universitatem, coactoque Concilio centum quadraginta hominum reprobatum fuit augmentum quinti Loci, dataque potestas petendi in Judicio illius nullitatem, tanta populi in tres illos Sacerdotes adversitate animi ob malos mores, & crimina, quibus dehonestati dicuntur, ut plures ad vicinos Pagos dilabantur, ut Sacramentales Confessiones emittant, plures vero sese ab Ecclesiasticis Sacramentis abstineant, ne a tribus illis Sacerdotibus Sacramenta recipiant. At Episcopus his omnibus spretis, cum Nicolaus Amorosius, sive sponte, sive vi metuque (incerta enim res est) quartum, quem tenebat locum dimisisset, illum contulit æqualibus portionibus Gerardo, & Fantacono; Stellutus vero quinti Loci possessionem solus retinuit. At cum Gerardus, & Fantaconus in possessionem quarti Loci mittendi essent, oborta est universi Populi commotio, & seditio, qua vetitum fuit Archipresbytero vacuam illis quarti loci possessionem dare, impetitus ob id, & censuris ab Episcopo districtus, ut alia, quæ hanc sequitur, causa plenius dicemus.

Libellum igitur amplissimo huic Ordini obtulerunt Universitas, & Archipresbyter, rescriptumque est die 6 Decembris 1738. ut fieri solet *Ordinario pro Informatione, & Voto*, datisque ob contumaciam Episcopi urgentioribus litteris, advenit tandem responsum, Archipresbytero contraria protestatione veritatem eorum, quæ ille retulerat negante. Datum itaque negocium fuit Nuncio Neapolis, qui ea, qua potuit diligentia, rem omnem investigavit, & eo, quo par erat, animi candore sine studio partium retulit. Nunc igitur Universitas, & Archipresbyter contra Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis, & tres illos Sacerdotes quatuor capitum, quæ in quæstionem revocantur, ab hoc Sacro Senatu definitionem expectant.

Ambigitur primo capite, *an sustineri debeat erectio quinti Loci in Ecclesia S. Georgei*, quod negat Archipresbyter, negat Universitas tribus rationibus, defectu potestatis Episcopi, defectu consensus Capituli, seu Sacerdotum Consortium, defectu consensus Capituli, seu Sacerdotum Consortium, defectu justæ, & legitimæ causæ quintum Locum augendi. Defectus potestatis Episcopi est in qualitate Ecclesiæ numeratæ authoritate Apostolica, seu Sacri hujus Senatus; Defectus Consensus Capituli, seu Sacerdotum Consortium, qui necessarius est, sive Ecclesia numerata sit, sive innumerata, & receptiva, probatur, quia quatuor Sacerdotes consortes huic augmento quinti Loci contrarios sese præbuerunt protestationibus emissis: Defectus vero justæ, & legitimæ causæ, quia nec Populi numerus ita excreverat, ut necessaria esset aliorum Sacerdotum accessio, cum ab anno 1728., quo Locus quartus additus fuit ad annum 1738., quo additus fuit quintus, ducenda capita accreverint, quibus satis esse possunt quatuor Sacerdotes, nec aucti fuerint Ecclesiæ redditus, nisi in annuis duc.42. cujus augmenti nulla habenda ratio sit ob onera sacrorum, & anniversariorum adjecta.

Quod si contrarium placeat Eminentissimis Patribus respondere, postulant Archipresbyter, & Universitas secundo capite definiri quintum Locum *in futurum esse providendum prævio formali examine, & indicto Concursu*, quod res sit de Beneficio, cui actualis cura Animarum una cum Parocho, sive Archipresbytero adnexa est, ideoque aperto Tridentini decreto cautum sit indicendum esse Concursum, edictoque proposito Sacerdotes esse monen-

monendos, ut ad examen veniant, ut inde *magis dignus* cooptetur, eaque forma non servata, collatio nulla est, & irrita, ut tradunt aliis omissis *Riccius in prax. For. Eccles. par.4. res.55. n.1. Barbosa ad Conc. Trident. sess.24. cap.18. de ref. cap.18. num.158. & de off. & potest. Paroch. par.1. cap.2. n.135.*

Hinc consequitur tertii capitis quæstio, quæ est; *An provisio trium Sacerdotum ad quintum locum substineatur, vel iterum fieri debent prævio formali examine, & indicto Concursu*, quod postulat Archipresbyter, postulat Universitas, cum collatio quinti loci facta sit tribui Sacerdotibus nullo indicto concursu, & in circulo unius diei examinati, probatique fuerint nimia celeritate, quam supra narravimus; nec Gerardus, & Fantaconus idonei ab Examinatoribus judicati fuerint, ut jubet Tridentinum, & factum fuit de Stelluto; eoque amplius ii removendi sit, quod vitiis, criminibusque publice notati scandalo, atque odio sint universo Populo, ut quærendum non sit juste ne, an injuste hoc obtigerit, sed satis esse debeat opinio, & diffamatio, ut arceantur, ita tradentibus *Garz. de Benef. par.7. cap.8. num.3. Barbosa de potest. Episc. par.2. alleg.23. num.10. & 19. Lot. ter. de re Benef. lib.2. quæst.31. num.145. Card. de Luca de Paroch. disc.9. n.6. & disc.37. n.28.*

Quarto demum capite ambigitur: *an provisio Gerardi, & Fantaconi ad quartum Locum, quam fecit Episcopus, substineatur*, quod negant Archipresbyter, & Universitas iisdem rationibus, quibus nullam fuisse collationem quinti Loci, & removendos esse tertio capite contendunt. Addunt attentati vitio infectam esse hanc Episcopi collationem, postquam scilicet lis in hoc amplissimo Tribunali contestata fuerat de quinto Loco tollendo. Hæc, quæ ab Archipresbytero, atque Universitate tantnm proponuntur, ab Eminentissimis Patribus expendenda sunt; Promotor Fiscalis, & tres Sacerdotes nondum jurium suorum libellum dederunt; his perpensis cognoscant, qua juris ratione quatuor dubia sint definienda.

I. An erectio prætensi quinti Loci facta per Episcopum Bojanensem in Ecclesia Sancti Georgei Terræ Petrellæ substineatur in casu &c. & *quatenus affirmative*.

II. An dictus quintus locus sit in futurum providendus prævio formali examine, & indicto concursu, & *quatenus affirmative*.

III. An Provisio facta in personam Sacerdotum Joannis Stelluto, Balthaxarris Fantacone, & Michaelis Gerardi ad dictum quintum locum substineatur, seu potius denuo fieri debeat prævio dicto formali examine in casu &c.

IV. An Provisio Sacerdotum Michaelis Gerardi, & Balthaxarris Fantacone ad quartum locum nuperrime dictum Episcopum facta substineatur in casu &c.

Sess.25. c.4. de ref.

BOJANEN. CENSURARUM. Ex facto antecedentis Causæ oritur hujus quæstio: Cum dimisso quarto loco Ecclesiæ Petrellæ a Sacerdote Nicolao Amorosio, Episcopus Bojanensis illum contulisset Sacerdotibus Michaeli Gerardo, & Balthaxarri Fantacono, Universitas illa, re isthac cognita, publico actu vetuit Dominico Carissimo Archipresbytero Ecclesiæ, ne Sacerdotibus illis vacuam possessionem traderet quarti Loci, & Archipresbyter publicam de impedimento ab Universitate præstito protestationem emisit. Episcopus alteri Jurisdictionem mandavit, qui Sacerdotes illos mitteret in possessionem: sed Populus cognito Delegati hujus adventu, ita commotus est, ut agmine facto in Ecclesiam irrueret, claves abstulit Archipresbytero, fores occlusit, & nocte tota excubias egit accensis luminibus, ut re infecta coactus fuerit Delegatus e Pago discedere.

In

In mentem venit Episcopo tumultum hunc Popularium Petrellæ commotum fuisse artificio, & calliditate Archipresbyteri, & clam auditis Delegato, & novem testibus, qui non de visu, aut facto proprio, sed de auditu ab aliis Popularibus suis retulerunt, die 24. Junii 1740. Archipresbyterum Dominicum Carissimum *ex informata conscientia* a divinis suspensum declaravit, inde quæsitis e vicinis Pagis quindecim aliis testibus de publica voce, & fama, atque auditu testimonium ferentibus, licet decem Fiscales testes dixerint nihil omisisse Parochum, vel monendo, vel objurgando, ut animum populi leniret, & impetum retineret, iterum die scilicet 11. Julii ejusdem anni eamdem ob causam excitati tumultus eumdem Archipresbyterum suspensum a divinis declaravit *ex informata conscientia*, & facta redituum omnium sequestratione, datoque œconomo, fructus omnes, ut stipendium œconomo solveretur, publice vendendos decrevit.

Non satis hæc visa sunt: nova crimina impicta fuerunt Archipresbytero, cujus mores, pietatem, probitatemque pleno ore laudant innumeri testes tum ipsius Pagi Petrellæ, tum vicinorum Locorum. Instructus fuit Processus die 8. Octobris ejusdem anni, ut probaretur eum plena uno die Sacra fecisse, atque illa scripsisse in albo, seu libro Sacrorum actorum, qui libet publice in Sacrario prostabat, licet duæ numerales dierum notæ oculis ipsis vitiatæ dignoscerentur. Nihil tamen de hoc crimine actum est per annum, Episcopus enim Petrellam accedens visitationis gratia mense Octobris anni 1741., vidit Librum Tabulasque, in quas referuntur sacra, quæ acta sunt, jussitque Archipresbytero, ut ad vitandam suspicionem omnem vitii, & duplicitatis non numeris, sed literis dies acti sacri describeret: jussit ut *Cathalogum Doctrinæ Christianæ pro Instructione Puerorum* componeret ad formam edicti lati die 2. Maii ejusdem anni: Jussit ut Libri Parochiales ad formam Ritualis Romani scriberentur, indicta, si secus fieret pœna ducatorum decem, licet in edicto generali indicta Parochis esset pœna carolenorum viginti, seu ducatorum duorum.

Hinc nova criminalium actionum seges erupit: Promoter Fiscalis die 1. Martii anni 1742. institit, ut cogeretur Archipresbyter ad informandam Curiam in causa sacrorum dupliciter actorum, eadem die data fuit eadem citatio, eadem die postulatum est, ut monstraret Archipresbyter implevisse decreta Visitationis, eadem die editum fuit edictum Episcopi de formatione *Cathaloghi Puerorum Doctrinæ Christianæ*, & demum eadem die interpellatus fuit Archipresbyter *ad dicendam causam, quare declarari non deberet suspensus*. Atque ita una die plurium delictorum processus compilatus fuit usque ad censuras sine ulla actorum probatione, cum decreta Visitationis trigesima post processus compilationem die edita fuerint; & licet intra terminum dierum sex ei præfixum edidisset Archipresbyter, & Cathalogum, & Libros Parochiales, Judex tamen decrevit, ut ,, citra præjudicium pœnæ incursæ bene dispositum Cathalogum exhiberet intra dies ,, quindecim ,, interim vero statum animarum curia retinebat, sine quo non poterant nomina, & cognomina Puerorum in Libris Parochialibus distincte describi.

Victa hac methodo Archipresbyteri patientia, opem, præsidiumque petere coactus fuit ab hoc Sacro Senatu, vetitumque primum Episcopo fuit, ne lite pendente ,, procederet contra eum ad actus irretractabiles ,, inde datum fuit munus Episcopo Guardiensi, ut de his criminibus Carissimo impictis referret. Respondit ille, & plurimum laudato Archipresbytero, crimina dispulit, retulit nec excitati popularis tumultus authorem fuisse Carissimum, nec ullam in eo partem habuisse, sed omnia egisse, ut oborta commotio, seditioque comprimeretur. Nullo jure nullaque necessitate cogente Episcopum Bojanensem quintum locum in Ecclesia Petrellæ erexisse, tres Sacerdotes, quibus collatus fuit, malis moribus deturpari, atque odio esse

illi populo: de duplici sacro una die acto Archipresbyterum absolvit ,, tum ,, testibus fide dignis super id auditis, tum sua ipsius inverisimilitudi-,, ne ,, ob rationes, quas affert, colligitque demum nullam invenire rationem, qua tueri possit decretum sequestrationis fructuum, & suspensionis a divinis ,, ex informata conscientia.

Nunc igitur de his censuris, aliisque a Curia Bojanensi actis cognosci postulat Archipresbyter: rationes nullitatis, injustitiæ, & violentiæ, quas late proponit in libello suo, hic dare inutile est; res ipsa ornari negat, satis enim sunt, quæ ex facto, quod hactenus narravimus, proponuntur. Cum tamen Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Bojanensis nondum jura sua libello complexus sit, videant Eminentissimi Patres, quid respondendum sit ad Dubium.

An Censuræ latæ per Reverendissimum Episcopum Bojanensem substineantur in casu &c.

Die Sabbathi 9. Maii 1744.



Ndulta ab Eminentissimis Patribus in Congregatione habita die 18. transacti mensis Aprilis dilatione propositiones quinque, quas hic damus, Causarum, rogamus nunc, ut ea qua præstant humanitate folium illius Congregationis ad earum speciem repetendam iterum legere Eminentissimos Patres non pigeat.

Sess. 23. c. 12. de ref.

VIGLEVANEN. FUNERUM. In qua tria, quæ sequuntur dubia, definienda sunt.

I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad electionem Sepulturæ, & exhumationem Cadaveris in casu &c.

II. Quæ emolumenta debeantur Præposito accedenti tam cum Clero, quam sine Clero pro associatione Cadaverum ad Ecclesiam S. Bernardini occasione electionis sepulturæ in eadem Ecclesia.

III. An occasione associationis dictorum Cadaverum ad dictam Ecclesiam S. Bernardini liceat Præposito accedenti tam cum Clero, quam sine Clero ingredi ejusdem Januam cum Stola, Pluviali, & Cruce elevata in casu &c.

Non proposita.

Sess. 21. c. 4. Sess. 23. c. 3. Sess. 24. c. 18. de ref.

POLICASTREN. in qua decernendum est.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad I. In decisis servata dispositione Decreti Synodalis anni 1632., & amplius. Ad II. In decisis dummodo eligatur unus de gremio participantium, & amplius.

TUSCU-

TUSCULANA PARTICIPATIONIS, in qua octo dubia propnuntur. *Sess. 24. c. 14. de refor.*

I. An Laudum anni 1727. editum a sa. mem. Clemente XIII. tunc Episcopo Tusculano sit observandum, & exequendum in casu &c.

II. An Canonici noviter erecti debeant superlucrari distributiones provenientes tum ex fructibus legatis, & Funeralibus, aliisque obventionibus relinquendis Capitulo post erectionem dictorum Canonicatuum, tum etiam ex eleemosynis manualibus, quæ in dies a Fidelibus distribuuntur pro decantandis Missis tam de Requie in die obitus defuncti, quam de Sanctis in eorum Festivitatibus, *& quatenus affirmative*.

III. An memorati Canonici pro supradicta participatione distributionum, & legatorum ultra interessentiam, & satisfactionem onerum Missarum impositorum a piis Benefactoribus, seu Fundatoribus, teneantur annuatim solvere Canonicis antiquis summam scutorum trium, vel octo, aut decem.

IV. An Canonici antiqui teneantur solutiones jam factas, & perceptas restituere Canonicis noviter erectis in casu &c.

V. An Canonici noviter erecti debeant participes fieri de distributionibus provenientibus ex legatis jam acquisitis Capitulo, & Canonicis antiquis ante erectionem novorum Canonicorum, *& quatenus negative*.

VI. An Canonici noviter erecti teneantur interesse, & satisfacere oneribus Missarum fixis supradictis Legatis, *& quatenus affirmative*.

VII. An saltem Canonicis noviter erectis præstanda sit consueta eleemosyna manualis pro applicatione dictarum Missarum.

VIII. An Canonici antiqui teneantur restituere Canonicis noviter erectis eleemosynas debitas pro applicatione dictarum Missarum in casu &c.

Ad I. & III. Teneri omnes Canonicos noviter erectos ad solutionem scutorum trium annuorum tantum, & amplius. Ad II. Affirmative, & amplius. Ad IV. Negative. Ad V. Negative, & amplius. Ad VI. Affirmative, & amplius. Ad VII. Affirmative, & amplius. Ad VIII. Affirmative, & amplius.

BOJANEN. ERECTIONIS, ET ELECTIONIS, in qua quatuor Dubia definiri debent. *Sess. 21. c. 4. Sess. 24. c. 18. Sess. 25. c. 9. de reform.*

I. An erectio prætensi quinti Loci facta per Episcopum Bojanensem in Ecclesia Sancti Georgei Terræ Petrellæ substineatur in casu &c. *& quatenus affirmative*.

II. An dictus quintus locus sit in futurum providendus prævio formali examine, & indicto concursu, *& quatenus affirmative*.

III. An Provisio facta in personam Sacerdotum Joannis Stelluto, Balthaxarris Fantacone, & Michaelis Gerardi ad dictum quintum locum substineatur, seu potius denuo fieri debeat prævio dicto formali examine in casu &c.

IV. An Provisio Sacerdotum Michaelis Gerardi, & Balthaxarris Fantacone ad quartum locum nuperrime dictum Episcopum facta substineatur in casu &c.

Ad I. Negative. Ad II. & III. Satis provisum in primo. Ad Quartum Negative.

Sess. 25. c. 4. de ref.

BOJANEN. CENSURARUM, in qua respondendum est.

An Censuræ latæ per Reverendissimum Episcopum Bojanensem substineantur in casu &c.

Negative.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.

NEAPOLITANA SPONSALIUM. Jussu Amplissimi hujus Ordinis hæc causa proponitur, nam in Congregatione habita die 14. Martii responsum fuit -- Dilata ad secundam post Agnos omnino. Poterunt igitur Eminentissimi Patres ad eam definiendam Folium Congregationis habitæ die 24. Augusti 1743. iterum inspicere, ut decernant.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata, & proponatur in prima omnino non retardata interim exequutione Decreti Judicis subdelegati.

Sess. 24. c. 10. Sess. 21. c. 3. de Ref.

NICIEN. DECRETORUM. Postquam in Congregatione habita die 14. Martii definita fuerunt ab Eminentissimis Patribus decem dubia, quæ in hac causa proponebantur, postularunt tum veteres, cum novi Canonici iterum audiri, sed data tantum facultas fuit rationes proponendi quoad Dubium II. in quo de declaratione responsi agendum tantum est, IV. VII. VIII. & IX.: Cum igitur quinque hæc dubia Sacro huic Senatui iterum nunc expendenda proponantur, poterunt Eminentissimi Patres folium Congregationis habitæ die 29 Februarii, in quo de omnibus decem capitibus hujus controversiæ late actum fuit, aliudque folium Congregationis habitæ die 14 Martii, qua proposita omnia dubia, & definita fuerunt, oculis iterum subjicere, ut quæ data fuerunt, quæque nunc proponuntur, Juribus, rationibusque perspectis, respondere possint.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad dubium II. IV. VII. VIII. & IX. in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. Dec. de obser. & evit. in celeb. Missæ.

TYBURTINA. Ortis inter Episcopum Tyburtinum, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Tybaris pluribus controversis, quæ triginta novem dubiis, sive Capitibus complectebantur, optimum visum est Sanctissimo Principi Nostro, cognitionem illarum tot Capitibus dubiisque involutam dare Congregationi Particulari: Inter hæc capita unum erat ordine Decimum, quod ob quæstionis, quæ in eo tractabatur, gravitatem, dignum visum est, ut universo huic Amplissimo Ordini definiendum proponeretur. Quæstio est: An Canonici Cathedralis Ecclesiæ statis quibusdam diebus juxta Rubricæ præcepta duo, triaque sacra cum cantu agentes, præter illud, quod vocant Conventuales, teneantur omnia sacra applicare pro Befactoribus in genere, vel potius satis sit applicatio Sacri Conventualis, ut hactenus ab ipsis factum est. Primum voluit Episcopus: secundum intendunt Canonici.

Ajunt hi: Rubricam alterius sacri celebrationem, non vero applicationem jubere: Amplissimum hunc Ordinem ita rescripsisse anno 1727. ad postulata Episcopi Tyburtini, quæ fecerat in Relatione status Ecclesiæ: Ita hactenus a tempore, cujus initium ignoratur, servatum fuisse, nec salva lege, quæ a Rubrica est, mutandas esse veteres Ecclesiarum consuetudines. Præ-

sertim

ſertim cum hæc omnia ſumma ratione ſtatuta ſint; ea enim eſt tenuitas redditũum Capituli; & onus implendi 101 ſacra ita grave, ut impar ſit omnibus agendis, minuique potius, quam augeri onera debeant, cum hujus tenuitatis redituum cauſa non teneretur Capitulum applicare diebus ſingulis ſacrum pro Benefactoribus in genere, ut monſtravit, ea, qua omnibus præſtat Sacra Juriſprudentia Optimus Sanctiſſimuſque Princeps Noſter in *ſuis notific. vol.5. par 4. ſect.2. notif.16. num.61. pag.158. edit. Bonon.*

Epiſcopus contra: omne ſacrum, quod cum cantu in Eccleſia Cathedrali agitur, Conventuale cenſeri, ut eſt apud *Scarfant. ad Ceccop. lib.3. lucubr. tit.4. ſub num.45. vol.2.*, atque ob id teneri Canonicos etiam alia ſacra, ut ſit in Conventuali, applicare pro Benefactoribus in genere, idque ita reſcripſiſſe Sacrum hunc Senatum in epiſtola data in *Brunduſina* 28. *Febr.* 1722., & ita reſpondiſſe in *Acerrarum* 23. *Aug.* 1727. *ad X. Dub.*, ut in *Theſ. Reſol. Sac. Cong. Vol.4. pag.*104. Sed hæc reſponſa nihil obeſſe putant Canonici, quod data fuerint ob rationes particulares, quæ in illis ſpeciebus locum habebant, longe vero abſint ab hac controverſia; tenues enim redditus Canonicatuum immunes eos reddere ab hoc onere,

Hæc in Congregatione Particulari proponebantur: obſervandum tamen eſt in illa Cauſa *Acerrarum* ita expreſſum fuiſſe Dubium X. An dicti Canonici ultra Miſſam Conventualem teneantur quoque celebrare Miſſam de Feria, & an dictam Miſſam Conventualem teneantur applicare pro Benefactoribus, ſive potius ſit ſervanda conſuetudo -- Reſponſum vero fuiſſe ab hoc Ampliſſimo Ordine -- Affirmative quoad primam, & ſecundam partem, & negative quoad tertiam -- ut facile cognoſcatur reſponſum hoc ad rem noſtram non pertinere, cum ab hoc Sacro Senatu non fuerit reſponſum teneri Canonicos applicare Miſſam de Feria ſed dumtaxat juſſerit celebrationem, quod implere non renuunt Cathedralis Eccleſiæ Tyburtinæ Canonici: Illud etiam monendum eſt tenuitatem redditũum liberaſſe Canonicos ab onere applicationis in *Camerinen. Miſſæ Conventualis* 24. *Auguſti* 1743. *Vol.*12. *Theſ. Reſol. Sac. Congr. pag.*156. in qua proponebatur quartum Dubium -- An in Vigiliis in quibus duplicantur, vel triplicantur dictæ Miſſæ cantatæ, ſint omnes applicandæ, vel una tantum in caſu &c. *Reſponſumque fuit* -- Affirmative, ſed in caſu de quo agitur, attenta tenuitate redditũum ex gratia concedendum eſſe, ut una tantum applicetur. Videant igitur omnibus perpenſis Eminentiſſimi Patres, qua juris ratione definiendum ſit dubium.

An ultra Applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus applicari etiam debeat pro eiſdem ſecunda, & tertia Miſſa pariter Conventualis aliquando canenda ad præſcriptum Rubricæ in caſu &c.

TOLETANA MATRIMONII. Propoſitis ab amico homine nuptiis Mariæ Catharinæ Albala, & Nigo Puellæ ſexdecim annorum, & Franciſci Montenegro, & Vera, Joannes Antonius Albala, & Emanuella Martinez Puellæ Parentes optimum hoc reputantes connubium, filiæ ſuaſerunt, ut omnibus perſpectis circumſtantiis tum nobilitatis, & opum Viri, tum adverſæ valetudinis, qua tum Joannes Antonius Pater Mariæ laborabat, & anguſtiæ rei ſuæ familiaris, & oneris aliarum filiarum, quo premebatur, in matrimonium Franciſci conveniret, rati eum, qui Mariæ Catharinæ deformis videbatur, poſt nuptias contractas gratiorem futurum. Pactis igitur conventis, & prævia, ut Matriti moris eſt, diligenti diſquiſitione voluntatis Puellæ facta a Vicario Generali, ritibuſque omnibus Eccleſiæ ſervatis, ſolemnes nuptiæ contractæ fuerunt die 22. Julii anni 1738., & nova nupta individuam menſæ, & thori conſuetudinem, ac ſocietatem cum Franciſco Viro trium fere menſium curriculo ſervavit. *Seſſ.24. c. 1. de ref. Matr.*

Per

Per id tempus Mariæ Catharinæ Parentes (neque enim illa in Viri domum deducta fuerat, sed Vir in domum Mulieris sese receperat) observarunt Filiæ animum magis magisque a Francisco ab alienari, cujus rei causam cum perquisivissent, receperunt a filia, nec nuptias illas fuisse, nec matrimonium; contractum connubium metu, qui a reverentia est, quæ Parentibus debetur; non ausam voluntati eorum repugnare Franciscum duxisse; Aversatam vero semper illum fuisse, & nunc maxime aversari, quod mores illius penitius cognoscere, & perspicere potuisset, graveolentem corporis sui halitum ferre non posse, nec passam fuisse, ut ab eo comprimeretur, & vitiaretur, licet cum illo concubuisset. Igitur consilio Parentum divertit a Francisco Maria Catharina, discessit e domo mulieris Franciscus, qui in Ædes Matris sese recepit, & die 22 Octobris ejusdem anni petiit in Judicio Maria declarari nullum matrimonium, quod contraxerat metu a reverentia, atque importunis Parentum suggestionibus incusso, ediditque in hanc rem plurium testium testificationes. Contra Vir rite contractum matrimonium dixit, petiitque causam cito confici, & ut Juris esset definiri: sed pluries licet in jus vocatus non venit, ut ob illius contumaciam Promotor Fiscalis testes a Maria datos compositis articulis repeti, aliosque testes favore matrimonii simili methodo examinari curaverit.

Dum hæc Matriti agebantur, Maria Catharina preces obtulit Optimo Pontifici Clementi XII. quibus hæc omnia narrans postulabat dispensationem, quod matrimonium ratum esset non-consummatum, dataque Amplissimo huic Ordini postulationis hujusce cognitione, rescriptum fuit, ut Archiepiscopus Administrator audito Viro referret, sententiamque suam aperiret: respondit ille secundum Mariam Catharinam, atque hæc iterum postulavit ab hoc Sacro Senatu, ut vel matrimonium nullum declararet, vel consilium daret Summo Pontifici dissolvendi connubium ratum, non consummatum. At, quia nondum acta trasmissa fuerant, responsum est, ut acta transmitterentur, utque dies Viro statueretur ad jura sua proponenda: his impletis, ob Viri contumaciam datus fuit matrimonii Defensor: petiit autem Maria Catharina, ut Archiepiscopo Administratori potestas fieret Virum, & ipsam Mariam Catharinam audiendi, aliasque probationes in actis accipiendi, omnibusque impletis, novaque adventa epistola Archiepiscopi Administratoris, qua favore Mariæ Catharinæ respondebat: postulavit hæc iterum ab Optimo Sacratissimoque Principe Nostro Consultationem Amplissimi hujus Ordinis pro dispensatione Matrimonii rati non consummati, sed die 3. Julii 1743. in Audientia Sanctissimi rescriptum fuit: *Proponatur causa super dubio validitatis matrimonii tantum*. Petit nunc igitur Maria Catharina Sacri hujus Tribunalis authoritate nullum declarari connubium, quod cum Francisco contraxit ex causa metus, & reverentiæ, quæ Parentibus debetur.

Summa libelli dati a Postulatore Mariæ Catharinæ hæc est: Testibus ab ipsa datis, qui Parentes sunt, amici, familiares, probari actus antecedentes, concomitantes, & subsequentes matrimonium, e quibus colligitur Puellam sexdecim annorum metu, & suasionibus Parentum ad invisas nuptias contrahendas impulsam fuisse. Referunt enim testes placidum Mariæ ingenium, & obedientiam, quam ipsa Parentibns præstabat, adversum animum, quem illa ostendit his nuptiis viso Francisco, rationes, quibus eam hortabantur, suadebantque parentes ad contrahendum connubium, protestationes, & declarationes contrariæ voluntatis factas amicis, & familiaribus, quibus explicabat, absentibus tamen, atque ignorantibus Parentibus, invitam has contrahere nuptias, ne illorum voluntati repugnaret: rogasse amicos, ut rem omnem Parentibus aperirent, quod impetum ab illis non fuit, lacrymas, & maledicta, quæ in Virum effudit, neg sse sibi alimenta, ne invisum hominem duceret, dissensus sui famam, vocemque per

per Matriti Urbem publice votilasse, & per ora virum late perductam fuisse: ipse die sponsalium, & matrimonii suspiria, & lacrymas fudisse, metuque iræ, & indignationis Parentum contrariam his nuptiis voluntatem non aperuisse Vicario Generali, qui eam interrogabat: connubio contracto auctum fuisse odium in Virum, a quo incorrupta erat, & inviolata, quod integram sese servasset adversus Francisci conatus.

Contra vero, qui jura matrimonii tuetur, longe abesse inquit a nostra specie quæstionem de metu a Parentibus incusso, sive per vim, atque atrocitatem, sive per importunas hortationes, blanditis, & suggestiones: Posse de metu ejusque speciebus tractari quæstionem, si diceretur scivisse Parentes filiam noluisse Connubio jungi Francisco Montenegro: At cum sumatur a Maria Catharina, & dicatur ignorasse Parentes filiæ dissensum his nuptiis, inutilem esse omnem de metu tractationem, qui non infertur ab iis, qui ignorant ab eorum voluntate dissentiri, ut dicendum omnino sit, vel falsum esse metum, quem obtendit Maria Catharina, vel fuisse metum conceptum in ejus mente, non vero illatum a Parentibus. Conceptum in ejus mente hunc metum non satis esse ad dissolvendum connubium, illato opus esse, eoque potissimum, qui constantem fœminam concutere, & dimovere potuisset ab animi proposito.

Nulla ratione metum hunc mentem sua concepisse Mariam, cujus parentes optimo sunt ingenio, non immites, non feroces, sed pietate in filias, & amore feruntur; Imputare eam sibi debere, quæ libere Parentibus voluntatem suam non aperuit, quam si aperuisset, omnem de his nuptiis contrahendis tractatum abrupissent: Testes ab ipsa datos integros non esse, nec aliquid probare posse, cum sint parentes, amici, familiares, eodemque numero habendas esse eorumdem conjugum testificationes, ne integri testes sint in propria causa. Hortationes, & suasiones non ad metum incutiendum, sed ad prudentiam parentum spectare, qui cum ætate, atque experientia rerum, tum ipsa natura ducuntur, ut optimum pro liberis capiant consilium; si quid vero in ore, & vultu filiæ agnoverunt illi mestitiæ, & adversitatis huic matrimonio, rectissime potuisse tribui pudori Virgineo, & sollicitudini, ac dolori deserendi parentes, sorores, laresque patrios, & in manum ignoti hominis conveniendi. Cæterum difficile esse, ut credi possit in tanta animi ægritudine, atque pertubatione potuisse Mariam Catharinam, fallaci ore, risus componere, & gaudia falsa imitari, nam lætam lubentemque ad has nuptias venisse quatuor referunt testes, qui nullum doloris, mestitiæ, & contrariæ voluntatis indicium, atque argumentum deprehendere potuerunt, vel in actu, quo a Vicario generali disquisitio liberæ voluntatis facta est, vel in actu, quo matrimonium contractum fuit.

Eoque amplius, quod nulla vehemens esse poterat causa, ob quam Vicario generali, qui eam de libera voluntate sua expresse rogavit, qui tutelam omnem juris spondebat, sententiam animi sui non aperiret, quod potuisset saltem dissensum suum, mentemque omnibus pandere extremo illo tempore, quo matrimonium contractum fuit. Quis vero putet potuisse Mariam Catharinam cum Francisco, quem odio habebat, longo trium mensium tempore concumbere? quis putet concubuisse eodem lecto cum Juvene, & forti, & integram esse, atque inviolatam a Viro? Hæc sunt, quæ in libellis Postulatorum proponuntur. Decernant nunc igitur omnibus perpensis EE. Patres.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Die Sabbathi 13. Junii 1744.



N ultima Amplissimi hujus Ordinis Congregatione, quæ habita est die 9. Maii tres, quæ sequuntur Causæ propositæ non fuerunt, ut ad earum speciem repetendam folium illius Congregationis humanitate EE. PP. inspici debeat.

Sess.24. c.10. Sess. 21. c.3. de refor.

NICIEN. DECRETORUM, in qua respondendum est.
An sit standum, vel recedendum a decisis quoad Dubium II. IV. VII. VIII. & IX. in casu &c.

In decisis in omnibus, & amplius.

Sess.24. c.12. de reform. & Sess. 22. Dec. de obs & evit. in celeb. Miss.

TYBURTINA, in qua quæritur.
An ultra Applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus applicari etiam debeat pro eisdem secunda, & tertia Missa pariter Conventualis aliquando canenda ad præscriptum Rubricæ in casu &c.

Ad Mentem.

Sess 24. c. 1. de ref. Matr.

TOLETANA MATRIMONII, in qua definiendum est.
An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.

NEAPOLITANA SPONSALIUM. Placuit Eminentissimis Patribus in ultima Congregatione respondere -- Dilata, & proponatur in prima omnino, non retardata interim exequutione Decreti Judicis Delegati. Poterunt igitur ex his, quæ nunc proponuntur, decernere.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.24. c.12. de reform. & Sess. 22. Decret. de obser. & evit. in celebr. Miss.

CAMERINEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Proposita fuit hæc Causa quatuor Dubiis in Congregatione habita die 24. Augusti superioris anni 1743., & visum fuit Eminentissimis Patribus respondere -- Ad I. & II. Affirmative ad formam concordiæ. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative, sed in casu de quo agitur, attenta tenuitate reddituum ex gratia concedendum esse, ut una tantum applicetur. Cum nunc itaque ad Judicium Amplissimi hujus Ordinis iterum veniat, rogamus Eminentissimos Patres, ut folium illius Congregationis, quod impressum fuit *Vol. 12. Resol. Sacræ Congreg. pag. 156.* oculis subiiciant, ut perpensis iis, quæ nunc proponuntur, respondere possint.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Quoad I. II. & III. Dilata, Quoad IV. Ad mentem.

VALEN-

VALENTINA CAPPELLANIARUM. Luculenter expressa fuit hujus Causæ species in folio Congregationis habitæ die 9. Septembris anni 1741., quod impressum est *Vol.10. Thes. Resol. Sac. Congreg. pag.154.* sed causa illa die proposita non fuit, quod factum est die 23. ejusdem mensis, & anni, ut cognosci potest eodem *Vol.10. Thes. Resol. pag.162.* At paribus ea die distracta Eminentissimorum PP. suffragiis iterum proposita fuit die 10. Martii 1742. qua die quatuor Dubia definita fuerunt, ut perspici potest *Vol.11. ejusdem Thes. p.30.* Post hæc tres Fratres Vincentius, Petrus, & Christoforus Melia Cappellani audiri postularunt quoad III. Dubium, quo quærebantur -- An dicto Augmento æqualiter frui debeant Vincentius, Petrus, & Christoforus Fratres de Melia moderni Cappellani, seu Beneficiati, & alii futuri descendendes a Josepho Ximeno, quamvis non resideant in dicta Ecclesia, nec subeant onera per fundatorem imposita cæteris Beneficiatis in casu &c. *Responsumque fuerat* negative quoad modernos Cappellanos, & alios descendentes a Josepho Ximeno per lineam fœmininam. Cum nunc igitur ad amplissimi hujus Ordinis Judicium redeat tertii hujus Capitis disputatio, non pigeat Eminentissimos Patres folium illud Congregationis habitæ die 9. Septembris anni 1741., qua primum hæc Causa proposita fuit, iterum evolvere, ut decernere possint ea, qua præstant jurisprudentia. Sess.22. c.4. de ref.

An sit standum, vel recedendum a decisis super tertio Dubio in casu &c.

In decisis, & amplius.

TOLENTINA. Testamento Petri Francisci Nardii Canonici Cathedralis Ecclesiæ Tolentinæ instituta hærede universali Causa Pia, jussum est, ut post ejus obitum duo millia sacrorum agerentur, post mortem vero hæredis, quam scripserat in usufructu, altera dignitas in Ecclesia Cathedrali erigeretur, datis adsignatisque in hac rem prædiis quibusdam, adjectoque onere agendi quotannis centum vigintiquinque sacra in Ara majori ejusdem Templi: Inde aliis pluribus scriptis legatis voluit Testator, ut morte obita ab hærede usufructuaria bona universa distraherentur, eorumque pretio dos primum Puellis Moriconiæ Familiæ solveretur, inde quod reliquum esset erogaretur in sacra quanto celerius fieri potest agenda in Ecclesia Cathedrali. Omnia, ut par erat impleta fuerunt; Cum vero supersint adhuc scuta circiter mille, Capitulum Cathedralis Ecclesiæ preces obtulit Optimo Sanctissimoque Principi Nostro, quibus petebat, ut mutata defuncti voluntate dimidia pars summæ illius erogari posset in dotem unius *Mansionariæ* in eadem Ecclesia erigendæ, pars autem altera *in ampliatione Chori*, & novæ Sedis novæ Dignitatis erigendæ necessariam extructionem. Sess.22. c.6. de Ref.

Data postulationis hujusce amplissimo huic Ordini cognitio fuit: Auditus Episcopus censuit „ quoad fundationem Mansionariæ anni posse precibus „ ejusdem Capituli, assignando scut.500. pro dote unius Mansionarii de „ novo erigendi liberæ tamen collationis „: quo vero ad Chori ampliationem, licet illius necessitatem agnoscat, licet fateatur „ Presbyterium esse „ adeo angustum, ut Pontificalia vix celebrari possint; Nihilominus credit non adesse justam causam commutandi prædictam voluntatem, ex eo „ quia hujusmodi opus nullam pene contineret suffragationem animæ ejusdem Testatoris, & quia dicta Chori dilatatio facienda erit, vel expensis Beneficiati; vel expensis prædictæ hæreditatis „: hactenus Episcopus: Capitulum vero indulgendum postulationi suæ putat cum quoad erectionem *Mansionariæ*, tum quoad *Chori ampliationem*.

 Urget

Urget enim relaxandum esse hoc casu juris rigorem, cum non agatur de evertenda Testatoris voluntate, cujus substantia salva est, cum in Causam Piam, quæ hæres instituta fuit, hæreditas distribuatur; sed agitur de mutatione modi distributionis hujus, & cum modus, qui proponitur, defuncti mentem uberius impleat, & pinguius, etiamsine ulla necessaria causa exequi potest, ut post *Imolam in Clem. Quia contingit num.9. de Relig. Dom. Guttierez in leg. nemo potest num.82. ff. de leg.1. Laran. de Anniv. lib.1. cap.14. num.41. Amostaz. de caus. piis lib.1. cap.14. num.12.* tradit *Rota Romana coram Molines dec.1041. num.18.* Erectione vero *Mansionariæ* pinguius, atque uberius impleri voluntatem defuncti, quod onus agendi quotannis certum sacrorum numerum Mansionario adjungendum faciat, ut quæ Testator semel agi sacra voluit ex reliquo suæ hæreditatis, perpetua sint futuris temporibus, atque ita, & pinguius consulitur defuncti voluntati, & sacrorum Ministrorum augmento cultus divinus augetur, præsertim cum Ministrorum augmentum necessarium sit, nam Capitulum Cathedralis Ecclesiæ in summa reddituum tenuitate, neque Beneficiarios habet, neque inferiores Ministros, præter unum Mansionarium, & Æditinum, qui Sacris Functionibus adesse, & servitium præstare possint, ut etiamsi in hac, quæ petitur, mutatione modi distributionis hæreditatis, necessaria causa requireretur, hæc non deesset, necessarii scilicet augmenti Ministrorum Sacrorum, quæ causa potissima censetur, ut ultimæ defunctorum voluntates mutentur tradentibus *Moneta de commut. ultim. vol. cap.11. n.85. Pignatell. consult.80. num.6. vol.9.*, & definitum est ab hoc Sacro Senatu in *Maceraten. Erectionis Cappellaniæ 4. Maii 1737.*

Atque in idem conspirare videtur præsumpta Testatoris voluntas, qui si putasset post impleta legata, quæ scripserat, reliquam fore non exiguam pecuniarum summam ex bonorum venditione redactam, forte non jussisset ut in Sacris agendis integra absumeretur, sed opus pium perpetuum voluisset, quod & animæ suæ saluti prodesset, cui jam consuluerat legato bis mille sacrorum, & Ecclesiæ, cujus Canonicus erat, Deique cultum augeret. Præsumptio vero hujus voluntatis oritur ex ipsa quantitate, & summa pecuniarum in Sacrificia eroganda, quæ cum non levis sit, interpretationi locum facit, ut relicta sit *pro fundo perpetuo* sacrorum agendorum, ut tradunt *Bonaecin. de contract. quæst.17. punct.7. propos.2. num.6.*, & aliis omissis *Barbosa pract. conclus. Verbo Legatum circ. med.*

Deinum quoad *Chori ampliationem* petitioni suæ indulgendum esse intendit Capitulum, quod cum ex facto constet de necessitate hujus ampliationis, nam *Presbyterium*, ut ipse refert Episcopus, *est adeo angustum, ut Pontificalia celebrari non possint*, cum ita tenues sint redditus Præbendarum Capituli, ut huic necessitati prospici non possit, consequens sit, ut hæc mutatio voluntatis defuncti in ipsius Episcopi facultate esset, ut *Barbosa de de off. & potest. Episcop. alleg.83. vol.2. num.13. & 14.*, *late Panimoll. dec.153. n.33. vol.2.*, atq; ob id multo potiori jure fieri possit a Summo Pontifice, cum pendeat a sola illius voluntate, nec opus habeat, uti Episcopus, causæ cognitione, & judiciali probatione utilitatis, ita distinguentibus *Laran. de Annivers.*, *& Capp. lib.1. cap.10. num.37.*, *& Barbosa ad Concil. Trid. sess.22. cap.6. de ref. prope fin.*

Eoque amplius, quod impensa hujus ampliationis Chori ab ipsa Testatoris hæreditate saltem ex parte fieri debeat, nam cum defunctus novam Dignitatem in Ecclesia Cathedrali erigi voluerit, nec ulla ex judicio peritorum ratio sit novam sedem ad ejusdem dignitatis usum in Choro apponendi ob angustiam, nisi illius ampliatione, dicendum est teneri hæreditatem ad hanc necessariam ampliationem, sine qua impleri voluntas defuncti non potest, saltem pro parte intribuere. Atque hæc habet Capitulum: Exequutor Testamentarius Canonici Nardii nondum libellum jurium hæreditatis dedit,

dedit. Pertinet igitur ad religionem animi Eminentissimorum Patrum decernere.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis q. Petri Francisci Nardii in casu &c.

Dilata, & ad mentem, & mens est, quod proponatur una cum aliis dubiis, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

NULLIUS, SEU NONANTULANA JURIUM PAROCHIALIUM. Intra fines Parochialis Ecclesiæ Sancti Jacobi, quæ subest Abbatiæ Sancti Silvestri in Oppido Nonantulæ, quæque exiguum habet Territorium quatuordecim rusticorum prædiorum, quæ triginta incolunt Familiæ, latifundium, & possessiones habet nobilis Familia Bevilaqaa, quæ ut rusticationis tempore sacrum commodius audire posset, juxta atrium amplissimarum ædium, quas habet in eodem latifundio anno 1721. Oratorium extruxit, impetrata prius venia tum a Julio Franciosio, qui tunc Rector erat Parochialis Ecclesiæ Sancti Jacobi, *acciò possa servire unicamente per commodo tal Cavaliere, e sua Famiglia di udire la Messa in tempo di villeggiatura*, ut est in syngrapha ipsius Rectoris, qua ædificationi Oratorii consensum præstitit, tum ab Amplissimo S. R. E. Cardinali Tanario ejusdem Abbatiæ ea tempestate Commendatario, qui illam indulsit *salvis Juribus Parochialibus*. *Sess. 5. c. 2. de reform. & Sess. 22. Dec. de obser. & evit. in celeb. Missæ.*

Post hanc Oratorii erectionem frequentes ortæ sunt controversiæ inter Franciosum Rectorem, & Cappellanum Oratorii, quærebatur enim Rector Cappellanum omnia ad se trahere jura Parochialia, sed compressæ, & sopitæ controversiæ fuerunt Decretis Eminentissimi Abbatis Commendatarii; ejusque Vicariorum, donec vita functo Julio Franciosо, & suffecto Innocentio Longhio, subortis iterum simultatibus cum Cappellano, recrudescentibus inter eos controversiis, res delata est ad Eminentissimum Alexandrum Albanum S. R. E. Cardinalem Amplissimum, & ejusdem Nonantulanæ Abbatiæ Commendatarium, qui auditis partibus, & re diligenter perspecta, secundum Rectorem decretum tulit, cujus tamen promulgatio suspensa fuit, quod Marchio Bevilaqua preces obtulerit optimo, Sacratissimoque Principi Nostro, quibus petebat omnem hujusce rei cognitionem amplissimo huic Ordini mandari.

Annuit Providentissimus Princeps, rogatoque, ut fieri solet, Eminentissimo Abbate Commendatario de sententia animi sui, dissertissima respondit epistola. Nunc igitur omnia controversiarum capita XIII. Dubiis collecta prudentissimo Eminentissimorum Patrum Judicio definiendam proponunt Innocentius Longhius Parochus, sive Rector Sancti Jacobi, & Dominicus Bonettinius Cappellanus Oratorii Gentis Bevilaquæ. De singulis his capitibus longum esset differere, & folium in volumen excresceret, neve Amplissimos Patres tædio afficiamus, ea quæ in libellis postulatorum legent, in folio relegendi, Dubia, quæ definiri debent, hic tantum proponenda censemus.

I. An Oratorium Beatæ Mariæ Virginis *della Bevilacqua* existen. intra limites Ecclesiæ Parochialis Sancti Jacobi dicendum sit Oratorium publicum, vel privatum, *& quatenus affirmative quoad primam partem*.

II. An, & quibus diebus in dicto Oratorio liceat celebrare Sacrum per ejus Cappellanum, vel alios Sacerdotes.

III. An in solemnioribus Festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, & aliis diebus Festis Missa Parochialis celebrari debeat hora competenti, ut post eam possint celebrari Missæ in dicto Oratorio.

IV. An

IV. An Cappellano, & Rectori dicti Oratorii liceat conciones, seu exhortationes habere ad Populum de licentia Eminentissimi Abbatis etiam invito Parocho.

V. An Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Ovorum explere, nec non mulieres ad Purificationem post Partum recipere.

VI. An in dicto Oratorio liceat retinere sedes Confessionales pro Confessionibus audiendis.

VII. An liceat Cappellano prædicto Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ministrare tam inter Missarum celebrationes, quam in intervallo Missarum.

VIII. An retinere valeat Tabernaculum in Altari pro asservando Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento dumtaxat de mane, & post Missarum celebrationes Tabernaculum apertum, & vacuum retinere.

IX. An dicto Cappellano, seu Rectori liceat capsulas habere in parietibus Oratorii pro eleemosynis recipiendis, vel quæstuas peragere per se ipsum, & per alios.

X. An oblationes, & eleemosynæ, quæ fiunt in dicto Oratorio, erogandæ sint in beneficium ejusdem Oratorii, vel potius debeantur Parocho Sancti Jacobi.

XI. An administratio earumdem spectet ad Cappellanum dicti Oratorii, seu potius ad Parochum.

XII. An de oblationibus prædictis sive per Cappellanum, sive per Parochum reddenda sit ratio Ordinario.

XIII. An in dicto Oratorio retineri valeat Campanile cum Campanis eo modo, quoad præsens reperitur.

Dilata ad sequentem omnino.

Sess. 22. c. 4. de Ref.

TUDERTINA MEDIÆ ANNATÆ. Obtinuit anno 1726. R.P.D. Albanus Morellius ab Optimo Sanctissimoque Pontifice Benedicto XIII. gratiam Coadjutoriæ Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Tudertinæ, quem possidebat Egidius Antonius Cospanius: Hoc autem defuncto anno 1742. petiit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ab eodem R. P. D. Albano solutionem fructuum sex mensium primi anni, quam præstationem vulgo *Mediam Annatam* appellant; Censuit hic non teneri ad eam solutionem: hinc res ad hoc Sacrum Tribunal delata est, & audito, ut fieri solet, Episcopo, in quæstionem nunc venit, an R. P. D. Morellius ad hanc præstationem sit compellendus.

Intentio Capituli est in diuturno usu, & longissima exigendi consuetudine; Narrat enim antiquissimis Ecclesiæ illius Constitutionibus cautum fuisse, ut fructus primi anni in quotidianas distributiones converterentur, secundi vero anni sacrario præstarentur: sed anno 1570. facta inter Capitulum, & Sacrarium transactione ope, & consilio Angeli Cœsii Episcopi Tudertini a Capitulo certos redditus Sacrario cessos fuisse, Sacrarium contra Capitulo cessisse jus exigendi ab his, qui ad Præbendas, & Canonicatus recepti fuissent, duorum annorum fructus, qui converti deberent in quotidianas distributiones pro modo servitii in eos, qui statis horis interessent, dispertiendas: Inde lata a Sanctissimo Pontifice Pio Quinto eodem anno 1570. Constitutione, quæ in ordine Bullarii est 104. qua voluit, ut fructus tantum sex mensium exigi possent, ad illius Constitutionis formam exegisse Capitulum, nec longissimo hujus temporis spatio repugnasse quemquam; aut si repugnavit, Judicis imperio ad solutionem coactum fuisse, ut Capitulum in possessione sit confirmata quoque rebus judicatis, fructus priorum

rum sex mensium exigendi, de qua possessione testes plures, atque actus capitulares proponuntur.

Constitutionis hujus immemorialis usuſque, longævi, ut in aliis omnibus, ita in hac, in qua versamur, disputatione, non vilem esse authoritatem, cum & Beneplacitum Apostolicum, & meliorem quemcumque aptioremque titulum præsumere faciat, qui Capituli intentioni favere possit. Nec reprobari posse, aut reiici, utpote reprobata, & rejecta a Constitutione Piana, quæ Tridentini Decreto confirmata fuit, hanc enim exceptionem propositam fuisse in hoc Sacro Tribunali anno 1647., ut constat a responso Herculis Ronconii Advocati Capituli, nullamque de ea habitam fuisse rationem putandum esse, quod Capitulum in eadem semper fuerit possessione exigendi. Cæterum nec Pianam Constitutionem, nec Tridentini decretum ad rem nostram pertinere; illæ siquidem consuetudines sanctionibus illis reprobantur, quibus onus directo datur ipsi proviso, vel ob collationem beneficiorum, vel ob ingressum, & possessionem, quod tamen longe differt a nostra specie, qua fructus priorum sex mensium ab ipsa Præbenda mensæ Capituli præstari debere, a qua in distributiones quotidianas erogandi sunt, quo casu servandam esse consuetudinem, nec intercedere Pianam Constitutionem, aut Tridentini decretum tradit ex hujus amplissimi Ordinis sententia *Garzia de benef. par.8. cap.1. num.90. & seq.*

Quod si adhuc ambigeretur de authoritate hujusce consuetudinis, tolli omne dubium alia ratione; utraque enim Pontificia, & Conciliari dispositione caveri, consuetudines illas esse servandas, quibus provisi solvere compelluntur, *vel pro Sacrario, vel pro fabrica Ecclesiæ*: Cum vero mensa Capitularis onerosо permutationis titulo jus habeat a Sacrario exigendi fructus priorum sex mensium, consequens esse, ut consuetudo isthæc sit servanda, uti servanda esset, si ipsi Sacrario solveretur directo, nam jura omnia Sacrarii eodem oneroso permutationis titulo in mensam Capitularem translata fuerunt. Atque hinc nihil etiam obesse Constitutionem alteram Benedicti XIII. *editam post Concilium Romanum pag.360.*, quod liquido non constet Summum Pontificem exemptos voluisse absolute, atque indefinite Dignitates, Canonicatus, & Beneficia Collationis Apostolicæ ab onere præstationis fructuum priorum sex mensium, nec liberari posse R. P. D Morellium ab hoc onere ob id, quod solverit Datariæ Apostolicæ, itaut si iterum solvere cogeretur, duplici oneraretur solutione, & integri anni fructus amitteret, licet Altari serviret, contra Pianam Constitutionem, nam compendium, & utilitatem integra quoque solutione consequeretur ex Beneficio, cum Ecclesiæ, & Altari servitium præstando quotidianas distributiones lucrifacere potuerit.

Hæc urget Capitulum: Contra R. P. D. Morellius: Vetitum esse Capitulis quidquam accipere, atque exigere a Dignitatibus, Canonicis, aliisque Provisis, solutiones hasce, & præstationes uti Simoniaca labe infectas damnari, & quascumque Constitutiones, & consuetudine etiam immemoriales aperte rejectas, & reprobatas fuisse Constitutione Piana. Tridentini decreto, aliaque Innocentii XII. Principis Providentissimi Constitutione, quæ in *ejus Bullario edita est num.51.* Has vero sanctiones Legesque saluberrimas eo amplius in nostra specie custodiendas esse, quod fructus priorum sex mensium non in *usus pios* non *in Fabricæ*, aut Sacrarii beneficium erogari debeant, sed in compendium, atque utilitatem Canonicorum, qui statis horis interfuerint, quo casu locus esse debet dispositioni Constitutionum, & Tridentini Decreto, ut tradunt *Barbos. de Canon. cap.15. num.29. & 33. Pax Jordan. lucubr. lib.10. vol.3. tit.11. num.82. Cardin. de Luca de Canon. disc.10. sub n.10. Piton. discept. Eccl.57. num.33. vol.3.*

Nec dici posse fructus priorum sex mensium in *usus pios* erogari, quod in distributiones quotidianas dispertiantur, ut enim in usus pios, aut cultum divi-

divinum erogatio pecuniæ fiat, *vel in pauperum elemosynam, vel in Seminarii subsidium, vel in Ecclesiæ Fabricam, & Sacristiam* fieri deberet, ut explicat *d. discept.*57. *num.*33. non vero Capitularium interesse respicere debet præsertim, cum Cathedralis Ecclesia Tudertina Bonifacii IX. Providentia, qui Prioratum S. Petronillæ eidem univit, habuerit dudum redditus, quibus, & quotidianis distributionibus, oneribus Sacrarii, & Fabricæ consuli poterat, ut nulla habenda ratio sit improbatæ hujus consuetudinis, quæ abusus, & corruptela sit nuncupanda, nulla quoque de antiquissimis illis Ecclesiæ Constitutionibus, & Transactione, quæ proponitur, quorum omnium authoritas sublata est posteriori Piana Constitutione, Trident. Decreto, & Constit. Innocentiana; frustraque Capitulum obtendat cessionem Jurium Fabricæ oneroso permutationis titulo, cum diligenter perspecta transactione nullum in ea verbum sit *de media annata, ejusque juris cessione*.

Omnem vero adimere dubitandi rationem Beneficii, seu Prioratus naturam, cum enim sit prima Dignitas post Pontificalem *ex Regula* 4. *Cancellariæ* ejus Collatio ad Summum Pontificem spectat, & cum agatur nedum de Beneficio reservato, sed etiam de gratia coadjutoriæ, non solvitur Fabricæ, vel Sacrario Ecclesiæ media annata ad differentiam Collationis ab Episcopo factæ, aut ab alio inferiori Collatore, ut expressum est in illa Benedicti Decimitertii Constitutione edita post Concilium Romanum verbis illis *dummodo Collationis, Institutionis, & Provisionis S. Sedis minime existant*, cum enim in actu expeditionis Literarum Apost. Provisus mediam annatam solvere teneatur, consequens est, ut alteram Fabricæ Ecclesiæ solvere non debeat, ne deterioris conditionis sint Provisi a S. Sede, quam ab Episcopis, atque hac ratione non teneri Provisum Apostolicum ad aliam solutionem docent *Passerinus in cap. si propter num.*22. *de Rescript. in 6. & Emus Petra in Comm. ad Const. Apost. vol* 4. *fol.*47. *n.*2.

Quod si secus esset, R. P. D. Morellius, qui fructus priorum sex mensium Datariæ Apostolicæ solvit, integros unius anni fructus amitteret contra legem expressam Pianæ Constitutionis, quæ voluit, ut soluta parte dimidia fructuum primi anni, *alteram Beneficiati prædicti libere percipiant*, & contra mentem sententiamque amplissimi hujus Ordinis, qui in Causa *Ariminen. Mediæ Annatæ* proposita die 15. Januarii anni 1735., in qua agebatur de Proviso a Sancta Sede, ad dubium, quod proponebatur -- *An sit locus solutioni Mediæ Annatæ in casu &c. Negative respondit*, licet in aliam sententiam discesserit in Causæ *Forosempronien. Mediæ Annatæ* data in Folio diei 4. Maii superioris anni 1743., & definita die 18. ejusdem mensis, in qua agebatur de collatione facta ab Episcopo, ut cognosci potest ex *Vol.*12. *Thes. Resol. S. Congr. pag.*84. & 87.

Atque hæc a Capitulo, & R. P. D. Morellio proponuntur, ut Sapientissimo EE. PP. Judicio definiri possit Dubium.

An Media Annata fructuum, ut prætenditur, exigi solita per Capitulum Tudertinum a noviter provisis debeatur R. P. D. Morellio in casu &c,

Dilata.

Die

Die Sabbathi 27. Junii 1744.



NULLIUS, SEU NONANTULANA JURIUM PAROCHIALIUM. Placuit Eminentissimis Patribus in ultima Congregatione, quæ habita est die 13. hujus Mensis Propositionem hujus Causæ ad hanc Congregationem differri; Quæ igitur prudentissimo Amplissimi Senatus Judicio definienda sunt, Dubia subiicimus. *Seff. 5. c. 2. de reform. & Sess. 22. Dec. de obser & evit in celeb. Missæ.*

I. An Oratorium Beatæ Mariæ Virginis *della Bevilacqua* existen. intra limites Ecclesiæ Parochialis Sancti Jacobi dicendum sit Oratorium publicum, vel privatum, *& quatenus affirmative quoad primam partem*.

II. An, & quibus diebus in dicto Oratorio liceat celebrare Sacrum per ejus Cappellanum, vel alios Sacerdotes.

III. An in solemnioribus Festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, & aliis diebus Festis Missa Parochialis celebrari debeat hora competenti, ut post eam possint celebrari Missæ in dicto Oratorio.

IV. An Cappellano, & Rectori dicti Oratorii liceat conciones, seu exhortationes habere ad Populum de licentia Eminentissimi Abbatis etiam invito Parocho.

V. An Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Ovorum explere, nec non mulieres ad Purificationem post Partum recipere.

VI. An in dicto Oratorio liceat retinere sedes Confessionales pro Confessionibus audiendis.

VII. An liceat Cappellano prædicto Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ministrare tam inter Missarum celebrationes, quam in intervallo Missarum.

VIII. An retinere valeat Tabernaculum in Altari pro asservando Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento dumtaxat de mane, & post Missarum celebrationes Tabernaculum apertum, & vacuum retinere.

IX. An dicto Cappellano, seu Rectori liceat capsulas habere in parietibus Oratorii pro eleemosynis recipiendis, vel quæstuas peragere per se ipsum, & per alios.

X. An oblationes, & eleemosynæ, quæ fiunt in dicto Oratorio, erogandæ sint in beneficium ejusdem Oratorii, vel potius debeantur Parocho Sancti Jacobi.

XI. An administratio earumdem spectet ad Cappellanum dicti Oratorii, seu potius ad Parochum.

XII. An de oblationibus prædictis sive per Cappellanum, sive per Parochum reddenda sit ratio Ordinario.

XIII. An in dicto Oratorio retineri valeat Campanile cum Campanis eo modo, quoad præsens reperitur.

Ad I. Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam, & amplius. Ad II. Affirmative exceptis tantum tribus diebus majoris hebdomadæ, & amplius. Ad III. Affirmative hora determinanda ab Eminentissimo Abbate, & amplius. Ad IV. Affirmative, & amplius. Ad V. Negative in casu de quo agitur. Ad VI. Negative nisi de licen-

centia Eminentissimi Abbatis. Ad VII. Affirmative inter Missarum celebrationem excepta die Paschatis, & Communione Paschali, & amplius. Ad VIII. Negative, & amplius. Ad IX. Affirmative de licentia Ordinarii. Ad X. Affirmative quoad primam partem, & Negative quoad secundam, & amplius. Ad XI. Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam. Ad XII. Affirmative, & amplius. Ad XIII. Affirmative, & amplius.

Sess. 22. c.4. de Ref.

COMEN. DISMEMBRATIONIS. Data fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 18. Maii Anni 1743., quod in lucem hominum editum fuit *Volum.12. Thesaur. Resolution. Sacr. Congreg. p.88.* Dubium vero erat -- An sit locus exequutioni Sententiæ à Curia Episcopali latæ super Dismembratione Parochialis Ecclesiæ Sancti Martini Loci Bironici, & respective super erectione Ecclesiæ Spiritus Sancti in novam Parochialem in casu &c. Responderunt Eminentissimi Patres secundum ea, quæ proponebantur a Populo Ripariæ *Affirmative* -- Quia vero hæc definitio lata fuerat in auditis Præposito, & populo Bironici, & quod rei caput erat, inaudito Episcopo, ideo ad libellum Præpositi, & Populi Bironici, quo petebant audiri Episcopum, eique mandari jurisdictionem, ut Peritos eligeret, qui de distantia Locorum mensuratione facta referrent, rescriptum fuit ab Amplissimo Ordine die 14. Decembris 1743. -- *Scribatur Episcopo pro Informatione, & Voto juxta petita auditis Partibus.*

Re ad Episcopum delata, retulit, anno 1740. vacante Ecclesia Sancti Martini Bironici, quæ Jurispatronatus est Pagorum Bironici, Ripariæ, Camignoli, & Medeliæ, omnem operam navasse Ripariæ Populum, ut Præpositus eligeretur Sacerdos Andreas Braga, sed frustra, nam victus fuit pluralitate vocum a Sacerdote Ioanne Baptista Laffranchinio, qui Præposituram obtinuit. Petiit continuo Ripariæ Populus ab Episcopo, ut separaretur, & divideretur a Parochiali, & Matre Ecclesia Sancti Martini Bironici, ea mente, ut Parochum habere posset Andream Bragam: Episcopus hac de re Vicario suo Generali jurisdictionem, & cognitionem, prout juris esset, mandavit. Inde anno 1741. die 18 Maii cum Episcopus in Sacra Visitatione esset, Ripariæ hominibus separationem urgentibus, iisque petentibus, præsentibusque eorum Deputatis, Præpositoque Bironici, electo Perito, vias inspexit, easque obvias, & faciles invenit, lapideoque ponte vehiculis agendis munitas, ut *Liguana* Torrens, qui raro erumpit, traiici tutissime possit.

Addit compertum habuisse, si locus sit separationi, Ecclesiam Matrem S. Martini satis amplam omni pœne Populo destitutam fore; contra Templum Spiritus Sancti non satis futurum angustia sua Populo Ripariæ, atque alia duo ibidem esse Oratoria, quæ præstant commoditatem consecrationis pro Infirmis. Ad rem igitur componendam decrevisse, ut liceret Ripariæ Populo suis impensis Cappellanum habere, qui Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, & Extremæ Unctionis ministraret, ita tamen ut Populus liti cederet. Quia vero Peritus ille electus vias asperas & difficiles, & alluvione Torrentis interceptas, Templum Spiritus Sancti Choro ornatum, & magis amplum esse retulerat contra rei veritatem, & contra Episcopi inspectionem, ideo ipse satius duxit infidi hominis peritiam decreto lato his in rebus rejicere. Populus tamen Ripariæ litem prosequi voluit, & Judex secundum eum tulit sententiam, a qua Præpositus, & Populus Bironici ad hunc amplissimum Ordinem appellarunt.

Mandata inde eidem Episcopo, ut supra narravimus, ab Eminentissimis Patribus Jurisdictione, interpellati fuerunt Ripariæ homines, ut Peritum elige-

eligerent, qui Locorum distantias mensuratione colligeret, sed nullum elegerunt: Mensuratio igitur facta est a Perito Præpositi, in acta tamen referri non potuit: Accepisse vero dicit Episcopus repertam fuisse minorem Locorum distantiam in hac secunda mensuratione, viasque faciles, & planas describi, quæ in prima difficiles, atque asperæ describuntur: Sententia Episcopi est servanda esse decreta, quæ ipse tulit in Sacra Visitatione: Videant igitur Amplissimi Patres omnibus expensis.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata.

VIGLEVANEN. FUNERUM. Indulta fuit ab Eminentissimis Patribus dilatio propositionis hujus Causæ in *Congregatione* habita *die* 18. *transacti Aprilis*, qua redibat ad Amplissimi Ordinis Judicium, postquam primum proposita fuerat *die* 18. *Maii anni* 1743. Data iterum fuit in *folio Congregationis* habitæ *die* 9. *Maii hujus anni*, sed proposita non fuit. Cum nunc proponatur, rogamus Eminentissimos Patres, ut ea, qua præstant, humanitate & *folium* illud *primum die* 18. *Maii* 1743. quod editum fuit *vol.* 12. *Thes. Resol. S. Cong. pag.* 98. & *folium alterum diei* 18. *transacti Aprilis* inspiciant, ut ad memoriam revocata Causæ hujus specie, perpensisque Juribus, rationibusque novis, quæ in Libellis proponuntur, tria quæ hic damus, dubia definire possint. *Sess. 23. c. 13. de Ref.*

I. An sit standum vel recedendum a decisis quoad electionem Sepulturæ, & exhumationem Cadaveris in casu &c.

II. Quæ emolumenta debeantur Præposito accedenti tam cum Clero, quam sine Clero pro associatione Cadaverum ad Ecclesiam S. Bernardini occasione electionis Sepulturæ in eadem Ecclesia.

III. An occasione Associationis dictorum Cadaverum ad dictam Ecclesiam S. Bernardini liceat Præposito accedenti tam cum Clero, quam sine Clero ingredi ejusdem Januam cum Stola, Pluviali, & Cruce elevata in casu &c.

Ad I. in decisis, & amplius. Ad II. deberi juxta solitum excepto emolumento pluvialis. Ad III. affirmative.

GRANATEN. MATRIMONII. Postquam in Congregatione habita *die* 14. *Septembris anni* 1743. qua primum hæc Causa proposita fuit, responderunt Eminentissimi Patres - *Dilata & proponatur citatis interesse habentibus*. Anna Francisca Seixas, & Bolagnos, impleto Decreto, Causam iterum proponi curavit in Congregatione habita *die* 14. *Martii hujus anni*, sed placuit Amplissimis Patribus propositionem differre. Poterunt nunc igitur *Folium Congregationis diei* 14. *Septembris superioris anni*, quo species hæc late expressa fuit, iterum inspicere, ut respondere possint. *Sess. 24. c. 1. & 4. de Ref. Matr.*

An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

Dilata, & scribat Defensor primi Matrimonii.

MELEVITANA INDULTI. Species hujus Causæ expressa fuit luculenter *in Folio Congregacionis* habitæ *die* 14. *Septembris anni* 1743. quod impressum est *vol.* 12. *Thesaur. resol. Sac. Congr. pag.* 172. responsumque ea die fuit ab Eminentissimis Patribus - *Dilata, & ad mentem* - *Sess. 5. c. 1. & Sess. 24. c. 12. de ref.*

Advenit nunc Epistola Melitensis Episcopi, qua refert in Monasterio PP. Carmelitarum Burmolæ esse *lo studio generale per gli Religiosi*, ibique doctos Viros docere, Carmelitas vero pietate, & doctrina præstare: Canonicum Theodorum Grech bis qualibet die ad Monasterium accedere, & Philosophiæ operam dare; accepisse demum a Patribus illius Monasterii Theodorum versatum esse in Philosophicis rebus, ut paratus quoque sit publice Theses proponere, easque defendere. Hæc habet Episcopus, atque ex his, aliisque, quæ in libellis Postulatorum proponuntur, poterunt Eminentissimi Patres duo, quæ sequuntur, Dubia definire.

I. An Canonico Theodoro suffragetur Indultum, seu potius subjectus fuerit punctaturis a die, quo exivit a Seminario ad instar aliorum Canonicorum absentium, *& quatenus affirmative quoad primam partem*.

II. An obligatus fuerit, ac teneatur pro distributionibus quotidianis exsolvere consuetam taxam scutorum 60. vel potius dumtaxat scuta viginti in casu &c.

Ad I. Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam, & amplius. Ad II. Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam, & amplius.

Seſſ. 22. c. 4. & Seſſ. 24. c. 18. & Seſſ. 25. cap. 9. de Ref.

BOJANEN, ERECTIONIS, ET ELECTIONIS. Venit iterum ad Judicium Amplissimi hujus Ordinis hæc Causa, cujus species data fuit *in folio Congregationis* habitæ *die* 18. *Aprilis*, & postulante Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Bojani dilata fuit illius Propositio: Quatuor igitur Dubiis proposita est *die* 9. *transacti Mensis Maii*, & responsum dedere Eminentissimi Patres. *Ad I. negative. Ad II. & III. satis provisum in primo. Ad IV. negative*. Placeat itaque nunc Amplissimis Patribus *folium illud Congregationis habitæ die* 18. *Aprilis* iterum legere, ut omnibus perpensis, qua solent doctrina & prndentia, decernere possint.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis in omnibus, & amplius.

Seſſ. 25. c. 4. de ref.

BOJANEN. CENSURARUM. Hæc quoque Causa, quæ ex facto antecedentis habuit originem, repetenda est *ex Folio Congregationis diei* 18. *Aprilis*; responsum fuit *negative* in Congregatione habita 9. *Maii*; nunc vero respondendum est.

An sit standum vel recedenpum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Seſſ. 21. c. 3. de ref.

LEODIEN. BENEFICII. Postquam Alexander VI. Pontifex Maximus anno 1493. declaraverat sex Beneficia cum onere Sacrorum dudum instituta ad sex Altaria in Ecclesia Collegiata S. Martini Leodii esse residentialia, Decreto Ernesti Episcopi Leodiensis lato anno 1591. unita fuere Capitulo; sed hac unione posthabita, quod falso suggestum fuisset Capituli redditus diminutos esse; anno 1600. alio Decreto, aliis muneribus adjunctis onerata fuerunt. Tria siquidem Beneficia in Altaribus SS. Vincentii & Agabiti, SS. Huberti & Ægidii, ac D. Leonardi *Hebdomadarii* officium habuerunt. Aliud in Altari SS. Martini & Oddæ munus habuit *Evangelarii*; Quintum in Altari D. Leodegarii munus habuit *Epi-*

Epistolarii: Sextum demum in Altari S. Joannis Baptistæ munus habuit *Custodis Chori*.

Confirmatum fuit hoc decretum a Nuncio Apostolico Coloniensi, at repugnantibus, ut credere pars est, Beneficiariis observatum non fuit, aliis discedentibus, atque alibi moram trahentibus, aliis vero a Capitulo allectis certo quodam stipendio ad illa munera agenda, atque ita res ad annum usque 1719. perductæ sunt, quo cum obtinuisset Beneficium S. Joannis Baptistæ Joannes Ægidius Lakayus, hic agnita gravitate adjuncti muneris *Custodis Chori*, quo in summa Beneficii tenuitate (habet enim redditus 24. modiorum inferioris tritici, quod *Speltam* vocant) præter onus Sacrorum, tenebatur singulis diebus Choro interesse, & diebus Festis duplicibus, & semiduplicibus Pluviali indutus *Antiphonas* præcinere, aliaque facere, quæ late referunt Testes, ut omnibus collectis quingenta excedant officia singulis annis, solo compendio, atque retributione unius diurni obuli, injunctum munus implere renuit: sed Capitulum non tantum *Custodi Chori*, sed aliis etiam Beneficiariis stipendium negavit: unde orta lite præces Sacro huic Tribunali oblatæ fuerunt anno 1737. die 28. Septembris ab Henrico Corroy, quibus petebat adimi sequestrationem redditibus uniuscujusque Beneficii a Capitulo appositam, censuitque Sacrum Tribunal esse revocandam, atque inde Corroyus sine ullo *Hebdomadarii* munere Altari suum servitium præstitit.

Litem quoque intendit Lakayus *Chori Custos*, sed diu agitatus, & gravibus pressus impensis tandem cum Capitulo transegit, promisitque munus Custodis implere stipendio obulorum menstruorum triginta, *donec, & quousque*, transactionis hæc verba sunt: *aliter decretum aut ordinatum non fuerit per Sacram Congregationem Concilii*: Anno igitur 1742. libellum dedit, quo petebat vel immunem fieri ab hoc laborioso munere in fundatione Beneficii non adjecto, vel congruam constitui mercedem, stipendiumque a Capitulo solvendum: sed in irritum cessis omnibus, quæ acta sunt, ut ab Episcopo rescriberetur, postulat nunc Joannes Ægidius Lakayus authoritate Eminentissimorum Patrum definiri, non teneri eum implere *munus Custodis Chori*, aut majorem saltem præstari retributionem a Capitulo, arbitrio Amplissimi hujus Ordinis statuendam.

Ratio ob quam censet absolvendum esse ab hoc onere est, quod Beneficiario Altaris S. Joannis Baptistæ munus hoc in fundatione adjectum non fuerit, ut consequens sit onus hoc substineri non posse, quod hoc jure utamur, ut nova onera præter ea, quæ in fundatione data sunt, non imponantur tradente *Gloss. in cap. cum dilectus V. Constitutio ad fin. de Consuet. Felin. in Cap. significavit sub num. 2. de Testibus Corrad. in Praxi Benef. lib. 2. cap. 10. num. 150. Pignatell. consul. 111. num. 9. vol. 9.* & respondit Sacrum Tribunal *in Florentina 12. Martii* 1718. Atque ob id nullam habendam esse rationem decreti lati ab Ernesto Episcopo Leodiensi anno 1600. tum quia observatum non fuit, & exequutum, tum quia jure nullam vim, nullamque authoritatem habere potest, cum nequeat Episcopus mutare fundationes Beneficiorum, & novas leges, novaque onera Beneficiariis, aut Beneficio imponere, ut decretum illud posthabendum sit uti adversum juris dispositioni, *Fagnanus in cap. conquerente num. 24. & 25. de Cleric. non residen. Riccius resol. 463. par. 4. Monacell. Formul. par. 3. tit. 2. form. 7. num. 21. Rota coram Molines dec. 1311. n. 5.* & respondit Amplissimus Ordo *in d. Florentina 12. Martii* 1718.

Quod si non placeat Eminentissimis Patribus onus hoc Beneficiario adimere, omnem postulare juris rationem, ut stipendium, quod labori respondeat, solvatur; non respondere menstruos obulos triginta, ut æquitate Eminentissimorum Patrum augendum saltem sit *ad florenos 12. Brabantis*, qui faciunt summam monetæ Romanæ *Juliorum* 24. quolibet mense: præsertim cum

cum in aliis Ecclesiis pro minori labore, atque onere majus stipendium præstetur, & idem Capitulum S. Martini *sex Brabantis Florenos* adsignaverit alteri Sacerdoti, qui munus Custodis Chori implevit, cum litem Lakayus habebat, eamdemque summam idem exigit Sacerdos ab eodem Lakayo, qui officiis interesse, aurium vitio, præpeditur. Hæc ab uno Lakayo proponuntur, Capituli siquidem jura nondum data fuerunt, & ab Amplissimis Patribus duo, quæ sequuntur Dubia, definienda sunt.

I. An Rector Beneficii erecti ad Altare S. Joannis Baptistæ in Collegiata Ecclesia S. Martini Civitati Leodien. teneatur adimplere munus Custodis Chori ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ, *& quatenus affirmative.*

II. An eidem debeatur menstrua retributio a Decano, & Capitulo dictæ Ecclesiæ Collegiatæ, & in qua summa.

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Affirmative juxta conventionem, & amplius.

Sess. 22. c. 8. de Ref.

MACERATEN. Legavit testamento scripto anno 1655. Lælius Piissimus Monasterio S. Catharinæ Civitatis Maceratæ omnes census, qui in hæreditate essent, tempore mortis, & scuta bismille, quæ putabat redigi posse ex ædium suarum venditione; adjecit autem conditionem recipiendi, perpetuis futuris temporibus, inter Moniales tot nobiles quidem, sed pauperes Puellas, quot essent singula scuta mille legata, dempta tamen quota parte universi legati arbitrio Exequutoris Testamentarii, quem nominavit, eidem Monasterio tradenda. ut ejus fructibus annua præstatio, quæ vulgo nuncupatur *Livello* iisdem Monialibus solvereter: si qui census redimerentur, iterum novari pecuniam voluit „ in altri censi „ censi con le Communità, o altre persone idonee, o in luoghi di Monti, „ come più loro piacerà „ ut sunt testamenti verba: Adjecitque demum, ut si a Monasterio S. Catharinæ legatum hoc non agnosceretur, ad aliud Monasterium S. Claræ deferretur: & si hoc quoque Monasterium agnoscere legatum recusaret, substituit tertium Monasterium D. Laurentii iisdem oneribus, forma, & conditionibus, quas expresserat, & hoc quoque recusante voluit fructus fructuum in sortes redigi, donec Monasterium Monialium Piissimarum erigi posset.

Repudiavit prudenter onerosum legatem Monasterinm S. Catharinæ, quod tamen inconsulto agnovit die 2. Octobris anni 1655. Monasterinm Sanctæ Claræ, publicoque agnitionis instrumento descripti fuerunt omnes hæreditarii census, qui faciebant sortem scut. 9167. 50., alio vero instrumento diei 20. ejusdem mensis, & anni ab ipso Exequutore Testamentario declaratum fuit census hæreditarios esse in sorte scut. 8702. 50. tantum, quod quidam aliorum censuum debitores facti fuissent non solvendo: statuit autem Exequutor hoc Instrumento nnmerum septem Monialium, adsignavit cuilibet earum annuam præstationem ex usuris sortis scut. 200., adjecitque augendum esse numerum duarum Monialium ex pretio scut. 2000., quæ redigi debebant venditione ædium hæreditariarum.

Ineptam Testatoris voluntatem, qui res suas eodem semper statu futuras reputans de facultatibus suis amplius, quam in iis esset, speraverat, & inconsultam legati agnitionem monstrarunt, quæ inde evenerunt; Nam paulo post Antonius, & Franciscus Fratres Dionisii facti sunt non solvendo, periitque census in sorte scut 1000., & usuræ, quæ debitæ erant in summa scut. 400. Monasterium tamen, ne integram universi crediti jacturam faceret, satius duxit censum, & fructus debitos cedere Matri eorumdem

dem

dem Fratrum debitorum, qui facultatibus lapsi erant, pretio scut.600., quæ solvenda essent primis quatuor annis a cessione in scut. 40., annis singulis, inde scut. 50. quolibet Anno, ad integram usque solutionem: exacta fuerunt scut. 240., cætera perierunt inopia debitricis, Ædes quoque Testatoris venditæ fuerunt, non pretio scutorum bisimilliuim, ut sibi suaserant etiam Testator, & Exequutor Testamentarius, sed scut. 1100.: atque ita integrum legatum redactum fuit ad scut 8802. 50. quorum portio in summa scut. 2938. 20., erogata fuit in emptionem prædii, a quo habentur fructus annui scut.3., & 4. in singula centena, alia vero portio scut. 300. erogata est in census, quos debet ipsa Civitas Maceratæ, redduntque usuras annuas in singula nummum centena scut.2. 60.; De reliquo, quid actum fuerit, ignoratur, licet Moniales asserant portionem aliam scut.3100. erogatam fuisse in alios census, quos sub iisdem usuris eadem Maceratæ Civitas debet, & reliqua unita fuisse bonis Monasterii, hujus tamen rei, ut Episcopus refert, nulla probatio est.

Neque adhuc malorum finis: Cum enim Monasterium, aliquibus ab hinc annis, septimam Monialem non retineret, quod illius electio a Congregatione Piissima, quam Testator designaverat, facta non fuisset, Commissarius Reverendæ Fabricæ nactus occasionem, Monasterium ursit pro applicatione non fructuum tantum perceptorum ex sortibus dotis, & annuæ præstationis, sed etiam aliorum, quos Monasterium perceperat a die obitus alterius ex illis Monialibus Piissimis ad diem ingressus novæ Monialis electæ. Adiit hac de re Monasterium Optimum, Sacratissimumque Principem Nostrum, qui ad libellum rescripsit -- *Pro Gratia concordato Commissario quoad præteritum, & in reliquis ad Congregationem Concilii*. Solutis igitur Commissario scutor 180., postulat nunc Monasterium, audito jam ut fieri solet, Episcopo, minui Amplissimi hujus Ordinis autheritate septenarium illum Monialium numerum: definiri Monasterium sibi acquirere fructus dotium, & annuæ præstationis tempore, quod excurrit inter obitum unius, & substitutionem alterius Monialis, & demum probari quantitatem annuæ præstationis, quæ, ipsis consentientibus Monialibus, singulis earum persolvitur.

Ratio ob quam petitur deminutio septenarii numeri Monialium, est in deminutione tum sortis, tum redditium legati a Testatore relicti, ut monstrant ea, quæ ex facto memoravimus: nihil enim magis legibus, & naturali convenit æquitati, quam ut deminuta re, e qua aliquid præstandum est, minuatur etiam onus præstationis, ut disserit *Cardin. de Luca discept.* 14. *de Leg t. sub num.3. & in Miscell. Eccles. disc.33. num.8.*, & proprius ad rem nostram *Sacr. Rota coram Merlino dec.55.* præsertim cum nulla culpa, nulloque dolo Monasterii, hoc decrementum evenerit, & res sit de onere perpetuo inconsulto a Monialibus agnito, non per contractum, sed per ultimam voluntatem dato, quo casu, si rerum, & status mutatione, ad iniquitatem, & læsionem vergat dispositio, Judicis officio modus est adhibendus, & ad æqualitatem dispositio flectenda, ut idem tradit *Cardin. de Luca dict. disc. 33. sub num. 8.*, alias sua pecunia, ad onus supplendum teneretur Legatarius, quod ipsius Testatoris menti, & præsumptæ voluntati adversatur, ut recte monet *Merlin. dicta decis. 55. num.5.*

Æquissimum vero esse ut tempore, quod excurrit inter obitum unius, & substitutionem alterius Monialis fructus dotis, & annuæ præstationis Monasterio acquirantur, cum nulla ejus mora sit, electio enim Puellæ ad Congregationem a Testatore designatam spectat, satisque est, si defun-

cta

cta Moniali, Monasterium mortem illius Episcopo nunciet, qui designatæ Congregationi præest. Jus enim non patitur, ob oneris inadimplementum, modico tempore, quod contingit sine facto, culpaque Legatarii, cadere eum a legati compendio, ut tradit *Card. de Luca disc.22. de Legat. n.4. & 9.* quidquid sit in casu, quo agatur inter Hæredem, & Legatarium, vel cum inadimplementum oneris ex voluntario Legatarii facto, dolove malo, aut lata culpa eveniat.

Denique quoad quantitatem annuæ præstationis scut.5., quæ nunc cuilibet Moniali, singulis annis, a Monasterio solvitur, probandam esse ab hoc Amplissimo Ordine censet Monasterium, quod illa respondeat usuris, & fructibus, qui, nostra ætate, percipi possunt ex sorte scut.200., quam statuit exequutor Testamentarius, quique actu a Monasterio percipiuntur, nec spectandum esse tempus adsignationis, & legati, quo uberiores usuræ percipiebantur, cum redditus sine Monasterii culpa decreverint, præsertim ipsarum Monialium, quibus interest, accedente consensu, quæque recte callent Monasterii conditionem deteriorem factam fuisse.

Judicium Episcopi Monasterii postulationibus favet: Superest id tantum, ut ab EE. PP. definiatur.

An sit annuendum precibus in casu &c.

Affirmative ad mentem, & mens est, quod Eminentissimus Præfectus audito Episcopo statuat numerum Monialium.

Die Sabbathi 18. Julii 1744.



Sess.24. c.12. Sess. 25. c.9. de ref.

VIGILIEN. FUNDATIONIS. Ad libellum Arsiliæ Francesiæ, quo petebat servari primam, non secundam Cappellaniæ fundationem, rescripserunt Eminentissimi Patres in Congregatione habita die 23. Novembris transacti anni 1743., qua primum hæc Causa proposita fuit -- *Dilata, & scribatur Episcopo pro nova informatione*: Advenit Epistola Vigiliensis Episcopi, & retulit fructus bonorum, quæ Arsilia in dotem Cappellaniæ constituit prima Fundatione anni 1725., quam rejecit, qui tunc Vigiliensi Ecclesiæ præerat Episcopus, esse annuorum duc.9.; redditus vero Cappellaniæ jam erectæ esse duc.12. Videant igitur Amplissimi Patres, perspecto iterum ea, qua præstant, humanitate. Folio illius Congregationis, quod in lucem hominum editum fuit *Vol.12. Thes. Resol. Sac. Congreg. pag.202.*

An sit annuendum precibus Oratricis in casu &c.

Affirmative juxta modum, & modus est, quod per Oratricem augeantur redditus ad ducat.12. cum obligatione manutenendi eumdem redditum in perpetuum.

TUSCU-

TUSCULANA PARTICIPATIONIS. Quarto dubio hujus causæ, de qua actum fuit in Folio Congregationis habitæ die 18. Aprilis hujus anni, quærebatur -- *An Canonici antiqui tenerentur solutiones jam factas, & perceptas restituere Canonicis noviter erectis in casu &c.* Amplissimis Patribus visum est in Congregatione habita die 9. Maii, qua Causa isthæc proposita, & definita fuit, respondere *Negative*. Disputant Juniores Canonici non convenire hujus capitis definitionem cum definitione aliorum, & præsertim tertii; nam si *omnes Canonici noviter electi tenentur ad solutionem scutorum trium annuorum tantum*, ut tertio capite definitum est, jam consequitur nulla ratione potuisse Canonicos veteres exigere annua scut. 8. & 10., ut ad restituendum id, quod excedit annua scut. 3., sint compellendi præsertim a die motæ litis, cum omnem abesse fidem bonam, qua tueri possit, aperti juris sit. Redeunt igitur ad Judicium Amplissimi Ordinis, ut sciant. *Sess. 24. c. 14. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad quartum Dubium in casu &c.

In decisis, & amplins.

COMEN. DISMEMBRATIONIS. Ob postulationem Populi Ripariæ dilata fuit hujus causæ Propositio in ultima Congregatione habita die 27. transacti Junii. Poterunt igitur nunc Eminentissimi Patres Folium Congregationis habitæ die 18. Maii anni 1743., & alterum Folium ultimæ Congregationis iterum legere, ut respondere possint. *Sess. 21. c. 4. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis negative.

CÆSENATEN., SEU FERETRANA NULLITATIS PROFESSIONIS. Data fuit hujus Causæ species in Folio Congregationis habitæ die 8. Februarii hujus anni, & cum quæreretur -- *An esset concedenda Restitutio in integrum in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres *Negative*. Eadem nunc quæstio retractatur, poterunt itaque Folium illud iterum legere, ut definiatur. *Sess. 25. c. 19. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

CAMERINEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Hæc quoque causa data fuerat in Folio Congregationis habitæ die 13. transacti Junii, sed ultimo tantum definito Dubio, placuit Eminentissimis Patribus priorum trium Dubiorum definitionem differre: Ad ea nunc definienda rogamus, ut Folium Congregationis habitæ die 24. Augusti superioris anni 1743., qua primum proposita fuit, evolvant iterum; editum enim fuit *Vol. 12. Thesaur. Resol. S. Congr. pag. 156.*, atque ita decernere poterunt. *Sess. 24. c. 12. de reform. & Sess. 22. Dec. de obs. & evit. in celeb. Miss.*

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad I. II. & III. Dubium in casu &c.

Ad I. & II. In decisis etiam quo ad Canonicum Saltam. Ad III. In decisis.

Sess.24. c.13. de reform.

FAVENTINA PRÆEMINENTIARUM, ET JURIUM PAROCHIALIUM. Quæstio orta est inter R. Cæsarem Antonium Laghium Vicarium Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Octavo, quæ vulgo nuncupatur *la Pieve del Tò*, & R. Carolum Rivaltam Archipresbyterum, sive Parochum *Fugnani*: Postulavit enim Laghius dato libello, ut ab hoc amplissimo Ordine declararetur Ecclesiam Fugnani non esse *Plebaniam*, sed simplicem *Parochiam*, eamdemque Parochiam subjectam esse Ecclesiæ *Plebis Octavi*, quæ mater est late saltem, & improprie, eumdemque *Plebanum del Tò*, aliosque Parochos Collegii, seu Congregationis Parochorum, quæ in antiquioribus, & vetustate dignioribus Ecclesiis institui solent, ut tradunt *Thomassin. de Vet. & Nov. Eccles. disc. par.1. lib.2. cap.6. Vanespen. Jur. Eccles. Univers. par.1. tit.6. cap.2. Lel. Zecch. de stat. Prælat. cap.27. Cabassut. in Theor. & prax. Jur. Canon. lib.2. cap.8. Barbosa de Offic. Paroch. par.1. cap.1* E quibus ea, quæ ad Plebes, Plebanosque pertinent, res peti possunt, advocandos esse ante alios omnes simplices Sacerdotes ad officia, & anniversaria, quæ aguntur in Ecclesia Fugnani.

Audito igitur, ut fieri solet, Episcopo, qui jura utriusque partis binis complexa Libellis ad Sacrum hoc misit Tribunal, ut Eminentissimorum Patrum Sapientissimo Judicio controversia definiretur, omnia quæstionum capita, quæ inter hosce duos, sive Parochos, sive Plebanos tractantur, XIII. Dubiis, quæ hic subiicimus, collecta fuerunt: Sola horum dubiorum lectione poterunt Amplissimi Patres causam coniicere. Rationes vero ea definiendi e libellis Partium colligi possunt. Abstinemus equidem eas hic dare, ne volumen efficiant, cum tot sint controversiæ capita: monemus tantum a Rivalta nondum aliquid datum fuisse.

I. An Parochialis Ecclesia S. Joannis Baptistæ in Octavo sit Ecclesia Plebana, & caput Congregationis, quam nonnullæ Parochiales Ecclesiæ ei propinquæ constituunt.

II. An Parochialis Ecclesia S. Petri Fugnani sit una ex Parochiis d. Congregationem constituentibus?

III. An Parochus dictæ Parochiæ Fugnani possit se alteri Congregationi adscribere, vel sese pro libito statuere independentem a cujuscumque Congregationis capite?

IV. An eadem Parochialis Ecclesia Fugnani ex asserto titulo Archipresbyteralis vere sit Plebana?

V. An ex eodem asserto titulo Archipresbyteralis exempta manserit ab illis oneribus, & obsequiis, quæ ante concessionem asserti tituli præstare tenebatur erga dictam Plebanam Ecclesiam S. Joannis; vel potius instar aliarum Ecclesiarum sit subordinata, & subjecta eidem Ecclesiæ Plebanæ?

VI. An constet de Matricitate saltem impropria d. Parochialis Ecclesiæ Sancti Jo: Baptistæ in Octavo?

VII. An Parochus dictæ Ecclesiæ Fugnani teneatur interesse conferentiis casuum conscientiæ, quæ habentur in Plebana Ecclesia, & in omnibus haberi debeat, ut unus ex Parochis Congregationis antedictæ?

VIII. An possit Sacra Olea a Cathedrali accepta alicui ex Parochis d. Congregatiouis dispensare?

IX. An possit in functione benedictionis Fontis Baptismalis, quæ fit ipsamet die Sabbathi Sancti, adhibere assistentiam alicujus ex Parochis Congregationis.

X. An Plebano, seu Vicario perpetuo dictæ Plebanæ Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ competat jus, & præeminentia peragendi Processionem ipso die Festo Sanctissimi Corporis Christi privative quoad Parochum Fugnani?

An

XI. An dictus Plebanus possit eamdem Processionem ab Ecclesia Sancti Petri inchoare, eamque ducere per limites ejusdem Paræciæ.

XII. An Parochus Ecclesiæ S Petri teneatur instar aliorum Parochorum eidem Processioni interesse.

XIII. An Plebanus possit, & debeat Missam solemnem in Ecclesiam S. Petri celebrare, ac Parocho ejusdem Ecclesiæ S. Petri præcedere in singulis Functionibus, quæ ibidem peraguntur.

Dilata, & scribatur novo Episcopo pro informatione, & voto.

COLONIEN. BENEPLACITI. Combusta, incertum fortuito incendio, an illato, Villa Zur Furth, quæ juris est Capituli Collegiatæ Ecclesiæ S. Cuniberti Coloniæ, censuere Canonici non expedire, ut iterum ædificaretur (quod tamen prius placuerat, & ob id tigna, materiemque omnem paraverant) sed ejus agros colonis partiariis esse locandos. At omni licet adhibita cura, nullus sese obtulit conductor: Empturum se quidem illam spopondit Buschmannus Metropolitanæ Coloniensis Ecclesiæ Canonicus. Indicto igitur speciali Capitulo die 7. Aprilis 1741. unanimes convenerunt, ut eidem venderetur, auditaque inde sententia Advocati, quem vocant Syndicum Capituli, placuit iterum omnibus, ut venderetur, & de pretio illius cum emptore transigeretur. *Sess. 25. c. 11. de ref.*

Tres huic venditioni sese inde constituerunt contradictores Canonici *Oell*, *Sandt*, *&* *Schelebusch*; duo primi Capitulis omnibus affuerant, non vero tertius. Cum igitur obtulisset emptor *Imperiales* 4358. die 22. Junii ejusdem anni, rogati Canonici, quid ea de re fieri placeret, censuerunt omnes, ipsis laudantibus *Oell*, *&* *Sandt*, justum esse oblatum pretium, & Villam Buschmanno vendendam esse, atque hoc negocii Decano Capituli dederunt, ut utilitatem Ecclesiæ monstraret *Officiali Coloniæ*, curaretque, ne quid a tribus Canonicis, qui litem inferre minabantur, apud eum fieret, quo minus venditio perfici posset. Implevit Decanus mandata, & post libellum, quo rationes utilitatis hujus venditionis complexus est, mensurationem edidit agrorum Villæ, quam fecerat publicus Geometra, & pretium iis datum a *Scabinis* Loci, quibus monstrabat justum esse pretium a Buschmanno oblatum Imperialium 4357.

Cum tamen Officialis, qui, tribus Canonicis postulantibus, Capitulo venditionem vetuerat, hujusce rei cognitionem suscepisset, metuens Capitulum, ne lite longius protracta, nullum interim Villa, non locatis agris, redderet fructum, censuit die 2. Septembris 1741. omnium Canonicorum consensu, ipsoque probante Oell, ut donec quæstio de venditione definiretur, agri Villæ colonis partiariis locarentur, quæ res ita Officialem commovit, ut decreverit agros non esse locandos, donec singuli Capitulares à tabellione rogati declararent, an locationi consensum præstiterint. Sed Capitulum huic decreto parendum non putavit, & duxit esse appellandum. Judex vero, spreta appellatione, sententiam tulit, qua damnavit Capitulum, ut ædificium Villæ combustæ iterum extrueret; eamque uni tantum conductori locaret. Appellavit igitur Capitulum ad A. C.; sed cum inde Canonicus Buschmannus ad augendam Ecclesiæ utilitatem summam oblatam auxisset, obtulissetque se Villam empturum Imperialibus quinque millibus, atque hoc amplius se soluturum annuos Imperiales tres in singula Imperialium centena, donec pretium Villæ in alia bona posset a Capitulo novari, & ut ajunt, investiri, optimum visum est preces offerre amplissimo huic Ordini pro Beneplacito Apostolico, auditoque, ut moris est, Vicario Generali, postulat nunc Capitulum contra duos Canonicos Schelebusch, & Sandt,

& Sandt, nam Oell post secundam auctæ summæ oblationem liti cessit, venditionem Sacri hujus Senatus authoritate probari.

Utilitas enim, & necessitas Ecclesiæ, quæ duæ faciunt, ut bona Ecclesiastica distrahi possint, alienationem hanc permittendam suadent: necessitas quidem, quod Villa incursionibus, & intributionibus militum frequentia bellorum vastatur, quod bis jam incendio fuerit absumpta: Utilitas vero, quod Villa locata hactenus fuerit ad duodecim annos pensione annua 20. Malderorum Siliginis, & spatio 70. annorum ab anno scilicet 1667. ad annum 1737., vel ob intributiones militares, vel ob aquarum inundationem, vel ob sterilitatem, remissiones plures colonis factæ fuerint, ut cum a Capitulo percipi debuissent Maldera 1400., non perceperit nisi Maldera 890. ut constat è libris Capituli, atque ita, facta distributione Malderorum, singulis annis, dignoscitur accepisse Capitulum paulo amplius, quam 12. Maldera, cum 20. ex locationum contractu accipere debuisset; Et si adhuc integra 20 Maldera singulis annis accepisset, redditus tamen non excessisset annuos Imperiales 60., ut re comperta, ipse tradit Vicarius Generalis in epistola sua.

Contra vero, quam Buschmannus offert, summa quinque millium Imperialium, etsi usuras tantum reddat annuas trium Imperialium in singula centena, habebit tamen Capitulum annuum redditum 150. Imperialium, ut utilitas Ecclesiæ pene in demonstrationem abeat, & si adjungatur Capitulum liberari ab incursionibus, & intributionibus militaribus, liberari ab onere sarcta tecta servandi ædificia Villæ, liberari ab onere, & impensis litium, quæ frequenter agi debent contra Dominos vicinorum prædiorum, liberari a debito 300. Imperialium, quod contrahendum esset, ut reparari, & restitui posset ædificium igne absumptum, & demum posse lucrifacere tigna ædificiorum, quorum pretium erogandum esset in solutione debiti 200. Imperialium, quod contraxit in emptione materiæ, & lignorum, quæ ad ædificium restituendum paraverat, ambigi profecto de apertissima Ecclesiæ utilitate ab æquo quolibet, justoque rerum æstimatore non poterit. Id agnoscit universum Capitulum, id agnovit Canonicus Oell, qui liti cessit, agnoverunt tandem, & ipsi Schelebusch, & Sandt, qui fassi sunt venditionem in palpabile Ecclesiæ emolumentum redundare, licet litem deserere noluerint: quæ horum sint rationes contradicendi nondum scimus, libellus enim nondum datus est: Superest igitur ut ab Amplissimis Patribus definiatur.

An Beneplacitum Apostolicum sit concedendum in casu &c.

Dilata ad primam post sequentem.

Sess. 25. c. 13. de ref.

FIRMANA FUNERUM. Una est hujus causæ quæstio, quæ agitur inter Parochos Civitatis Firmi, & Patres Minores Observantes in Ecclesia Sanctissimæ Annunciationis ejusdem Civitatis; solent enim Firmani Cives, more a veteribus recepto, apud quos cognitissimæ sunt *Denicales Feriæ*, non ipso tantum die, quo corpus hominis mortui Loco infertur, sed duobus etiam sequentibus defuncto justa persolvere, eodem apparatu, eodemque funeris sumptu; idem agitur cum annus actus est, Parentalia siquidem habentur, seu anniversarium. Mos est, ut cum defunctus alia, quam Parochiali Ecclesia condendus est, sive secularis illa sit, sive regularis, faces majores, quæ circa corpus sunt, & ante Crucem feruntur, hæredibus defunctorum restituantur, quæ vero in Altaribus Ecclesiæ, in qua corpus conditur, ardent, ad eamdem Ecclesiam spectent: duarum demum majorum facium, quæ ad utrumque latus aræ maximæ Templi ardent, dum sacrum canitur, altera Parocho defuncti tradatur, qui etiam obulos

obulos triginta ab ejus hæredibus exigit, altera vero Ecclesiæ, in qua corpus defuncti hominis seppellitur.

Hunc morem, qui hactenus servatus fuit, servare parati sunt Minores Observantes; in eo tantum disputant non posse a Parochis cereum illud, seu facem majorem accipi, extra diem, qua corpus sepulturæ traditur, duobus scilicet sequentibus diebus, & parentalium, sive anniversarii: Parochi contra tradendum esse intendunt, quod diuturno usu mos hic comprobatus fuerit. Hæc est hujus causæ quæstio, cujus origo est a controversia de hoc cereo orta inter Parochum Ecclesiæ S. Martini, & Patres Minores Observantes, quæque ad Sacrum hoc Tribunal delata, audito jam, ut fieri solet, Firmano Archiepiscopo, definienda nunc Amplissimis Patribus proponitur.

Ratio, qua negant Patres Observantes præstandam esse Parochis facem secunda, & tertia post sepulturam die, & cum Anniversarium agitur, est in immunitate, quam Summi Pontifices Clemens VIII., Paulus V., Urbanus VIII.: aliique universo Ordini indulserunt a præstatione portionis Canonicæ, seu quartæ funerariæ, oblationum, & legatorum, quæ juxta dispositionem juris Pontificii, & præsertim cognitissimæ *Clementinæ dudum de sepultur.* Parochialibus defunctorum Ecclesiis deberetur; hæc autem immunitas, licet sublata, aut temperata fuerit ab Optimo Sanctissimoque Pontifice Benedicto XIII. Constitutione sua, cujus initium est: *Romanus Pontifex* edita post Concilium Romanum, cum tamen in illa jussum sit, ut quarta Parochiali Ecclesiæ tradatur *omnium intorticiorum, & candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon &c. quæ in eadem Ecclesia circa cadaver &c. in die funeris accenduntur*: hinc nequeat a Parochis aliquid peti ultra modum in Constitutione statutum, postquam scilicet funus elatum est, postquam corpus defuncti terra conditum fuit.

Idque eo amplius in nostra specie esse custodiendum, quod sive Romanarum Legum, sive Juris Pontificii dispositio observetur, funeris nomine veniat quidquid corporis causa erogatum est, antequam sepelliatur, ut in *leg. funeris sumptus ff. de relig. & sumpt. funer. & in extravag. inter cunctas de privileg. & Clement. dudum de sepult.*, præsertim cum testibus a Patribus editis probetur morem illum, quem supra retulimus, ipsa funeris, & illationis die, non vero postquam corpus tumulo illatum est, observari, atque ob id negant Patres ullam de testibus, quos Parochi dederunt ad contrariam consuetudinem probandam, ullamque de eorumdem libris habendam esse rationem, quod testes non referant tot actus, quorum frequentia probari consuetudo possit, nec casus numerent, & personas, a quibus diversum observatum fuerit; libris vero nulla habendam esse fidem, cum possent Parochi scribere, quod vellent, & quæ ex illis excepta sunt, Patribus non interpellatis, fuerint exscripta.

Hæc habent Patres Observantes: contra Parochi, Pontificio Jure cautum esse portionem Canonicam, seu quartam funerariam Parochiali Ecclesiæ tradi debere, quam tamen hoc casu minorem a Parochis exigi, cum unam facem accipiant, neminem posse inficiari. Non esse a Patribus Constitutiones Pontificias obtendendas, quibus immunitas iis data sit a quartæ funerariæ præstatione, cum sublata immunitas fuerit posteriori Sanctissimi Principis Benedicti XIII. Constitutione, atque ita, sublato jure singulari immunitatis contra tenorem rationis indultæ, rediisse omnia ad jus commune: Juris autem esse, ut quarta pars Parocho debeatur emolumentorum omnium, quæ ad Ecclesiam, in qua corpus conditur, pervenerunt, sive antequam terræ tumulove inseratur, sive post, & ad trigesimum usque diem, & quamdiu memoria habetur defuncti, ut post *Calderin. cons.4. de sepultur.* tradunt *Barbos. de Paroch. par.3. cap.25. num.37. Tamburrin. de jur.*

jur. Abbatis. tom.1. disput.15. num.4. Antonell. de regim. Eccles. lib.1. cap.13. n.2. & Ursaya vol.5. discept. par.1. discept.11. n.34.

Atque ita speciem nostram definitam fuisse a S. Congregatione Episcoporum, & Regularium tradit *Barbosa d. c. §.25. num.38.*, ita quoque respondisse amplissimum hunc Ordinem constat ex *Mediolanen. quartæ Funerariæ 9. Septem.1730.*, quæ impressa fuit *Vol.5. Thesaur. Resol. Sac. Congregat. pag 45.*, quæ definitio confirmata fuit die 2. Junii 1731., ut in eodem *Vol.5. pag.134.*; hanc autem juris dispositionem viribus longe augeri ex usu diuturno, longaque consuetudine, & possessione, in qua Parochi sunt, cereum accipiendi etiam diebus post corporis illationem, & diem anniversarii. Probari has consuetudines tum juris communis dispositione, tum ipsa Constitutione Benedicta; Cum autem in nostra specie centenarium tempus excedat, custodienda esset, & observanda, etsi contra jus apertum esset ex iis, quæ disputant *Ros. consult. 2. num.21. Rocca disp. cap.59. num.5. Carol. Anton. de Luca de Apostol. Regioque Assensu quæst.200. num.6.*

De veritate demum centenariæ hujus, & immemorialis consuetudinis ambigi non posse, postquam tot testibus Sacerdotibus, & Religiosis comprobatur, quorum testificationes libris publicis Parochiæ S. Martini confirmantur, e quibus patet ipsos Patres Minores Observantes sine ulla controversia cereum Parocho tradidisse: atque ita testes, librosque vice mutua juvari, & sibi ipsis invicem fidem facere consensu rei factique: juvari autem utrosque juris dispositione, ut supra Pontificii juris interpretum, & rerum judicatarum authoritate comprobatum est. De testibus vero, quos Patres ediderunt, nullam habendam rationem esse, cum de tempore, in quo controversia versatur, scilicet de diebus post illationem corporis, & de Anniversaria die nullum verbum habeant.

His aliisque, quæ proponuntur, probe perpensis, decernant Eminentissimi Patres.

An liceat Parochis Civitatis Firmi occasione Tumulationis Cadaverum in Ecclesia Patrum de Observantia exigere Cereum, seu Intorticium tam in die Funeris, quam in diebus sequentibus, & in die Anniversarii in casu &c.

Affirmative quoad diem funeris, & duos sequentes. Quo vero ad Anniversarium coadjuventur probationes.

Sess.22. c.14. de ref.

EUGUBINA. Ex constitutionibus Capitularibus, quas nuper jussu Amplissimi hujus Ordinis fecerunt Canonici Cathedralis Ecclesiæ Eugubinæ orta est controversia inter Ubaldum Benium Præpositum eidem Cathedrali, & Canonicos, qui *Massæ Veteris* nuncupantur. Cautum siquidem Constitutionibus fuit, ut Vicarius Capituli, qui singulis annis a Canonicis illius Massæ eligitur, eorumque bona administrat, atque in choro officium multandi Canonicos illius massæ, qui statis horis non interfuerint; exercet, cautum inquam fuit, ut *in choro etiam tamquam Præfectus invigilet, ut divina officia recte expleantur, nullusque discedat absque legitima causa, & ab eo petita licentia*. Iniquam Constitutione hac conditionem inferri Dignitati suæ, quæ prima, atque una est in illa Cathedrali, censuit Præpositus, adiitque hac de re, dato libello, Sanctissimum Principem Nostrum, a quo postulationis suæ cognitio data fuit Sac. Rituum Congregationi, a qua auditus fuit hac de re Episcopus Eugubinus: Sed Canonici *Massæ Veteris* alio oblato libello Optimo Principi, impetrarunt, ut res ad Amplissimum hunc Ordinem deferretur. Postulat nunc itaque Præpositus, ut Eminentissimorum Patrum authoritate definiatur, non Vica-

rio

rio Capituli, sed sibi curam incumbere regiminis chori, & ut divina officia rite, recteque expleantur. Rationes partium non damus, Canonici siquidem *Massæ Veteris* nihil adhuc dederunt, Benius quidem rationes suas libello complexus est, sed serius quam par esset, eum dedit, Decernent igitur Amplissimi Patres ex rationibus; quæ proponentur.

An ad Prepositum exclusive quoad Vicarium Capituli spectet presidere in choro, & ordinare ea, que concernunt divinum cultum, veluti indicere silentium, inobedientes corrigera, dare signum, pro ingressu, & egressu, & alias Ecclesiasticas functiones regulare, vel potius exequende sint Constitutiones Capitulares in Capitulo nono in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Die Sabbathi 8. Augusti 1744.



UGUBINA. Visum est Amplissimo Ordini in ultima Congregatione habita 18. transacti mensis Julii Causæ hujus definitionem differre. Nunc itaque perspecto, ut solent ea, qua præstant humanitate, Folio illius Congregationis, decernant Eminentissimi Patres. *Sess. 24. c. 11. de ref.*

An ad Præpositum exclusive quoad Vicarium Capituli spectet præsidere in Choro, & ordinare ea, quæ concernunt Divinum cultum, veluti indicere silentium, inobedientes corrigere, dare signum, pro ingressu, & egressu, & alias Ecclesiasticas functiones regulare, vel potius exequendæ sint Constitutiones capitulares in Capitulo nono in casu &c.

Affirmative ad primam partem salva auctoritate Episcopi, & Negative ad secundam.

TUDERTINA MEDIÆ ANNATÆ. Quæ facti erant, & quæ Juris ratione proponebantur in hac causa, sive a Capitulo, sive a R.P.D Albano Morellio, late collegimus in Folio Congregationis habitæ die 13. superioris mensis Junii, nec placuit Amplissimis Patribus controversiam definire, dilata causæ propositione: Repetita igitur illius Folii lectione poterunt nunc respondere. *Sess. 24. c. 14. de Ref.*

An media Annata fructuum, ut prætenditur, exigi solita per Capitulum Tudertinum a noviter provisis debeatur a R. P. D. Morellio in casu &c.

Negative.

GRANATEN. MATRIMONII. In ultima hujus Causæ propositione, quæ habita est in Congregatione diei 27. transacti Junii rescripserunt Eminentissimi Patres -- *Dilata, & scribat Defensor primi Matrimonii* -- *Sess. 24. c. 1. de ref.*

dabit

dabit hic, ut putamus, nunc libellum suum, & ideo poterunt Amplissimi Patres inspecto iterum Folio Congregationis diei 14. Septembris superioris anni 1743., in quo species hujus Causæ expressa fuit luculenter, sapientissime, ut solent, decernere.

An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

Non proposita.

Sess.24.c.12. de reform. & Sess. 22. Decret.de obser. & evit.in celebr. Miss.

IMOLEN. PLURIUM. Duo hujus causæ dubia post narratam illius speciem, & rationes, quæ proponebantur, dedimus in Folio Congregationis habitæ die 23. Novembris superioris Anni 1743., sed placuit Eminentissimis Patribus respondere -- *Dilata, & proponantur cum reliquis Dubiis*. Ut igitur voluntati Amplissimorum Patrum obsequamur, reliqua hic damus dubia, quæ omnia XXVI. numero sunt, nec rationes *Canonicorum Manus Sinistræ*, a quibus tantum datus fuit libellus, colligere voluimus, ne volumen, non folium scriberemus.

I. An constet de validitate censuum scutorum 800., *& quatenus negative* in casu &c.

II. An sit locus sanatoriæ in casu &c., *& quatenus negative*.

III. An impositores teneantur de proprio ad redemptionem eorumdem censuum.

IV. An impositio census scutorum mille facta a Canonicis olim Sanctæ Mariæ Lugi prævio Rescripto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium sit legitime facta, *& quatenus affirmative*.

V. An dicti Canonici teneantur etiam de proprio dictum censum redimere, & respective deponere ratas partes, quæ juxta legem præscriptam in beneplacito deponi singulis annis debuisset.

VI. An impositio primi census sc.1500. facta a Canonicis olim S. Jacobi sit legitime facta, *& quatenus negative*.

VII. An iidem Canonici teneantur similiter de proprio dictum censuum redimere, & respective deponere ratas partes, quas non deposuerunt juxta formam præscriptam in Bulla erectionis Collegiatæ Sancti Jacobi.

VIII. An ex redditibus ambarum Collegiatarum suppressarum sit constituenda usque a principio una indivisibilis Massa, & unus tantum Administrator, sive potius duæ Massæ separatæ usque ad reductionem numeri in casu &c.

IX. An lucra provenientia ex punctaturis, & absentiis Capitularium manus dexteræ Collegiatæ Sanctorum Petronii, & Prosperi Terræ Lugi a die unionis usque ad præsens accrescant solis interessentibus dictæ manus dexteræ, sive potius omnibus interessentibus, sive sint manus dexteræ, sive sinistræ in casu &c.

X. An Legata Missarum jam prius relicta tam Canonicis olim S. Mariæ, quam Canonicis olim S. Jacobi satisfieri debeant post unionem ab unaquaque parte respective, sive potius ab omnibus indiscriminatim in casu &c.

XI. An Canonici, vel Mansionarii manus dexteræ fere numquam interessentes Choro, debeant participare de emolumentis provenientibus ex Missis, Funeralibus, & aliis Functionibus, sive potius de illis tantum, quibus assistunt, & ab ipsis respective celebrantur in casu &c.

XII. An sit destinanda certa dies pro Sessionibus Capitularibus in quolibet mense, seu potius sit servanda Constitutio nona.

XIII. An ad legitimas Resolutiones Capitulares debeat attendi major pars suffragiorum respective ad omnes Capitulares, sive potius sit necessarius

rius

rius concursus duarum ex tribus partibus, ut præscribitur in Capitulis Constitutionum in casu &c

XIV. An Constitutiones Capitulares approbatæ ab Episcopo pro bono regimine Capituli sint observandæ in casu &c.

XV. An stante expressa concessione manus dexteræ & loci dignioris facta favore Capitularium olim S. Mariæ in Bulla unionis pro omnibus & singulis Actibus, & Functionibus substineatur dispositio contenta in c. 19. Constitutionum in casu &c.

XVI. An soli Capitulares olim S. Mariæ teneantur præstare sive supplere commodum octo Missarum pro qualibet die requisitarum a Bulla unionis in Ecclesia S. Francisci de Paula, seu potius per Turnum teneantur etiam Capitulares olim S. Jacobi in casu &c.

XVII An Legata Missarum relicta Capitularibus olim Sanctæ Mariæ absque determinatione Ecclesiæ, Altaris, vel diei debeant satisfieri in nova Collegiata, ut disponitur in cap. 20. Constitutionum, sive potius in qualibet Ecclesiā benevisa ipsis Capitularibus in casu &c.

XVIII. An ad expensas communes puta pro Sacris suppellictilibus, cera, ministris &c. debeant concurrere Capitulares utriusque manus iu capita, ut disponitur in cap. 12. Constitutionum, sive potius unaquæque Pars æquis portionibus in casu &c.

XIX. An Capitularibus impeditis competat indefinite facultas substituendi ad interessendum functionibus, sive potius sit servanda dispositio c. 2. Constitutionum in casu &c.

XX. An cogi possint Canonici manus dexteræ ad interessendum Processioni Sanctissimi Sacramenti, quæ fit in Collegiata in qualibet Dominica prima mensis post Missam solemnem in casu &c.

XXI. An Præpositus Parochus Collegiatæ teneatur invitare ad funera suorum Parochianorum Capitulares utriusque manus per Turnum, sive potius alios Presbyteros suæ Parochiæ sibi benevisos in casu &c.

XXII. An Præpositus absque consensu Canonicorum manus dexteræ explere possit in Collegiata Festa devotionis, quæ vel protrahunt officium Chori, vel retardant horam præscriptam ad illud in casu &c.

XXIII. An modernus Præpositus novæ Collegiatæ tamquam effectus Parochus Generalis ambarum Collegiatarum suppressarum, & tamquam Successor in Juribus prædefuncti Præpositi teneatur de proprio ad distributionem Candelarum in die Purificationis B. Virginis favore Presbyterorum manus dexteræ, sicuti distribuit Presbyteris manus sinistræ in casu &c.

XXIV. An continuandum sit signum matutini cum pulsatione secundæ solitæ Campanæ, seu potius cum solo tintinnabulo in casu &c.

XXV. An liceat Præposito auferre Campanam ex majoribus ab Ecclesia Collegiata suppressa S. Francisci de Paula in casu &c.

XXVI. An liceat Capitulo in quolibet Anno per secreta Suffragia confirmare Ministros ab eodem stipendiatos in casu &c.

Dilata ad primam post proximam.

VIGILIEN. Species hujus causæ, quæ dudum acta est in hoc Sacro Tribunali, humanitate Eminentissimorum Patrum repetenda est *Vol. 4. Thes. Resol. Sac. Congr. pag. 322. & 328.* atque alio *Vol. 5. p. 19. 30. & 32.*, edita siquidem in illis fuerunt *Folia Congregationum habitarum die 2. & 23. Julii 1729. & die 19. Augusti 1730.* in quibus causa omnis expressa fuit satis luculenter: Post responsa Amplissimi hujus Ordinis adiit Antonius Schinosius Decanus Tribunal A. C. a quo petiit exe- *Sess. 22. c. 4. & sess. 22. c. 3. & Sess. 21. c. 3. de ref.*

qui definitiones Eminentissimorum Patrum; lata quidem ab eo sententia est, sed de obventionibus atque emolumentis a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ lite pendente perceptis noluit cognoscere, jussitque redire Decanum ad Amplissimorum Patrum Judicium: Nunc igitur ex una, ut evenire solet, novis exortis quæstionibus, auditoque, ut moris est, Vigiliensi Episcopo, qui partim secundum, partim contra Decanum respondit, tria quæ sequuntur Dubia ab EE. PP. definienda proponuntur.

I. An & a quo tempore debeatur Decano participatio obventionum, Legatorum, aliorumque comprehensorum in Resolutione Sac. Congregationis 23. Julii anni 1729. & 19 Augusti anni 1730.

II. An juxta præcitatam resolutionem eidem Decano debeatur participatio tam Missarum adventitiarum, quam Anniversariorum certam fundi assignationem non habentium, sed quæ annuatim per hæredes solvuntur.

III. An idem Decanus participare debuerit, & debeat de Punctaturis, de Censibus extra portionem, de redditibus Canonicatuum vacantium usque dum provideantur, & etiam de aliis emolumentis, quæ in fine anni per Procuratorem Capituli sive in Cera, sive in pecunia Capitularibus distribui solent.

Dilata ad sequentem.

Sess. 24. c. 1. de ref.

CSANADIEN. Postulat Csanadiensis Episcopus, in cujus Diœcesi Tridentini Decreta præsertim in iis, quæ ad Causas Matrimoniales pertinent, usu recepta sunt, ut quinque Dubia, quæ omnia in hac Matrimonii materia versantur, Amplissimi hujus Ordinis Judicio solvantur. Dubia quæ proponit hæc sunt. I. Catholica se Calvinianam fingens, alias vaga, coram Episcopo Græci ritus Schismatico comparuit, & cum viro Schismatico copulam desideravit, cujus etiam assensu per Sacerdotem Schismaticum copulata est. II. Catholicus cum Schismatica coram Parocho Schismatico Proprio Mulieris contraxit Matrimonium. III Catholica cum Schismatico proprium, & stabile domicilium habente a Parocho Schismatico non proprio conjuncta est. IV. Catholicus Latini Ritus alias æque proprium domicilium habente cum Muliere pariter Catholica Græci Ritus a Parocho Græci Ritus unito non priprio copulatus est, utpote in Regione, ubi permixtim Catholici Latini, & Græci Ritus cum Schismaticis Græcis habitant. V. Vir Lutheranus ante aliquot annos cum Muliere pariter Lutherana in Saxonia contraxit matrimonium, & paulo post Uxorem hanc deservit, quæ ad Magistratum suum recurrit, & juxta consuetudinem illarum partium maritum desertorem per valvas citari curavit, eoque intra terminum statutum non comparente, facultatem obtinuit alteri nubendi, actuque nupsit: Interea desertor Lutheranus, in hac Diœcesi hæresim abjuravit, factusque est Catholicus, & in facie Ecclesiæ cum alia copulatus est, reticendo coram Parocho prius jam contractum ligamen. Hæc sunt Csanadiensis Episcopi dubia: Monemus nunc non inutile futurum ad ea definienda, quæ data fuerunt in cognitissima *Ipren. Visitationis Liminum diei* 17. *Augusti* 1737. *Thesauri Resol. Sac. Congregationis vol.* 8. *pag.* 138. & plenius *vol.* 10. ubi elegantissimæ Doctissimorum Virorum in ea Causa dissertationes in lucem hominum editæ fuerunt, & præsertim Declarationem Optimi, Sanctissimique Pontificis nostri iis adjectam diligenter evolvere, ut totius amplissimi Patres decernere possint.

An, & quomodo sit rescribendum Episcopo in Casu &c.

Scribatur Episcopo juxta instructionem.

FERRA-

Seff. 22. c.6. de Ref.

FERRARIEN. Defectis hæredibus omnibus institutis substitutisque, quos scripserat Testamento suo Cæsar Ubaldinius anno 1693. delata hæreditas fuit Monasterio S. Andreæ Patrum Augustinianorum Ferrariæ, quibus Testator onus dederat, ut e primis redditibus Bonorum hæreditariorum Sacellum in Templo extrueretur, atque ornaretur Divis Michaeli Archangelo, & Nicolao Tolentinati, ex aliis vero redditibus, qui ex iisdem bonis colligerentur, Hospitium cum Ædicula ædificaretur in Latifundio ipsius Testatoris, cui nomen *Francolino*, in quo Peregrini exciperentur, & una die unaque nocte, pane, & vino, lignisque etiam hyemali tempore præstitis reficerentur, data iisdem Patribus Hospitii cura, qui die Solis, & Veneris sacrum agere deberent in Ædicula qualibet Hebdomada. Igitur Patres dispunctis cum Lucretia Pajola Vidua, atque hærede Roberti Ubaldinii hæredis Cæsaris Testatoris rationibus hæreditariis juxta repertorium, sive Inventarium, quod fecerant Executores Testamentarii ejusdem Cæsaris, rebusque omnibus compositis, invenerunt redditus hæreditarios esse annuorum scut. 173. 82. a quibus detractis piis legatis, quæ Cæsar dederat, redditus annuus erat scut. 163. 21.

In tanta reddituum tenuitate admoverunt Patres manum operi Sacelli, quod primo impleri Testator jusserat, probataque ab Eminentissimo Cardinali Verme Archiepiscopo illius Forma, quam Designator operis fecerat, exactum tandem consummatumque opus fuit anno 1736. impensis in illud scut. 3342. 80. Sed cum redditus hæreditarii impares essent Ædificio Hospitii, atque Ædiculæ, quorum necessaria impensa reputabatur sc. 3502. 62. supellex vero atque instrumenta utriusque est imabantur sc. 306. cibus, potusque, & ligna Peregrinis præstanda annuis sc. 322. 12 ædificatio vero rusticarum ædium scut. 450. satius duxerunt Patres opus Hospitii atque Ædiculæ differre, donec cumulo facto annuorum reddituum, qui percipiebantur, ea quantitas collecta fuisset, quæ operi absolvendo respondere posset, præsertim cum ne ille quidem annuus redditus sc. 153. 21. certus esset, nam ab anno 1704. plurimum variaverat, & ob cognitissima Italiæ mala aliquibus annis decreverat.

Providum Patrum consilium turbavit industria Hyeronimi Azzolinii, qui cessis a *R. Fabrica* Juribus contra Patres, egit, ut monstrarent Cæsaris Ubaldinii dispositionem impletam fuisse: Sed Patres oblatis Sacratissimo Principi precibus, quibus omnia narrabant, postularunt, vel commutari ejusdem Principis authoritate voluntatem defuncti, quæ ob reddituum tenuitatem impleri non potest, vel decerni, ut redditus hæreditarii multiplicentur, donec, coacta necessaria pecunia, opus perfici possit: Data Amplissimo huic Ordini postulationis hujusce cognitio fuit, auditoque Vicario Capitulari petunt nunc Patres, ut Sacri hujus Senatus authoritate decernatur, an mutanda sit Testatoris voluntas, vel potius multiplicanda pecunia sit, donec absolvi opus possit, nam ad annum usque transactum 1743. non alia quantitas collecta est, quam sc. 260. 37. quæ impar omnino est impensis, quas supra narravimus constructionis, & instrumentorum, & supellectilis, Hospitii, Ædiculæ, & rusticarum Ædium: videant itaque omnibus perpensis Eminentissimi Patres.

An, & quomodo sit locus commutationi piæ dispositionis bo. me. Cæsaris Ubalbini, seu potius multiplicio in casu &c.

Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.

Seff. 22. Dec. de obser. & evit. in celeb. & Seff. 24. c. 7. & c. 14. de reform.

HORTANA: Quinque controversiarum Capita agit Nicolaus Nuccius Canonicus Parochus Ecclesiæ Cathedralis Hortanæ contra Capitulum ejusdem Cathedralis, & Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis; nam Epi-

Episcopus repente instructo contra eum criminali Processu, reum illum egit trium criminum, quorum primum erat omissæ *applicationis* Sacri pro Populo omnibus diebus Festis, alterum omissæ *Prædicationis*, seu explicationis Evangelii, tertium omissæ *Doctrinæ Christianæ* quibusdam Anni temporibus: Commovit Nuccii animum Episcopi facinus, qui posthabita Sacrorum Canonum disciplina, & non auditis, cognitisque Nuccii rationibus, Canonicum, & Parochum criminali Processu per ora Plebis traduxerat, ut ad vindicandum honorem famosa actione notatum Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium adierit, cui se vitæ integrum, impictorumque criminum purum probaret, sed prudentissimo Eminentissimi Patris Consilio transactum est, & lacerato criminali Processu perempta actio fuit, placuitque Amplissimum hunc Ordinem adire, ut quinque Dubiorum, quæ nunc, audito jam ut fieri solet Episcopo, proponuntur, certa definitio haberetur.

Intendit igitur Nuccius nulla ratione compelli posse ad *applicationem* Sacri pro Populo singulis diebus Festis, sed satis esse Sacrum *Conventuale*, quod a Capitulo per Turnum quotidie pro Populo *applicatur*, & si hoc non satis sit, teneri Capitulum ultra Sacrum *Conventuale*, singulis Festis diebus, per Turnum pro Populo facere; pluribus enim propositis monstrat Capitulum non habitualem tantum Curam habere, sed promiscue cum Canonico Parocho actualem exercere, namque hic proprio Jure, & independenter a Capitulo Curam non exercet, seu quoad certa tantum munera Parochialia, quæ agit Vicario nomine ipsius Capituli, cum penes illud sit aliorum munerum & officiorum usus, & emolumentorum, atque obventionum perceptio, quod si contrarium placeat Eminentissimis Patribus, non posse saltem Capitulum absolvi a præstatione eleemosynæ, quæ Canonico Parocho præstari debet, si ad novum hoc onus *applicationis* Sacri pro Populo, singulis diebus festis, compelli posse videatur.

Nulla quoque ratione cogendum esse Parochum, ut post Evangelium conversus ad Populum sermonem habeat, licet enim Tridentini decreto cautum sit, ut inter Missarum solemnia, aut Divinorum celebrationem sacra eloquia, & salutis monita eadem vernacula lingua, singulis diebus Festis, vel solemnibus explanentur, satius tamen esse, ut servanda sit Eccldsiæ consuetudo explicandi Evangelium post Doctrinam Christianam, quæ a Parocho in Ecclesia Cathedrali haberi solet, nam plenius impletur hac consuetudine mens Sanctissimorum Patrum, qui hoc decreto *sacra eloquia omnium cordibus inserere, & Populum in lege Domini erudire* voluerunt. Similique ratione servandam esse consuetudinem Nuccius contendit doctrinam Christianam mense Octobri, & Decembri usque ad diem 13. Januarii intermittendi, quod homines aucupio, vindemmiis, & rusticatione distenti nulli ad eam audiendam accedant, & brevitate illa dierum Mensis Decembris, & Januarii impossibile fiat omnia Parochi munera uno tempore implere.

Hæc sunt, quæ postulat Nuccius; nihil hactenus a Capitulo datum est, quo rationes suæ colligi possent. Decernent itaque Eminentissimi Patres, qua ratione definiri debeat.

I. An Canonicus Parochus Ecclesiæ Cathedralis Hortanæ teneatur applicare Missam pro Populo omnibus diebus Festis, vel potius sufficiat Missa Conventualis, quæ a Capitulo per Turnum quotidie applicata fuit, & applicatur pro Populo. *Et quatenus affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam.*

II. An Capitulum ultra Missam Conventualem teneatur per Turnum omnibus diebus festis applicare aliam Missam pro Propulo, *& quatenus negative.*

III. An

III. An Capitulum teneatur præstare Canonico Parocho Eleemosynam pro applicatione Missæ pro Populo.

IV. An Canonicus Parochus teneatur singulis diebus festis sermonem habere ad Populum post lectum in Missa Evangelium, vel potius servanda sit consuetudo explicandi Evangelium post doctrinam Christianam haberi solitam a Parocho in Ecclesia Cathedrali.

V. An servanda sit Consuetudo intermittendi doctrinam Christianam Mense Octobris, & Mense Decembris usque ad diem 13. Januarii, aliisque diebus impeditis in casu &c.

Ad I. Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam. Ad II. provisum in primo. Ad III. Dilata. Ad IV. Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam. Ad V. Negative.

Die Sabbathi 29. Augusti 1744.



VIGILIEN. Indulgentia Amplissimi Ordinis dilata fuit Causæ hujusce propositio in ultima Congregatione, quæ habita est *die 8. mensis hujus sextilis*: Rogamus itaque Eminentissimos Patres, ut eadem humanitate, qua, postulante Capitulo Vigiliensi dilationem indulserunt, velint nunc Folium Congregationis illius iterum inspicere, quo possint tria, quæ proponuntur, Dubia definire. *Sess. 22. c. 3. & 4. sess. 21. c. 3. de ref.*

I. An & a quo tempore debeatur Decano participatio obventionum, Legatorum, aliorumque comprehensorum in Resolutione Sac. Congregationis 23. Julii anni 1729. & 19. Augusti anni 1730.

II. An juxta præcitatam resolutionem eidem Decano debeatur participatio tam Missarum adventitiarum, quam Anniversariorum certam fundi assignationem non habentium, sed quæ annuatim per hæredes solvuntur.

III. An idem Decanus participare debuerit, & debeat de punctaturis, de Censibus extra portionem, de redditibus Canonicatuum vacantium usque dum provideantur, & etiam de aliis emolumentis, quæ in fine anni per Procuratorem Capituli, sive in Cera, sive in pecunia Capitularibus distribui solent.

Ad I. deberi a die captæ possessionis. Ad II. & III. Affirmative.

COLONIEN. BENEPLACITI: Jussu sacri hujus Senatus hæc Causa proponitur, nam in Congregatione habita *die 18. transacti mensis Julii* responderunt Eminentissimi Patres *Dilata ad primam post sequentem*: Cum vero *in Folio illius Congregationis* rei species, & Capituli Coloniensis rationes late fuerint collectæ, poterunt nunc illas ex eodem folio repetere, ut decernant. *Sess. 25. c. 11. de ref.*

An Beneplacitum Apostolicum sit concedendum in casu &c.

Negative, & amplius.

COMEN.

Seff. 21. c. 4. de Ref.

COMEN. DISMEMBRATIONIS: Pugnam inſtaurat Ripariæ Populus victus a Propoſito, & Populo Bironici in Congregatione habita die 18. *tranſacti menſis Julii*, qua die, propoſito Dubio *An eſſet ſtandum, vel recedendum a Deciſis*, reſponſum fuit ab Eminentiſſimis Patribus *Prævio receſſu a Deciſis negative*: Ad hos itaque animorum contrarios motus componendos, diuturnaque certamina dirimenda, juvabit plurimum Folia Congregationum habitarum *die* 18. *Maii anni* 1743. *& die* 27. *ſuperioris menſis Junii* iterum legere; ut Eminentiſſimis Patribus æquiſſima, juſtiſſimaque optio ſit, & arbitrium definiendi.

An ſit ſtandum in primo, vel ſecundo loco Deciſis in caſu &c.

Nihil de ſubdelegatione Judicis in partibus pro deputatione Periti, & proponatur in prima etiam unica.

Seſs. 22. Dec. de obſer. & evit in celeb. Miſsæ. Seff. 24. c. 7. de reform.

HORTANA: Propoſita fuit hæc cauſa in ultima Congregatione, datis quinque Dubiis, & reſponſum fuit ab Eminentiſſimis Patribus. Ad I. affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam: Ad II. negative: Ad III. dilata: Ad IV. affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam: Ad V. negative Poterunt nunc igitur Eminentiſſimi Patres, repetita illius Folii lectione. III. Dubium definire, & reſpondere.

III. An Capitulum teneatur præſtare Canonico Parocho eleemoſynam pro applicatione Miſſæ pro Populo.

Etiam ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis quoad I. II. IV., & V.

Ad III. Affimative, in reliquis in deciſis.

Seſs. 5. c. 2. & Seff. 24. c. 18. de ref.

ROMANA JURIUM PAROCHIALIUM: Controverſia orta eſt inter Joſephum Carmignanum *Vicarium perpetuum* Baſilicæ D Mariæ Transtyberim, & Federicum Scamardam *Coadjutorem perpetuum* ejuſdem Baſilicæ, dum enim Carmignanus Scamardæ imperare cupit, eumque, uti inferiorem, in ordinem redigere vult, dum contra Scamarda Carmignanum parem tantum agnoſcit, non vero Dignitate; & Juribus altiorem, ac potentiorem, jurgia orta ſunt, diſſidia, tumultus, & animorum contentiones, quæ ſi averruncari, atque avelli debent e cordibus hominum Sanctiſſimi Divinæ Legis Præceptis atque inſtitutis, eo amplius abigi, atque abeſſe deberent longiſſime a Sacerdotibus, Sacriſque Miniſtris: Re igitur ad Forum delata, atque ad hunc Ampliſſimum Ordinem, auditaque ſententia cum Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii Urbis, tum Eminentiſſimi Cardinalis Titularis, ex facto compertum eſt vetuſtiſſimam illam Baſilicam ampliſſimam dudum habuiſſe Parochiam, quæ nedum intra Urbem, ſed extra illius mænia late protenſa; ſpatio milliariorum fere triginta circumſcribebatur. Plena pridem illius cura apud Capitulum erat: Poſt cognitiſſimam vero Pianam Conſtitutionem, diviſa actuali ab habituali, quæ pœnes Capitulum adhuc eſt, translata fuit actualis in Vicarium, qui a Capitulo nominabatur, cuique congrua portio annuorum ſcut. 80. ſolvebatur partim a Capitulo, partim a Cardinali Titulari.

Quia vero nulli in ea Baſilica erant Beneficiarii, Gregorius XIII. Pontifex optimus maximus anno 1572. tres finitimas Parochias SS. Blaſii, Laurentii, Rufinæ, & Secundæ, cura ſublata, Baſilicæ univit, earumque redditibus quinque Beneficiariorum Collegium in illa conſtituit, *ita tamen* Conſtitutionis verba ſunt, *quod ex fructibus hujuſmodi ſcuta* 160. *detrahi debeant, ex quibus octuaginta in ipſorum Capituli utilitatem tantum*

tum cedere, reliqua vere prædicto Vicario assignari debeant, atque ita Cardinalem Titularem a præstatione partis congruæ, quæ Vicario solvebatur, liberavit. Ne vero augumento, atque accessione trium Parochiarum Populus universus aliquid detrimenti caperet *Unam perpetuam Vicario &c. qui Parochianorum Animarum Curæ Rectorem in Exercitio Ecclesiæ hujusmodi adjuvet*, erexit, eique dicta scuta octuaginta assignavit: atque ita Basilica illa post hanc Gregorii Constitutionem duos habuit Vicarios.

Aliam inde ingressus est viam Clemens VIII. Princeps Providentissimus, nam Constitutione sua lata anno 1594. duas has Vicarias substulit, atque extinxit, ut & duas alias Cappellanias in Altari SS. Philippi, & Jacobi, easque Collegio Beneficiariorum univit, quorum numerum auxit aliis tribus, distributis, æquis portionibus, inter eos redditibus: Voluit autem, ut ex Beneficiariis unus sit Vicarius perpetuus ipsius Ecclesiæ, qui curam animarum dictæ Ecclesiæ imminentem administrare, & exercere, & alter, qui eumdem Vicarium perpetuum in exercitio curæ hujusmodi coadjuvare debeat, atque hi una cum aliis unum vero Beneficiariorum Collegium facerent, servatoque ordine antiquitatis in Choro, ac Processionibus, aliisque publicis, & privatis actibus sederent, atque incederent. Utque Vicarius perpetuus, & Coadjutor curæ animarum, & commodius & diligentius incumberent, voluit, ut emolumenta incerta, quæ a duobus Vicariis perpetuis ratione curæ percipi solebant inter Vicarium perpetuum & Coadjutorem æqualiter dividerentur, iisque habitatio Ecclesiæ contigua præstaretur.

Ne vero Legi Fundationis Cappellaniarum in Altaris SS. Philippi, & Jacobi fraus fieret, statuit Clemens, ut Vicarius perpetuus, & Coadjutor, qui saltem Missam quotidianam alternis hebdomadis celebrare tenentur, & soliti sunt, dictam missam ad prædictum Altare, celebrare deberent, & tenerentur. Hanc demum inter Vicariam perpetuam, & Coadjutorem voluit esse differentiam, ut Vicarii perpetui approbatio in concursu, Coadjutoris vero approbatio ab Examinatoribus in Urbe Deputatis absque concursu per ipsius Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem libere conferretur. Hæc habet Clementina Constitutio, in qua hujus rei caput est. Post hanc Constitutionem ad nostra hæc tempora, & Vicarium perpetuum & Coadjutorem curam animarum promiscue exercuisse, semperque habitos fuisse uti æqualiter *Curatos* Amplissimi S. R. E. Cardinales Titularis Ecclesiæ, & Urbis Vicarius in eorum Epistolis conveniunt, quod etiam liquido constat ex iis, quæ ex facto proponuntur. Quæ vero Juris sunt e libellis postulatorum Eminentissimi Patres cognoscere poterunt, ut ea, quæ sacro eorum pectori inest Jurisprudentia, septem, quæ sequuntur dubia, definire possint.

I. An Cura actualis Basilicæ S. Mariæ Transtyberim resideat poenes solum Vicarium perpetuum, sive potius illa resideat promiscue & cumulative penes Coadjutorem perpetuum, *& quatenus negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam*.

II. An eidem Coadjutori perpetuo liceat exercere actus Parochiales Jure proprio, & independenter a dicto Vicario perpetuo, & signanter assistere matrimoniis, baptizare, & illorum partitas in libris adnotare, & ex illis quascumque fides extrahere, nec non canere, seu legere Missam præsente Cadavere, administrare Sacramenta Sanctissimæ Eucharistiæ præsertim tempore Paschali, & alios quoscumque actus ad Curæ exercitium spectantes, sive potius omnia gerere debeat cum scientia, ordine, & dependentia dicti Vicarii perpetui.

III. An in omnibus supradictis actibus veniat idem Vicarius præferendus in casu &c.

IV. An

IV. An Vicarius perpetuus requisitus a Parochianis degentibus tam intra, quam extra Urbem in vineis teneatur per se ipsum ad illos quocumque tempore accedere, eisque Sacramenta administrare, seu potius hoc onus ad sui libitum refundere valeat in Coadjutorem perpetuum, vel in casu impedimenti tantum.

V. An Missæ in diebus Festis applicandæ pro Populo veniant alternatim per eosdem celebrandæ, sive potius applicari debeant a solo Vicario perpetuo in Casu &c.

VI. An dicto Coadjutori perpetuo liceat tam in subscriptionibus, quam in cæteris actibus adhibere nomen Curati, vel Curati Coadjutoris dictæ Basilicæ, seu potius uti tantum liceat nomine Coadjutoris, seu Coadjutoris Vicarii perpetui, vel Coadjutoris personalis dicti Vicarii.

VII. An liceat d. Vicario perpetuo tam in subscriptionibus, quam in aliis actibus ultra Titulum Vicarii perpetui superaddere nomen Parochi d. Basilicæ, sive potius uti tantum debeat Titulo Vicarii perpetui in Casu &c.

Ad I. Negative quoad primam partem Affirmative quoad secundam. Ad II. Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam. Ad III. IV. & V. ad mentem, & mens est quod exercitium curæ dividatur, itaut alternatim per hebdomadas unus exerceat intra, alius extra Urbem incipiendo a Vicario perpetuo, & eadem alternativa locum habeat in applicatione Missæ pro populo. Ad VI. Coadjutorem uti debere nomine Coadjutoris perpetui tantum. Ad VII. Vicarium uti debere nomine Vicarii perpetuii tantum.

Sess. 14. c. 12. Sess. 22. c. 8. de ref.

NULLIUS, SEU FARFEN. MOMTIS FRUMENTARII: Ne caritas annonæ ex caritas annonæ ex incultis agris veniret, neve ii, quibus res domi angusta erat, fame perirent, statuit sodalitium Sanctissimi Sacramenti, quod est in Ecclesia Collegiata in Parochiali S. Michaelis Archangeli Suburbii Reatis horreum, Ædemque Cerealem, seu Montem Frumentarium ut vocant, constituere certis legibus, quibus Mons hic administraretur. Coacto igitur anno 1661. Sodalium Concilio, duo quæsitores electi fuerunt, qui frumentum quærerent, quo Mons erigi posset: Horreum condendo frumento dedit, & nunc dat Sodalitium nulla pensione: Collecti fuerunt modii, seu ut dicunt *Rubra* undecim, atque horum tres præstitere Sodales: Placuit e numero dispensatorum frumenti, quos dicunt *Grascieri*, aliisque muneribus eos excludere, qui frumentum non contulissent: Quæ contulerunt Familiæ fuerunt numero triginta septem, atque his datum est jus coeundi, suffragia ferendi, munera exercendi, unde numerarii dicti sunt, qui in hoc numero, Collegio, seu Congregatione Montis Frumentarii essent.

Inter leges, quas sibi hic numerus constituit, quasque probavit, confirmavitque Franciscus Barberinius S.R.E. Cardinalis Amplissimus, atque Abbatiæ Farsensis Commendatarius Abbas, hæ fuerunt, ut *in d. Congregazione, o numero* ipsa sunt legum verba, *possa o debba intervenire il Priore pro tempore della suddetta Compagnìa del Santissimo Sagramento, se non fosse impedito per legitima causa*. Ut duo dispensatores, seu *Grascieri* singulis annis eligerentur, qui pauperibus Suburbii tantum distribuerent frumentum, si aliis extra Snburbium distribuerentur, munere illo removerentur, & numero ejicerentur, pœna quoque alia adjecta, ut proprio frumento Montem redintegrare, & de quantitate aliis extra Suburbium mutuo data sarcire tenerentur: Ut iidem dispensatores sibi caverent, nam si qua fru-

frumenti quantitas exigi non posset, eorum id periculo esset, qui deberent eandem Monti restituere: Utque demum Cancellarius numeri esset, cui suffragii jus ademptum est, nisi in numero, & Collegio esset, atque hic decreta in codice, librumque referret.

His constitutis, atque hoc rerum ordine ventum est ad annum 1729, quo cum deliberandum esset, an certa frumenti quantitas præstanda esset, ut Turris ædificari posset ad Ecclesiam S. Michaelis, coacto numero, auditi fuerunt, & suffragium tulerunt Sodales Sanctissimi Sacramenti una cum aliis numerariis, sed tandem defectis triginta septem Familiis, superstitibus tantum sexdecim rudibus, atque imperitis, Sodalitium preces obtulit Vicario Generali Farfensi, ut leges Montis observarentur, utque deficientium Familiarum numerus Sodalibus impleretur, sed a Vicario rejectum fuit. Placuit igitur Sodalitio Amplissimum hunc Ordinem adire, auditoque jam, ut fieri solet, Eminentissimo Abbate Commendatario, postulant Sodales, ut serventur leges, & statuta Montis, ut in locum deficientium Familiarum substituantur totidem Sodales, quod etiam precibus oblatis petunt tresdecim e superstitibus numerariis, ut demum pœna ab iisdem legibus in dicta plectantur Dispensatores, qui in eas leges peccarunt.

Congregatio numerariorum nondum jurium suorum libellum dedit, sed ex his, quæ ex facto proponuntur, difficile non erit Eminentissimis Patribus definire.

I. An in Congregationibus omnibus concernentibus interesse Montis Frumentarii erecti a Societate Sanctissimi Sacramenti advocari, & intervenire debeat Prior d. Societatis.

II. An quolibet anno sit eligendus Cancellarius dicti Montis, & ad tale officium exercendum sit assumendus alter ex Confratribus dictæ Societatis.

III. An in locum Familiarium extinctarum, quæ inter numerantes ejusdem Montis adscriptæ reperiebantur, subrogari, debeant totidem ex confratribus dictæ Societatis.

IV. An Constitutiones ab initio factæ pro bono regimine dicti Montis fuerint legitimæ factæ, itaut hodie sint observandæ, *& quatenus affirmative*.

V. In quas pœnas inciderint earumdem transgressores in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

COMPOSTELLANA SEU LUCEN. MATRIMONII. Mutuo amore perciti Maria Antonia Mosquera Valdeveso Montenegro nobilis puella Lucensis, & Franciscus Xaverius Zedron Ulloa Vezzerra ejusdem Civitatis, connubioque jungi cupientes, clam Patruelem Francisci, a quo hic metuebat, Matrimonium contraxerunt; nam Franciscus collatis consiliis cum Andrea Mariæ Antoniæ Fratre, a quo eam sibi in uxorem dari postulaverant, preces obtulit Vicario Generali Lucensi, quas subscripsit nomine tantum Francisci Zedron, subscripsitque etiam Maria Antonia Mosquera, quibus petebant, ut denunciationes remitteret, & potestatem faceret cuicumque Sacerdoti, ut matrimonio contrahendo præsens esset. Vicarius tabellioni mandavit, ut de utriusque libertate certior fieret; Tres igitur testes dati sunt, qui de libertate Francisci Zedron & Mariæ Antoniæ Mosqueræ testimonium tulerunt, quos inter Andreas erat Mariæ Frater. His perspectis Vicarius denunciationes remisit, potestatemque fecit cuilibet Sacerdoti, ut matrimonio præsens esset sine detrimento Jurium parochialium. Matrimonium contractum fuit die 14. Julii anni 1736. & a Sacerdote, qui præsens fuit, data est illius testificatio

Sess. 14. c. 1. de ref. Matr.

subscripta a conjugibus, integris nominibus, & cognominibus, relatumque etiam fuit in libros Parochiæ.

Non diu latuit contractum connubium, quod cum rescivit Francisci Patruelis, omnem operam dedit, ut de validitate illius in judicio ambigeretur Vicarius Generalis Lucensis deceptum sese turpiter clamans ab Andrea; quam putasset connubium contrahendum esse a Maria Antonia Mosquera cum alio Zedron Villæ Sarriæ, qui ortum habuit Nogueiræ, quique tamen non Franciscus, sed Joseph Antonius vocabatur, & Andream, & testes, & Sacerdotem, qui matrimonio præsens fuerat, in carceres compegit, atque ita furore, iraque abripi passus est, ut spreta amica monitione Metropolitani Judicis, durioribus vinculis eos onoraverit, ideoque coactus fuit Metropolitanus appellationem a Maria Antonia interpositam accipere. & Causam in Tribunali suo retinuit, quam tamen definire non potuit, sed pertæsus moræ, quæ injiciebatur a Francisci Consanguineis, adire partes jussit hunc Sacrum Senatum, præstituta iis certa die, ut acta transferrentur.

Post hæc Franciscus Xaverius Zedron Ulloa a Vezzerra metu Patruelis solutus sese in plenam voluntatis suæ libertatem recipit, publicoque actu juratus declaravit Mariam Antoniam Mosqueram in Matrimonium duxisse, & liti cessit, quam substinuerat Patruelis, & consanguineorum imperio, rogavitque amplissimos Patres, ut Matrimonium, quod contraxit, justum, legitimumque declarent. Cum igitur nunc Causa isthæc proponatur, sperni postulant conjuges quæstiones Vicarii Generalis Lucensis de dolo, quo captus est errore nominis, nam & ille diligentius munus suum implere debebat, cum omnibus, & præsertim Judici in re tam gravi, turpe sit dicere non putabam, & error ille, qui non versatur in substantia rei, sed in extrinsecis, cum constet de persona, cum vere conjux Franciscus Zedron vocaretur, matrimonium injustum irritumque non faciat, ut probe distinguentes tradunt *Barbosa ad Concl. Trid. Sess. 24. cap. 1. de ref. Mat. num. 4. & de Parochis cap. 21. num. 70. & Vot. decis. 17. num. 35. & Vot. 19. per tot. Just. de dispens. Matr. lib. 2. cap. 19. num. 92. & Card. de Luca de Matrim. disc. 1. num. 22.*

Ex his poterunt Eminentissimi Patres liquido definire.

An constet de validitate Matrimonii in Casu &c.

Sess. 7. c. 4. de Refor. & Sess. 24. c. 17. de refor.

CASTRIMARIS PRIMICERIATUS. Visitationibus Episcoporum, decretisque Capitularibus, Urbani VIII. Pontificis Optimi Maximi Constitutione confirmatis cautum est, ut nullus in Capitulo Ecclesiæ Castrimaris Dignitatem obtinere possit, nisi Canonicus sit illius Capituli. Dignitates in illo sunt quinque; altera earum Primiceriatus est, cujus Juspatronatus habet Capitulum: Huic Dignitati adnexa est præbenda annuorum Carolenorum septem, cæteri redditus sunt ex distributionibus quotidianis, nam in illo Capitulo nullæ sunt præbendæ, & licet defunctus Episcopus Beneficium simplex S. Marci veteris Canonicatibus Theologali, & Pœnitentiario unire voluerit, res tamen affectionum causa infecta erit semper.

Morte obita ab Antonio Greco anno 1742. obtigit vacatio Primiceriatus; coactoque Capitulo, ut alter Primicerius nominaretur, controversia continuo orta est, nam Canonicus Onuphrius Comparatus protestationem emisit, qua declarabat non posse nominari Marinum Avytajam, qui Canonicatum Theologalem obtinebat, si forte hæc mens esset Capituli, quod Primiceriatus, & Canonicatus Theologalis in una persona compati non possent. Hinc controversiæ, & dissidia inter Canonicos, quæ ad hanc usque diem comprimi, & componi non potuerunt: Præces igitur

oblatæ

oblatæ fuerunt sacro huic Tribanali, ut definiret, an Dignitas illa, & Canonicatus Theologalis in una persona esse possent, & si non posse videretur, rogabant, ut ab amplissimis Patribus dispensatio indulgeretur. Placuit rescribere, ut Episcopus, auditis interesse habentibus, referret, sententiamque suam aperiret: Rogati Canonici, quid fieri placeret, solita animorum contentione, & discordia transacta res est.

Qui tunc Ecclesiæ illi præerat Episcopus, rem omnem Epistola sua diligenter narravit, censuitque optimum fore, si a Sede Apostolica Primiceriatus ea vice conferretur sive in Canonicum Theologum, sive in Canonicum Pœnitentiarium, utrique enim optimis moribus præditi erant, & pares in opinione Civium probitate, & doctrina, aliorum nullam habendam esse rationem. Posse vero Dignitatem Primiceriatus, & Canonicatum sive Theologalem, sive Pœnitentiarium in una persona uniri, cum hi Canonicatus præbendam non habeant, & consuetudine aliarum Ecclesiarum Cathedralium Regni Neapolis receptum sit Dignitates Canonicatibus dari sive Theologali sive Pœnitentiario. Quia vero interim fugerat tempus nominationi datum, & metuebat Marinus Avitaya, ne Dignitatem a Sede Apostolica ex jure devolutionis quæreret Onuphrius Comparatus, & obtineret satius duxit eum occupare, & Dignitatem petiit a Summo Pontifice, obtinuitque, adjectis tamen in literis verborum cautionibus -- Pro hac vice &c. Salvo jure Capituli &c.

Movit hæc res Canonicorum animos, indictoque Capitulo deliberatum est, an lis esset agenda: iterum in partes itum: protestatio ab aliquibus emissa fuit de lite non agenda, & impensis, si ageretur, non repetendis; iterum ad hoc Sacrum Tribunal res delata est; Placuitque novum audire Episcopum, qui tandem contra Avitayam respondit, accusatus ob id in illius libello, quod vellet dignitatem in Vicarium suum generalem conferri, jure vel injuria ignoratur, nec ad rem plurimum pertinet, nam quæ facti sunt, facile probari possunt. Nunc igitur, omnibus interesse habentibus in Jus vocatis, postulat Marinus Avitaya authoritate amplissimorum Patrum definiri posse eum & Canonicatum Theologalem, & dignitatem Primiceriatus assequi, & retineri.

Monstrat nullam esse repugnantiam tum ex jure, tum ex consuetudine; Et ex Jure quidem quod Dignitas, & Canonicatus præbendas non habeant, & spernandam esse tenuissimum illum redditum Carolenorum septem, in hac enim tenuitatem nihil obesse, quo minus plura beneficia consequi posset; Ex consuetudine vero, quod hoc jure utantur plures Neapolitani Regni Cathedralis Ecclesiæ, hoc jure utantur Hispaniarum Ecclesiæ, urgetque in hanc rem Pitonii disceptationem 83. & sacri hujus Tribunalis definitionem *in Oscen. Canonicatus Pœnitentiarii* 15. *Januarii anni* 1724. quæ *vol.*3. *Thesaur. Resol.* 5. *Congr. pag.*2. in lucem hominum edita fuit.

Ex his, aliisque, quæ ab Avitaya tantum proponuntur, nam a Comparato aliisque Canonicis nihil hactenus datum est poterunt Eminentissimi Patres respondere.

An liceat moderno Canonico Theologo Ecclesiæ Cathedralis Castrimaris assequi, & simul retinere dignitatem Primiceriatus cum asserta præbenda de Jurepatronatus ejusdem Capituli in casu &c.

RAVENNATEN., SEU FERRARIEN. JURISDICTIONI. Causam dedit huic quæstioni de Jurisdictione, quæ agitur inter Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis, & Metropolitanæ Ravennæ, & Promotorem Fiscalem Curiæ Legationis Ferrariæ lis acta primum coram Episcopo Comaclensi, inde coram Metropolitano Ravennæ, in qua lite pars, quæ victa fuerat, appellavit ad Curiam Legationis Ferrariæ, quæ *Sess. 25. c. 7. de Ref.*

appellationem accepit. Hinc horta est inter has Curias quæstio, cujus definitio utriusque Curiæ consensu amplissimis Patribus data est, & postulat nunc Promotor Fiscalis Curiæ Metropolitanæ Ravennæ, ut declaretur non posse Curiam Legationis Ferrariæ Appellationes accipere a Sententiis Judicis Metropolitani Ravennatis.

Duo siquidem esse universæ hujus quæstionis capita: Primum, quo quæri atque ambigi potest, an Tribunal Eminentissimi Legati jus habeat cognoscendi ad Appellationes in iis causis, in quibus Metropolitæ sententiam tulerunt uti Judices Appellationum a Sententiis Episcoporum suorum, atque hoc casu intendit nullum Jus esse posse Tribunali Eminentissimi Legati; a Judicio siquidem Metropolitæ appellari tanti potest ad Sedem Romanam ut est *in Can. si quis putaverit, & in can. quoties 2. quæst.6.* non enim versamur in Legatis a Latere extraordinariis, quorum amplissima est, & penè eadem, quæ Pontificis Maximi Jurisdictio, & potestas, sed res est delegatis Ordinariis, & Rectoribus Provinciarum, qui veteribus Proconsulibus, Prætoribusque, ac Præsidibus Provinciarum suffecti sunt, ut probe monet & distinguit Eminentissimus Petra in laboriosis suis, doctisque *Commentariis ad Constit.3. Innocentii III. sect.1. num.11. vol.2. pag.84.* ideoque cum hi personam Principis Laici substineant, & representent, amplissima licet Jurisdictione fruantur, nequeant causas appellationis Jure tractare & cognoscere, quæ tractatæ prius fuerunt, & digestæ in Tribunalibus Ecclesiasticis, inde ad Tribunal Metropolitanæ delatæ sunt.

Et licet Mandatis Summorum Pontificum potestas fiat Provinciarum Legatis cognoscendi ad appellationes causarum, quæ definitæ sunt ab Episcopis, ut latius exequitur eodem loco Eminentissimus Petra, hæc tamen mandata Jurisdictio latior esse non potest, quam sit in Mandatis Principalibus, ut porrigi, & protendi non possit ad appellationes causarum, quæ in Metropolitis uti Judicibus appellationum definitæ fuerunt. Præsertim cum iisdem mandatis cumulativa dari soleat Legatis Provinciarum jurisdictio cum Archiepiscopis, & in concursu jurisdictionis Præventioni sit locus, ut consequens efficiatur in hac jurisdictionis æqualitate non posse a Legatis hac recipi appellationes, quia par in parem non habet imperium, & jurisdictionem; appellatio vero judicis ad quem appellatur, jurisdictionem, potestatemque majorem desiderat.

Alterum vero quæstionis hujus esse caput, ut inquiramus, an etiam si Eminentissimus Cardinalis Ferrariæ Legatus jus haberet cognoscendi ad appellationes harum causarum, hoc tamen jus habet in causis, in quibus Metropolitanus Ravennæ sententiam dixit, quod iterum negat Promotor Fiscalis Curiæ Metropolitanæ ob diversitatem Provinciarum, nam alia est emiliæ, alia Ferrariæ Provincia, & cognitissimum est Jurisdictionem cujusque Judicis Territorio suo terminari, & circumscribi, ut si Legatis Provinciarum hoc jus cognoscendi ad has appellationes dandum esset, non Eminentissimo Ferrariæ Legato, sed alteri Æmiliæ jus esset, licet agatur forte de personis aut rebus, quæ subsunt Metropolitano Ravennæ, sed intra fines sunt Jurisdictionis temporalis Legationis Ferrariæ, appellationes enim a persona Judicis, a quo appellatur, normam accipiunt, & a jurisdictione Judicis, qui, sententia lata, officio suo functus est, metitur jurisdictio alterius, qui ad appellationem cognoscere debet, non vero litigantium qualitas spectatur: Atque ita demum quæstionem hanc, quæ dudum inter Piceni Legatum, & Archiepiscopum Firmi tractata fuit, definitam fuisse ab hoc Sacro Tribunali die 25. Augusti anni 1606. ut est apud *Ricciardellum in Lyceo Ecclesias, vol.1. cap.8. §.4. num.20.*

Hæc habet Promotor Fiscalis Curiæ Metropolitanæ, ab altero nihil hactenus datum est: Videant itaque Patres Amplissimi, qua juris ratione respondendum sit.

An

. r. in Caifis, quæ a Judicatis Suffraganeorum Provinciæ Ravennatensis in prima instantia devolvuntur in secunda ad Curiam Metropolitanam Archiepiscopi Ravennæ, possint deinde admitti appellationes ad Curiam Legationis Ferrariæ in casu &c.

Die Sabbathi 19. Septemb. 1744.



Uas hic subjicimus, quatuor Causæ in ultima Congregatione, quæ habita est die 29. transacti mensis Sextilis, propositæ non fuerunt, ut ad earum species, & rationes memoria repetendas non inutile futurum sit Folium illius Congregationis iterum legere, quo possint Amplissimi Patres ea, qua præstant Jurisprudentia, illas definire.

NULLIUS SEU FARFEN. MONTIS FRUMENTARII: In qua quinque Dubia proponuntur. *Sess. 14. c. 12. Sess. 22. c. 8. de reform.*

I. An in Congregationibus omnibus concernentibus interesse Montis Frumentarii erecti a Societate Sanctissimi Sacramenti advocari, & intervenire debeat Prior d. Societatis.

II. An quolibet anno sit eligendus Cancellarius dicti Montis, & ad tale officium exercendum sit assumendus alter ex Confratribus dictæ Societatis.

III. An in locum Familiarium extinctarum, quæ inter numerantes ejusdem Montis adscriptæ reperiebantur, subrogari, debeant totidem ex confratribus dictæ Societatis.

IV. An Constitutiones ab initio factæ pro bono regimine dicti Montis fuerint legitimæ factæ, itaut hodie sint observandæ, *& quatenus affirmative*.

V. In quas pœnas inciderint earumdem transgressores in casu &c.

Ad primum, affirmative. Ad secundum, affirmative quoad primam partem salva facultate confirmandi, & quoad secundam partem, electionem faciendam esse arbitrio Numerariorum, & per suffragia secreta. Ad tertium, negative. Ad quartum, affirmative. Ad quintum, ad Emum Ordinarium juxta Constitutiones, & amplius.

COMPOSTELLANA, SEU LUCEN. MATRIMONII: Qua quæritur. *Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.*

An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

Affirmative renovato consensu ad Cauthelam.

CA-

Sess. 7. c. 4. de ref.

CASTRIMARIS PRIMICERIATUS: In qua disputatur.

An liceat moderno Canonico Theologo Ecclesiæ Cathedralis Castrimaris assequi, & simul retinere dignitatem Primiceriatus cum asserta Præbenda de Jurepatronatus ejusdem Capitali in casu &c.

Negative.

Sess. 22. c. 7. de ref.

RAVENNATEN. SEU FERRARIEN. JURISDICTIONIS: In qua respondendum est.

An in Causis, quæ a Judicatis suffraganeorum Provinciæ Ravennatensis in prima instantia devolvuntur in secunda ad Curiam Metropolitanam Archiepiscopi Ravennæ, possint deinde admitti appellationes ad Curiam Legationis Ferrariæ in casu &c.

Dilata.

Sess. 21. c. 4. de ref.

COMEN. DISMEMBRATIONIS. Petiit Ripariæ populus in ultima Congregatione, qua Causa isthæc proposita fuit, ut ab amplissimo ordine mandaretur judici Municipali jurisdictio, quo possent eligi periti, & testes *formiter repeti*, sed rejectus fuit respondentibus, ut par erat, Eminentissimis Patribus *Nihil de Subdelegatione Judicis in Partibus pro deputatione periti, & proponatur omnino in prima Congregatione etiam unica*: Obsequimur itaque amplissimi Ordinis voluntati, & causam proponimus, rogantes tantum, ut velint Eminentissimi Patres ea, qua solent, humanitate Folia Congregationum, quæ habitæ fuerunt die 18. Maji anni 1743., & die 27. Superioris mensis Junii iterum evolvere, quo respondere possint.

An sit standum in primo vel secundo loco decisis in casu &c.

In secundo loco decisis, & amplius.

Sess. 22. c. 11. de reform. & Sess. 22. Decret. de obser. & evit. in celebr. Miss.

IMOLEN. PLURIUM: Causæ hujus, quæ XXVI. capita complectitur, definitionem placuit Eminentissimis Patribus differre tum in Congregatione habita die 23. Novembris superioris anni 1743. qua duo tantum dubia dabantur, tum in alia, quæ habita est die 8. transacti mensis Augusti: Cum nunc itaque jussu Amplissimorum Patrum proponatur, poterunt illarum Congregationum folia repetere, ut definiant.

I. An constet de validitate Censuum sc. 800. *& quatenus negative* in casu &c.

II. An sit locus sanatoriæ in casu &c., *& quatenus negative*.

III. An impositores teneantur de proprio ad redemptionem eorumdem censuum.

IV. An impositio census scutorum mille facta a Canonicis olim Sanctæ Mariæ Lugi prævio Rescripto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium sit legitime facta, *& quatenus affirmative*.

V. An dicti Canonici teneantur etiam de proprio dictum censum redimere, & respective deponere ratas partes, quæ juxta legem præscriptam in beneplacito deponi singulis annis debuisset.

VI. An impositio primi census sc. 1500. facta a Canonicis olim S. Jacobi sit legitime facta, *& quatenus negative*.

VII. An iidem Canonici teneantur similiter de proprio dictum censuum redi-

redimere, & respective deponere ratas partes, quas non deposuerunt juxta formam præscriptam in Bulla erectionis Collegiatæ Sancti Jacobi.

VIII. An ex redditibus ambarum Collegiatarum suppressarum sit constituenda usque a principio una indivisibilis Massa, & unus tantum Administrator, sive potius duæ Massæ separatæ usque ad reductionem numeri in casu &c.

IX. An lucra provenientia ex punctaturis, & absentiis Capitularium manus dexteræ Collegiatæ Sanctorum Petronii, & Prosperi Terræ Lugi a die unionis usque ad præsens accrescant solis interessentibus dictæ manus dexteræ, sive potius omnibus interessentibus, sive sint manus dexteræ, sive sinistræ in casu &c.

X. An Legata Missarum jam prius relicta tam Canonicis olim S. Mariæ, quam Canonicis olim S. Jacobi satisfieri debeant post unionem ab unaquaque parte respective, sive potius ab omnibus indiscriminatim in casu &c.

XI. An Canonici, vel Mansionarii manus dexteræ fere numquam interessentes Choro, debeant participare de emolumentis provenientibus ex Missis, Funeralibus, & aliis Functionibus, sive potius de illis tantum, quibus assistunt, & ab ipsis respective celebrantur in casu &c.

XII. An sit destinanda certa dies pro Sessionibus Capitularibus in quolibet mense, seu potius sit servanda Constitutio nona.

XIII. An ad legitimas Resolutiones Capitulares debeat attendi major pars suffragiorum respective ad omnes Capitulares, sive potius sit necessarius concursus duarum ex tribus partibus, ut præscribitur in Capitulis Constitutionum in casu &c

XIV. An Constitutiones Capitulares approbatæ ab Episcopo pro bono regimine Capituli sint observandæ in casu &c.

XV. An stante expressa concessione manus dexteræ & loci dignioris facta favore Capitularium olim S. Mariæ in Bulla unionis pro omnibus & singulis Actibus, & Functionibus substineatur dispositio contenta in c. 19. Constitutionum in casu &c.

XVI. An soli Capitulares olim S. Mariæ teneantur præstare sive supplere commodum octo Missarum pro qualibet die requisitarum a Bulla unionis in Ecclesia S. Francisci de Paula, seu potius per Turnum teneantur etiam Capitulares olim S. Jacobi in casu &c.

XVII. An Legata Missarum relicta Capitularibus olim Sanctæ Mariæ absque determinatione Ecclesiæ, Altaris, vel diei debeant satisfieri in nova Collegiata, ut disponitur in cap. 20. Constitutionum, sive potius in qualibet Ecclesia benevisa ipsis Capitularibus in casu &c.

XVIII. An ad expensas communes puta pro Sacris suppellectilibus, cera, ministris &c. debeant concurrere Capitulares utriusque manus in capita, ut disponitur in cap. 12. Constitutionum, sive potius unaquæque Pars æquis portionibus in casu &c.

XIX. An Capitularibus impeditis competat indefinite facultas substituendi ad interessendum functionibus, sive potius sit servanda dispositio c. 2. Constitutionum in casu &c.

XX. An cogi possint Canonici manus dexteræ ad interessendum Processioni Sanctissimi Sacramenti, quæ fit in Collegiata in qualibet Dominica prima mensis post Missam solemnem in casu &c.

XXI. An Præpositus Parochus Collegiatæ teneatur invitare ad funera suorum Parochianorum Capitulares utriusque manus per Turnum, sive potius alios Presbyteros suæ Parochiæ sibi benevisos in casu &c.

XXII. An Præpositus absque consensu Canonicorum manus dexteræ explere possit

possit in Collegiata Festa devotionis, quæ vel protrahunt officium Chori, vel retardant horam præscriptam ad illud in casu &c.

XXIII. An modernus Præpositus novæ Collegiatæ tamquam effectus Parochus Generalis ambarum Collegiatarum suppressarum, & tamquam Successor in Juribus prædefuncti Præpositi teneatur de proprio ad distributionem Candelarum in die Purificationis B. Virginis favore Presbyterorum manus dexteræ, sicuti distribuit Presbyteris manus sinistræ in casu &c.

XXIV. An continuandum sit signum matutini cum pulsatione secundæ solitæ Campanæ, seu potius cum solo tintinnabulo in casu &c.

XXV. An liceat Præposito auferre Campanam ex majoribus ab Ecclesia Collegiata suppressa S. Francisci de Paula in casu &c.

XXVI. An liceat Capitulo in quolibet Anno per secreta Suffragia confirmare Ministros ab eodem stipendiatos in casu &c.

Ad I., II., & III. Dilata, & ad mentem, & mens est quod fiat coram D. Secretario probatio versionis pecuniarum. Ad IV. Affirmative. Ad V. Dilata, & ad mentem, & mens est quod fiat liquidatio expensarum, & repartimenti coram Episcopo. Ad VI. Affirmative. Ad VII. Affirmative quoad ratas decursas post quinquennium. Ad VIII. negative quoad primam partem partem, affirmative quoad secundam. Ad IX. Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. Ad X. Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. Ad XI. Negative quoad primam partem, affirmative ad secundam. Ad XII. XIII., XIV., & XV. Dilata, & ad mentem, & mens est quod utraque manus deputet quatuor Canonicos pro Constitutionum confectione coram Episcopo. Ad XVI. Affirmative ad primam partem durante divisione, & negative ad secundam. Ad XVII. Dilata, ut ad XIV. In reliquis usque ad XXV. Dilata. Ad XXVI. habeatur ratio in confectione Constitutionum.

Sess. 22. c. 6. de Ref.

FERRARIEN. Definita fuit hæc quæstio ab Eminentissimis Patribus in Congregatione habita die 8. Mensis Augusti; Proposito siquidem Dubio -- *An, & quomodo sit locus commutationi piæ dispositionis bon. mem. Caesaris Vbaldini, seu potius multiplico in casu &c.* Responderunt amplissimi Patres -- *Negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam* -- At Hieronimus Azzolinius. qui in jus vocatus non venit, suas nunc rationes proponit, quibus perspectis, & repetita lectione folii Congregationis habitæ die 8. Augusti, definient Eminentissimi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 14. c. 9. & Sess. 22. c. 3. & Sess. 21. c. 3. de ref.

EUGUBINA BENEPLACITI: Testator Joannes Baptista Christinius supremis Tabulis scriptis anno 1638. jussit, ut ex parte bonorum suorum erigeretur Collegiata, cui titulus esset S. Christinæ, data Priori ejusdem, & singulis quinque Canonicis congrua portione, & licet voluntatem suam aperuerit, ut in templo Sodalitii SS. Corporis Christi Collegium hoc Canonicorum institueretur, expressam tamen iisdem facultatem indulsit ad aliud templum Ecclesiamque, ut iis collibuisset, sese transferendi etiam post erectionem Collegiatæ in templo illo Sodalitii, & postquam sacra, & Divina Officia acta fuissent ex parte altera hæreditatis suæ Conservatorium pauperibus puellis alendis erigi voluit, utque annis singulis locus unus montium non vocabilium emeretur. Codicillis autem

tem vetuit, ne bona & hæreditas in alios, quam quos ipse dixerat, usus converti posset *anco con l'autorità di qualsivoglia Superiore &c. e per qualunque causa*, quæ ipsa verba sunt Codicillorum.

Authoritate Urbani VIII. Pontificis Maximi, ipsoque ut Testator voluerat, Joannis Baptistæ Fratre curante erecta fuit ad formam testamenti in templo Sodalitii SS. Corporis Christi Collegiata S. Christinæ Cum vero reliqua hæreditas tot redditus non sufficeret, qui satis essent ad extruendum servandumque pauperum puellarum Conservatorium, Alexander VII. Princeps providentissimus datis literis anno 1659. jussit, ut sublato Conservatorio, & detractis impensis ad implenda onera, quæ dederat Christinius testator, quolibet anno locus Montium emeretur, aliique redditus hæreditarii in tot dotes scut. 100. Monetæ Ducalis pauperibus puellis, quæ nubere vellent, præstandas erogarentur, quod ad hanc usque diem & servatam est, & servatur.

Hic igitur exitus fuit voluntatis defuncti Christinii, nunc, quæ inde evenerunt controversiæ narrandæ sunt; Visum fuit Capitulo S. Christinæ, ut venia peteretur erigendi in pompis, seu ut dicunt processionibus propriam Crucem, nec incedendi amplius sub Cruce Capituli Cathedralis Ecclesiæ Eugubinæ, intra cujus Parochiæ fines situm erat Sodalitii templum, in quo se receperat erectumque fuerat Collegium S. Christinæ, sed Sacra Rituum Congregatio die 6. Decembris anni 1653. respondit *debere incedera in processionibus sub Cruce Ecclesiæ Cathedralis*; Cum vero in hoc responsum peccasset Collegium Christinum, eadem Sacra Congregatio die 2. Decembris anni 1690., quatuor propositis Dubiis, Capituli illius licentiam coercuit, decreta servari jussit, & attentata purgari.

Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Novæ, quæ intra Civitatem est, tenebant, & tenent Patres Eremitæ Ordinis D. Augustini, quorum Monasterium extra mœnia Civitatis situm est. Capitulum S. Christinæ cum his egit de transferendo in illam Ecclesiam Collegio, transacta res est, Patres publico instrumento anno 1676. Ecclesiam illam Capitulo cesserunt pluribus adjectis pactis, & reservato beneplacito Apostolico, ipsoque annuente Episcopo Eugubino, quo presente stipulatio acta fuit. Sed commoto ob id Sodalium animo, coactoque eorum Concilio, censuerunt litem agendam esse; libellus Sacræ Congregationi Episcoporum & Regularium oblatus fuit, & a Hieronymo Casanatta S. R. E. Cardinali amplissimo, cujus nomen nulla unquam ætas, nulla oblivio delere poterit, rogatus fuit datis literis Eugubinus Episcopus, ut auditis partibus sententiam suam Sacræ Congregationi aperiret. Quid vero inde actum fuerit ignoratur.

Anno tamen 1743., cum Capitulum S. Christinæ incomoda Ecclesiæ Sodalitii Sanctissimi Corporis Christi amplius ferre non posset, negocium translationis, & acquisitionis Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ Novæ cum patribus eremitis Ordinis D. Augustini, quod infectum fuerat anno 1676. interum tractandum suscepit. Placuerunt utrisque pacta, & conventiones, & publico instrumento stipulatio interposita est cessionis Ecclesiæ, annuentibus Episcopo Eugubino, & Præfectis Ordinis; quia vero reservatio adjecta fuerat beneplaciti Apostolici, quo pacta conventa confirmarentur, ideo Capitulum, & Canonici S. Christinæ libellum Sacratissimo Principi nostro obtulerunt, quo petebant, ut pacta omnia cum patribus S. Augustini conventa pontificia auctoritate probarentur, utque iis liceret ex fructibus hæreditatis Christinii testatoris certam quamdam, tenuem quidem, summam titulo charitatis patribus dare, quæ Sacrario applicaretur, unamque, grati animi causa, ceræ albæ libram singulis annis in perpetuum: ut ex ejusdem hæreditatis redditibus congrua annua portio scut. 25. monetæ Romanæ Curato adsignaretur, & quidquid sumptuum opus esset cum ad Sacrarium, tum ad chorum extruendum, ad hanc

hanc denique translationem perficiendam, ex iisdem hæreditariis fructibus percipi posset.

Data postulationis hujus ab optimo principe cognitio fuit amplissimis Patribus; rogatus, ut fieri solet, Episcopus de sententia animi sui secundum capitulum respondit, sed paratum sese huic translationi contradictorem præstitit capitulum Cathedralis Eugubinæ, cum vereretur, ne quæsito a Canonicis S. Christinæ Iure Parochiali Ecclesiæ S Mariæ Novæ irrita essent, quæ de Cruce & pompis, seu processionibus decreverat Sacra Rituum Congregatio paratæ sese præstiterunt contradictrices Civitatis illius pauperes puellæ, quibus dos prastari debet, datis, & Capitulo Cathedralis, & Sanctissimo Principi Libellis, auditoque ob id iterum Eugubino Episcopo, qui secundum Canonicos Sanctæ Christinæ iterum respondit, clamoremque omnem puellarum a capitulo cathedralis excitatum esse, & falsa suggestione dotium non præstandarum confictum fuisse retulit, auditoque etiam bis Procuratore Generali Ordinis, qui varius sententia primum contra, inde secundum capitulum Sanctæ Christinæ respondit, postulant nunc iidem Canonici, & capitulum, ut Sacri hujus Senatus auctoritate definiatur concedendum esse beneplacitum Apostolicum, pro probentur, & confirmentur pacta omnia cum Patribus Sancti Augustini conventa de cessione parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Novæ, aliisque omnibus, quæ in libello Sanctissimo Principi oblato latius habentur, & præsertim ut liceat iisdem ad subeundas translationis impensas per decennium suspendere annuam loci unius montium emptionem, quam supra retulimus.

Hæc ex facto tenere opus erat, quæ vero juris dispositionem habent, poterunt Eminentissimi Patres ex libellis postulatorum, & advocatorum cognoscere, ut IV. Dubiorum, quibus omnis isthæc complectitur controversia, dari possit definitio.

I. An sit concedendum beneplacitum Apostolicum pro approbatione omnium conventionum inter conventuum, & Patres S Augustini Civitatis Eugubii, & Collegiatam, & Canonicos S Christinæ ejusdem Civitatis super concessione Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Mariæ Novæ, & translatione dictæ Collegiatæ, S. Christinæ ad d. Ecclesiam S. Mariæ Novæ, *& quatenus affirmative*.

II. An Capitulum, & Canonici dictæ Collegiatæ S. Christinæ uti Parochus habitualis Ecclesiæ S Mariæ Novæ in associatione cadaverum Parochianorum, & aliorum de aliena paræcia sepelliendorum in d. Ecclesiæ sanctæ Mariæ Novæ possint erigere crucem ejusdem Ecclesiæ, seu potius teneantur incedere sub Cruce insignis Ecclesiæ Cathedralis.

III. An idem Capitulum, & Canonici dictæ Collegiatæ S. Christinæ in processionibus generalibus nempe corporis Christi, Rogationum, Sancti Marci & Sancti Ubaldi debeant incedere sub Cruce insignis Ecclesiæ Cathedralis, seu potius possint incedere sub cruce propria dictæ Ecclesiæ parochialis?

IV. An idem Capitulum, & Canonici dictæ Collegiatæ Sanctæ Christinæ in processionibus particularibus tam consuetis, quam faciendis in dicta Ecclesia S. Mariæ Novæ de licentia Ordinarii possint incedere sub propria cruce d. Ecclesiæ S. Mariæ novæ in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

OVE-

OVETEN. PAROCHIALIS: In Villa Armellada Diœcesis Ovetensis, ad quam pertinet Juspatronatus Parochialis Ecclesiæ Sanctissimæ Annunciationis more vetustissimo, diuturnoque immemoriali usu receptum est, ut Rector Ecclesiæ, qui, Ordine coacto, secretis Decurionum suffragiis eligitur post electionem, & nominationem, vini, quod Decurionibus illis, qui ad Rectorem eligendum congregantur, solet distribui, pretium solvat, & die festo Divi Sthephani vinum & castaneas, & pascali tempore spiras Ordini, Concilioque distribuat. Cum igitur anno 1741. defuncto Petro Alvarez Rectore, parochialis illa Ecclesia vacasset, & duo præ aliis munus illud, officiumque peterent Candidati Marcus Alvarez, & Joachim Alvarez, Judez qui Ordini ad electionem coacto præerat, ut sarta tecta servaret vetustæ illius consuetudinis jura, duos illos candidatos rogavit, sponderent ne se vini pretium soluturos, dieque fecto S. Stephani vinum, & castaneas, & in Paschate spiras præstituros, si alteruter ab Ordine Rector electus nominatusque fuisset? Sponderunt illi, atque inde latis suffragiis majori eorum numero Joachim Alvarez vicit. Sess.21. c.1. Sess.24. c.18. de ref.

Oborta inde de validitate hujus electionis ambiguitate quadam, placuit ut Decuriones sequenti mense interum coirent, ut Rectorem eligerent, nullaque interrogatione habita de pretio vini, & speciebus præstandis, iterum vicit Joacim, sed Marcus Alvarez victus ut Institutionem præpediret, nullam & Simoniæ vitio infectam electionem illam & nominationem Joachim coram Episcopo dixit ob sponsionem illam specierum certis anni temporibus præstandarum, & pretii vini solvendi: Joachim vero, ut se a turpi Simoniæ nota purgaret, Sacrum hoc Tribunal adire voluit, a quo auditus fuit, ut fieri solet, Episcopus, cujus diligentia quæ supra ex facto retulimus, comperta sunt, & non illius tantum Villæ, sed aliarum quoque ejusdem Diœceseos antiquissimam esse consuetudinem petium vini, speciesque statis anni temporibus præstandi rescimus, nec præstationem hanc Simoniæ vitio infectam esse ab ullo censeri. Rogatus etiam fuit ab Amplissimis Patribus Ludovicus Belluga S R E Cardinalis, & doctrina, & pietate spectatissimus, ut sententiam animi sui hac de re aperiret, qui deserta epistola secundum Joachim respondit.

Siluit Marcus his auditis, & a proposito mentis recessit, sed novus repente obvenit Adversarius Laurentius Martinez, ut contra Joachim hæc ipsa intendat arma in hac arena æquo marte pugnaturus. Postulat igitur Joachim ab amplissimis Patribus, ut impicta Simoniæ labe rejecta, valida declaretur electio, jubeantque sibi dari ab Episcopo institutionem. Quidquid enim sit de validitate illius consuetudinis, de qua nunc nulla agitur quæstio, quæ nihil pertinet ad rem quam tractamus, illud satis esse constare ex facto de usu illo diuturno, atque antiquissima consuetudine, ut nihil vitio Joachim vertendum sit, si quod alii Rectores electi, & nominati fecerunt, & ipse fecit, nec ullam Simoniæ notam impingi posse ex sponsione illa, cum interrogatio a Pretore venerit, qui nullum suffragii ferendi jus habebat, nec promissio illa, & sponsio Candidatorum Decurionum animos movere potuerit ad unius potius, quam alterius electionem, cum & unus & alter annuerit, & consuetudinem moremque sese servaturum uterque promiserit, nullaque ab alterum facta fuerit major oblatio aut quantitatis aut qualitatis specierum, quo casu, si qui præstationem auxit, electus fuisset, de Simonia ambigi posset.


Præsertim cum ex illa Prætoria stipulatione neuter certus fieret sese Parochiam assequuntur, cum ex Decurionum arbitrio, & electionis incerto penderet, ut ex illa sponsione educi nequeat animus, & mens comparandi jus spirituale parochiæ, quæ Simoniaca labes fuisset, ut post *Navarrum cons.5. num.1. de Simonia* tradunt *Paris. de Confident. qu.41. num.9.*

num.9. aliique apud Pitor. discept. Eccles.138. num.10. vers. in Proposito, & num.11. vol.4. Eoque amplius Simoniæ vitium abesse ab illa verborum obligatione a Candidatis contracta, quod cum non ambigatur de antiquissima consuetudine solvendi pretium vini, & species illas præstandi, sponsio duorum candidatorum Parochiam petentium non venit ex actu mentus voluntario, & directo ad jus spirituale acquirendum traditione & solutione rei temporalis, pecuniæve, sed venit ex actu necessario ratione obligationis, quæ ex consuetudine illa cuicumque electo, & nominato oriebatur, ut & pretium solveret, & species præstari solitas præstaret, atque ob id sponsio & stipulatio immunis est, & pura a labe Simoniaca, qua non inficiuntur pacta illa, & conditiones, quibus eligendus compellitur ad ea observanda, quæ vetusta consuetudine pridem observata fuerunt, ut late monstrant *Fagnanus in cap. Cum M. Ferrariensis num.34. & 35. de Constitut. Card. de Luca de Canon. & Dignit. disc.29. num.5.*

His aliisque rationibus, quæ in libello Joachim Alvarez proponutur, nam a Laurentio Martinez nondum aliquid datum est, poterunt Eminentissimi Patres ea, qua præstant, animi Religione, Divinique juris doctrina, respondere.

An substineatur Electiu, itaut sit concedenda Institutio in casu &c.

Die Sabbathi 21. Novemb. 1744.



UM duæ, quæ sequuntur causæ in ultima Congregatione, quæ habita est die 19. transacti mensis Septembris propositæ non fuerint, rogamus Eminentissimos Patres, ut ea qua solent, humanitate, Folium illius Congregationis ad eas definiendas iterum legant.

Sess. 14. c.6. de ref. Sess 21. c.7. de ref. & Sess.25. c.13. de reg.

EUGUBINA BENEPLACITI, in qua quatuor Dubia proponuntur.

I. An sit concedendum beneplacitum Apostolicum pro approbatione omnium conventionum inter conventuum, & Patres S. Augustini Civitatis Eugubii, & Collegiatam, & Canonicos S. Christinæ ejusdem Civitatis super concessione Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Mariæ Novæ, & translatione dictæ Collegiatæ S. Christinæ ad d. Ecclesiam S. Mariæ Novæ, & *quatenus affirmative*.

II. An Capitulum, & Canonici dictæ Collegiatæ S. Christinæ uti Parochus habitualis Ecclesiæ S. Mariæ Novæ in associatione cadaverum Parochianorum, & aliorum de aliena paræcia sepelliendorum in d. Ecclesiæ sanctæ Mariæ Novæ possint erigere crucem ejusdem Ecclesiæ, seu potius teneantur incedere sub Cruce insignis Ecclesiæ Cathedralis.

III. An idem Capitulum, & Canonici dictæ Collegiatæ S. Christinæ in processionibus generalibus nempe corporis Christi, Rogationum, Sancti Marci & Sancti Ubaldi debeant incedere sub Cruce insignis Ecclesiæ

clesiæ Cathedralis, seu potius possint incedere sub cruce propria dictæ Ecclesiæ parochialis?

IV. An idem Capitulum, & Canonici dictæ Collegiatæ Sanctæ Christinæ in processionibus particularibus tam consuetis, quam faciendis in dicta Ecclesia S. Mariæ Novæ de licentia Ordinarii possint incedere sub propria cruce d. Ecclesiæ S. Mariæ novæ in casu &c.

Beneplaciti ad I. Negative, in reliquis provisum in primo.

OVETEN. PAROCHIALIS. in qua respondendum est. *Sess. 21. c. 1. Sess. 24. c. 18. de ref.*

An substineatur electio, itaut sit concedenda institutio in casu &c.

Dilata.

VIGILIEN. Ut diximus in folio Congregationis habitæ 8. Augusti hujus anni, qua primum proposita isthæc Causa fuit, species rei, de qua agitur, repetenda est *& Vol.4. Thes. Resol. Sac. Congr. pag.*322., & 328., atque ex alio *Vol.5. pag.*19. & 32., nam in illis Voluminibus edita fuerunt Folia Congregationum habitarum die 2. & 23. Julii anni 1729. & die 19. Augusti 1730., quibus Causa omnis expressa fuit satis pòl diligenter: quæ inde evenerunt narravimus in folio illo nostro Congregationis habite die 8 Augusti, sed placuit tunc Emis Patribus dilationem Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Vigiliensis humaniter indulgere; Iterum igitur proposita Causa die 29 Augusti, Capitulo Ordinis hujus amplissimi Indulgentia abutente, a quo jura sua fuerunt deducta responderunt EE. PP. tribus, quæ in disputationem venerant, Dubiis, Ad I. deberi a die capte Possessionis: Ad II. & III Affirmative. Petiit Capitulum contra hanc Definitionem audiri, & si nunc rationes suas proponet, poterunt amplissimi Patres Foliis, quæ hactenus diximus, repetitis, perspectisque juribus, quæ tum a Decano, tum a Capitulo collecta erunt libellis, ea, quà præstant, jurisprudentia definire. *Sess. 21. c. 3. Sess. 22. c. 3. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

LEODIEN. CONFIRMATIONIS CONCORDIÆ: Collecta fuit diligenter hujus causæ species, & ratio omnis in folio Congregationis habitæ die 2. Iunii Anni 1742. quod in lucem hominum editum est *Vol.XI. Thes. Resol. Sac. Congregat. pag* 99. primoque dubio proposito, quo quærebatur, *an concordia inita inter Decanum ex una, & Capitulum S. Petri Leodiensis ex altera sit confirmanda in casu &c.* placuit Emis Patribus respondere *Affirmative*: Siluerunt, ægre licet, Canonici, qui tunc a Decano victi fuerunt; sed maxima nunc rerum omnium conversione facta redintegrato certamine, novam Decano pugnam offerunt, in qua pro juribus Ecclesiæ sartis tectis tuendis fortissime dimicant. Cum vero Forensis Belli robur præsidiumque pecunia sit, a qua vires habent jura, & rationes, quæ ab Advocatis, & Postulatoribus in libellis proponuntur, postulant iidem Canonici, ut quod hactenus in hac agenda causa impensum est, & quæ inde fieri debent impensæ ex communi Massa præstentur, ne dum ipsi jura Ecclesiæ, atque universi Capituli defendunt, pecuniam suam contra omnium legum rationem perdere compellantur. Non pigeat itaque amplissimos Patres, ut eo, quo *Sess. 22. c. 4. de ref.*

quo par est, obsequio rogamus, & Folium illud *Vol. XI. Thesaur. Resol.* editum iterum legere, & quæ nunc a Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri proponuntur rescissoriæ actionis capita expendere, Nam a Decano Jo. Fraucisco Morayken nihil hactenus datum est, ut respondere possint.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis die 2. Junii 1742. in casu &c.*

II. *An expensæ in Causa hactenus factæ aliæque in posterum faciendæ subministrandæ sint ex Massa Communi in casu &c.*

Dilata, & scribatur juxta instructionem.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Mat. LUCEORIEN. MATRIMONII: Unicam natam suam Nobilissimam Virginem nomine Theresiam decimumtertium ætatis annum agentem Principi Hieronymo Radzivillio, quo cum sanguine jungebatur, uxorem sponderunt Parentes Comes Joseph Sapieha, & Christina Branicia; Ubi tamen id rescrivit Theresia, qua ignorante mutuæ repromissiones futuri connubii factæ fuerant, & petita, impetrataque venia, sive dispensatio impedimenti consanguinitatis; continuo illa, cujus animus in Principem non ferebatur, tristitia affici, flere, Matrem deprecari, ut has nuptias averteret; sed Mater pietate illa, qua in liberos ferri natura solent, oblita, filiæ, quæ ad pedes provoluta, ut nuptiæ disturbarentur, orabat, colaphum incussit, ornatumque omnem e capite dejecit; Accurrentibus ad fletum puellæ Virginibus familiaribus, & manentibus in ore illius impressæ manus vestigiis, pervulgata res est, licet in conclavi acta fuerit, & Mater ira percita, ductaque hujus connubii cupidine, filiæ indixit, omni posthac Parentes severitate usuros, *quali in nulla etiam strictissima Religione esse possit*.

Atque inde omnis puellæ adempta libertas est, nequid cum aliquo consilii caperet ad nuptias disturbandas, & eo tantum tempore, quo Princeps aderat choreis, & saltationibus, liberiorique genio indulgebatur: necquicquam tamen; nam Theresia mærore confecta, & sponsi vultum oculosque refugiens, vel in angulo cubiculi latitabat, vel præsens apertam animi repugnantiam, adversitatem spretumque monstrabat, maxima Parentum ira, qui sive minis, sive illius trium Amicorum suasionibus nihil intactum reliquerunt, ut filiæ animum flecterent ad has nuptias, utque eorum obsequeretur studiis, & voluntati: Pater enim gravibus minis nobili, qui retulit, testi indixit, *si Theresia*, ipsa Patria verba sunt, adversabitur voluntati nostræ in nubendo Principi Radzivilio, & in hoc non audiet voluntatem nostram datis ipsi tercentis plagis virgis, excludam ipsam ab omni fortuna, & inscribam eamdem huic, cui placuerit. Minis his tamen, & suasionibus Amicorum nihil obtinere Parentes potuerunt; constans siquidem, & perpetua fuit contra Principem Theresiæ voluntas, quæ Amicis respondit, se metu Parentum simulaturam cum Principe amicitiam, eosque Testes appellavit, ut si necesse erit testari velitis, verba hæc puellæ sunt, quia ista omnia ex coactione Parentum, non ex propria voluntate fiunt.

Sed jam pacta conventa firmanda erant, & tabulæ nuptiales signandæ necquicquam ab Amicis, & Consanguineis petente Theresia, ut opem ferrent, metuebant enim illi ab ira Parentum: quod potuit egit, operam enim dedit, ut Judex Castrensis, Jurisperitus, qui tabulas scripturus erat, faceret, fingeret, inveniret, efficeret, aliquid denique conaretur, quominus hæ fierent nuptiæ: sed superatis constantia, propositoque tenaci Patris difficultatibus omnibus, quæ Judex proposuerat, negocioque injecerat, pacta conventa fuerunt, & spretis querelis, & lamentationibus The-

Theresiæ, quæ declarabat, *se mortem potius velle, quam talem conjunctionem*, ad aras perducta est, ut solemni sacrorum more peracto, Hieronymo Principi Radzivilio nuberet, claroque Hymeneo jungeretur, quod factum est *die 30. Augusti anni* 1740.

Nova nunc, sed tristissima rerum species exoritur: Deducta fuit in ædes viri, quæ erant in Oppido *Bialla*, nova Nupta, stratumque Geniale Thorum: sed Vir Virgine potiri non potuit: desiluit lecto Theresia, & in cubiculum matris evasit; neque ullis unquam Parentum suasionibus, ullaque eorum authoritate perduci potuit, ut cum Viro concumberet. Discesserunt Parentes ab Oppido, sed Filia propositum mentis suæ firmius retinuit, mærore tristitiaque perpetuo angebatur, nunquam se a lacrymis temperabat sedens in conclavi cum Virginibus, ad quas continuo fugiebat, si quando a Principe, qui ad multam noctem ludis genioque indulgebat, aliquid conaretur: sic vita erant. Infelicitatem ejus augebat custodia, qua detinebatur, & sollicita, qua a Principe observabatur diligentia, ut nec fugam arripere potuerit, nec schedam saltem unam dare ad Parentes, qua de infelici ejus sorte fierent certiores: sed tandem solertia sua occasionem nacta est, qua id potuit efficere. Commoti igitur naturali in unicam filiam pietate illi ipsi, qui eam vi metuque ad nuptias contrahendas adegerant Parentes, simulata ægritudine Theresiam a Principe repetierunt, quæ sub tutela præsidioque Parentum preces obtulit Optimo Sacratissimoque Pontifici nostro, quibus postulabat nullum irritumque declarari connubium.

Data omnis hujusce rei cognitio fuit Amplissimis Patribus, qui mandata Jurisdictione Nuncio Apostolico jusserunt, ut *auditis Partibus* sententiam animi sui aperiret: Cum vero hic Regno abesset, plenam Jurisdictionem contulit in Episcopum Posnaniensem, qui servatis omnibus, quæ decreta sunt, ut in his Judiciis serventur, in cognitissima, saluberrimaque Constitutione Sanctissimi Principis edita anno 1741. duodecim Testes admisit, qui conceptis articulis responderunt, & cum Theresia veniæ, seu dispensationi *Matrimonii rati, & non consumati*, quam in libello Summo Pontifici oblato petierat, innixa, jusjurandum præstitisset, se non tantum vi metuque ad nuptias contrahendas a Matre adacta, sed etiam integram adhuc esse, atque inviolatam a Viro, Judex Sacramentum Matri detulit; Pater enim diem obiit extremum, quæ Deinn in Testem appellans juravit se variis modis persuasionibus, minis, & verbere ad Matrimonium cum Principe ineundum Filiam coegisse, accessitque ad asserendam Theresiæ Virginitatem septem Consanguineorum jusjurandum, & Sacramentum ab ipso Principe præstitum de Uxoris integritate, & dissensu in concubitum, & demum Judicium duarum obstreticum, quæ inspectis partibus, quæ fæmina est, integram eam esse, atque incorruptam retulerunt.

His igitur omnibus coactis postulat nunc Theresia amplissimi hujus splendidissimique Ordinis authoritate nullum, irritumque pronunciari Connubium, quod vi metuque adacta contraxit cum Principe Radzivillio, ex naturali illo Jure, quod dudum prætor edixit in *l.* 1. *ff. quod metus causa gestum erit ratum non habebo, & Pontifex in cap.* 2. *de his quæ vi metusque causa fiunt*, quo Jure & sponsalia & matrimonia vi metuque contracta inficiuntur, ut est *in can. si verum* 31. *quæst.* 2. *cap.* 15. *&* 16. *de sponsalibus* constatque inter omnes cum Romani, tum Pontificii juris Interpretes nulla atque irrita esse connubia, quæ vis, & metus contraxit; nam si naturæ leges jubent, ut liberæ sint hominum actiones, quo firma sit obligatio, qua obstringimur ad aliquid dandum faciendumque, quanto amplius hac libertate opus erit ad nuptias contrahendas, quæ perpe-

tuam

tuam vitæ societatem, atque individuam corporum consuetudinem continent? Atque hæc ita demum vera sunt, si vis metusque gravis in causa sit, qui constantem virum & fæminam percellere possit. De verecundiæ metu diversum juris tabulis proditum est, hic enim non ita movet, ut fortes constantesque Viros & fæminas concutiat graviter, & proposito suo dimoveat, at si verbera accedant & minæ atroces, quæ exequi possint ab eo, qui potestatem habet exequendi, vel si quid aliud malorum his simile est, vanescit verecundiæ, & reverentiæ timor, manifestaque metamorphosi in atrocem, & illicitum transit, & vitiat, inficitque matrimonium, & sponsalia contracta, ut est *in cap. 2. de despons. Impuber.*

Eo itaque omnis isthæc disputatio est deducenda, ut inquiramus, an ex facto vis metusque illata probentur, defueritque ex his consensus Theresiæ ad has nuptias, & libertas obsequendi suæ voluntati; pertinet hæc disquisitio ad Religionem animi, atque intimam Amplissimorum Patrum juris prudentiam, qui probe perpensis iis, quæ a testibus dicta sunt, a quibus excepimus, quæ supra narravimus, cognoscere poterunt, an vis illa gravisque metus probetur, qui potest contractum matrimonium nullum efficere: Judicium Posnaniensis Episcopi secundum Theresiam est, aliorum etiam Episcoporum testificationes proponuntur, quibus constat civilia Bella inter has potentissimas Familias metuenda esse: a Principe Radzivilio post hæc jam scripta libellus jurium suorum nobis datus fuit, & cum ipse justum legitimumque Connubium esse defendat, alterum quoque dubium voluit adjungi: quæ duo igitur ab Eminentissimis Patribus dubia sunt definienda hic apponimus.

I. *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* & quatenus negative.

II. *An Comitissa sit cogenda ad præstanda obsequia matrimonialia in casu &c.*

Coadjuventur probationes juxta instructionem.

Sess. 25. c. 12. de Ref.

OXOMEN. INDULTI. Ex facto constat Antonium del Rio anno 1519. e Calaguritana Diœcesi in Civitatem Soriæ Diœcesis Oxomensis Lares suos transtulisse. Cum ditissimus ille esset, & plurimo Pecore, Gregibusque abundaret, atque ab ea veniret Diœcesi, in qua nulla est consuetudo præstandi Decimas Lanæ; ad aliam Urbem & Diœcesim, in qua, ut in cæteris Vindeliciæ Provinciæ Lanæ Decimæ Parochialium Ecclesiarum Rectoribus integre præstari debent, transegit cum Capitulo Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Divi Petri Civitatis Soriæ, pactoque convento statuta Decimarum Lanæ præstatio fuit ad rationem quatuor pro mille, Caseorum vero ad rationem quatuor pro centum, utque aliorum capitum integra decimarum præstatio esset. Pacta conventa probavit Arbiter sententia sua, confirmavitque datis Literis Leo X. Pontifex providentissimus, atque ita Antonius del Rio in Parochia D. Petri Ædes Laresque suos perpetuo fixit.

Servata fuerunt pacta conventa ad annum usque 1679. quo tempore, cum defectis masculis omnibus ab Antonio descendentibus una superstes esset Elisabeth Lopez del Rio, quæ nupsit Petro Salzedo Gomare Comiti, qui in alia Parochia D. Nicolai ejusdem Civitatis Soriæ ædes habebat, controversia orta est inter Parochum & Comitem de integra decimarum Lanæ & Caseorum præstatione, & victus est tribus Judiciis Gomaræ Comes, decernentibus Judicibus ut a die 2. Augusti anni 1680. qua nuptiæ cum Elisabeth fuerant contractæ, decimæ Parocho S. Nicolai integre præstarentur; Lata harum trium sententiarum postrema fuit die 17 Junii 1682. & Judex in ea Jus sibi servavit cognoscendi de modo, forma, & quantitate

titate decimarum, ſtatuto litigantibus 20. Dierum tempore, ut rationes quiſque ſuas edere poſſet. Nihil tamen actum eſt, defuncto ſiquidem Parocho, qui litem egerat, cum Petrus & Eliſabeth Conjuges, tum eorum filius & hæres Aloyſius Salzedo & Rio, decimas, ut ante litem ſolebant, aliis, qui ſequuti ſunt, Parochis ad hanc uſque diem præſtiterunt.

Qui vero nunc Parochialem Eccleſiam D. Nicolai tenet Jacobus Jubera, ut ejuſdem Eccleſiæ jura ſarta tecta ſervaret, curavit ut alteri Judici mandaretur Juriſdictio, qui in locum defuncti de modo, forma, & quantitate decimarum præſtandarum cognoſceret. Comes vero libellum obtulit Sacratiſſimo Principi noſtro, quo poſtulabat, ut Pontificia authoritate liti huic finem imponeret, & ſententiam illam ab Arbitrio latam, Literaſque Leonis X. confirmaret, & ad Eccleſiam D Nicolai porrigeret, atque ampliaret; nam ſi Parochus pergeret eſſe moleſtus, & plurimum impenſarum abſumendum eſſet in lite, & poſſet ipſe Comes Calaguritanam Diœceſim, unde majores ſui diſceſſerunt, repetere, atque ita Parochus omnes decimas amitteret. Reſcripto Pontificis Optimi poſtulationis hujuſce cognitio Ampliſſimis Patribus data eſt, audituſque ut fieri, ſolet, Oxomenſis Epiſcopus rem omnem epiſtola ſua narravit nullis tamen monimentis comprobatam, ſed *prout ei innotuit*, verba ejus ſunt, *ex actis Cauſæ, Relatione Parochi, & aliorum fide dignorum Teſtimonio*, ſatiſque aperte contra Comitem Gomare reſpondit.

Rejiciendum eum igitur a poſtulatione iſthac ſua diſputat in libello, quem dedit Jacobus Jubera Rector Parochialis Eccleſiæ, ne poſt tria Judicia, poſt tot impenſas nullum Victoriæ fructum capiat, præſertim cum quæſitum ſit jus Eccleſiæ, quod unicuique tollere vetitum eſt legibus Romanorum, & Pontificii Juris Conſtitutionibus. Secum tamen animo reputabunt Eminentiſſimi Patres, an definiri hæc cauſa poſſit, non perſpecta ſententia arbitri, & Literis Leonis X. e quibus cognoſci poſſet, an ſtipulatio illa inter Antonium del Rio, & Capitulum Eccleſiæ D. Petri ſolos deſcendentes maſculos complecteretur, vel univerſam Antonii familiam, omneſque deſcendentes: hæc monimenta proponentur fortaſſe in libello Comitis Gomaræ a quo nihil hactenus datum eſt, atque ita poterunt Ampliſſimi Patres reſpondere.

An ſit locus conceſſioni Indulti in caſu &c.

Dilata.

LUCANA: Obſcuritas ſermonis, quo uſus eſt anno 1525. Robertus Guiniſius Lucenſis Canonicus in Inſtrumento Fundationis perpetuæ Cappellaniæ ad Altare SS. Martyrum Fabiani, & Sebaſtiani in Templo Divorum Simonis, & Judæ, quod vulgo dicitur *S. Simi*, in caſu fuit, ut onera data Cappellanis, *pro quorum vitæ ſubſtentatione* dotem dixit conſtituere, diſſimili, variaque verborum interpretatione, non eadem perpetuo fuerint, ut ex iis, quæ relata ſunt in longa Viſitationum, quæ proponuntur, ſerie facile poteſt dignoſci: Ait Fundator Rectorem, & Cappellanum teneri ad celebrandum ad dictam Cappellaniam qualibet tertia hebdomada, videlicet una de tribus, & illa intelligatur eſſe duplex: Item teneatur quotannis facere Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani in die Feſti cum Miſſa magna, & quatuor planis, & die ſequenti unum Anniverſarium cum Miſſa magna, & tribus planis: Sanctionem in de addidit contra Cappellanos legem hanc non implentes, quartam partem integram omnium fructuum, & reddituum dictæ Cappellaniæ totius illius anni futuri, quo defeciſſent, ſpectare, & pertinere ad Rectorem dictæ Cappelpellaniæ, & dictus Rector S. Simi teneatur ipſe ſupplere immediate id, quod *Seſſ.14. c.4. de ref.*

quod defeciſſet; qua in re obſervanda etiam eſt Tabellionis negligentia, qui oſcitans dormitanſque Rectorem ſcripſit dictæ Cappellaniæ, cum ſcribere debuiſſet Rectorem dictæ Eccleſiæ.

Mirum eſt quam varie accepta fuerint ſuperiora illa verba oneris Sacrorum videlicet una de tribus „ & illa intelligatur eſſe duplex: Poſterioribus temporibus placuit interpretatio, ut duo Sacra ſingulis hebdomadis agerentur, & Feſtum quotannis, & Parentalia, ſive Anniverſarium, atque ita actum eſt ad hanc diem a Franciſco Antonio Ferrara, qui ab anno 1728. Beneficium illud habet, ſed dubius animi, incertuſque, an Fundatoris voluntatem impleret, libellum obtulit Ampliſſimo huic Ordini, quo petebat, ut ſi quid peccaſſet, ex fide bona, in qua erat, abſolveretur, utque ab Eminentiſſimis Patribus declararetur ſacrorum numerus, & quibus diebus ea eſſent agenda; & quia Beneficii redditus decreverant, poſtulabat, ut onera quoque minuerentur. Auditus igitur fuit Lucenſis Archiepiſcopus, qui docta, atque eleganti epiſtola reſpondit, ſacrorum onus taxative adjectum eſſe, non demonſtrative, nec agi poſſe quæſtionem de ſupplendis redditibus: Hos redditus facta decennali peræquatione prætii frumenti non attingere ſummam Romanorum ſcut. 24. a quibus ſi demantur impenſæ onerum, ſuperſunt ſcut. 21.: Et ſi ſacra agantur, ſive per alternas hebdomadas, ut in Viſitationibus Fundationi proximis expreſſum eſt, ſive ad rationem manualis eleemoſyna illorum præſtetur, nihil Cappellano ſupereſſe, quod longe abeſt a Fundatoris voluntate, qui dotem conſtituiſſe pro ſubſtentatione Vitæ Cappellani futuri palam profeſſus eſt.

Poſtulat nunc itaque Franciſcus Antonius Ferrara Ampliſſimorum Patrum authoritate decerni impletam ab eo hactenus fuiſſe Fundatoris mentem, cum in ambiguis, & obſcuris hominum voluntatibus nulla potior interpretatio ſit conſuetudine, nec potior eſſe poſſit conſuetudo, quam quæ a Sacris Viſitationibus proficiſcitur. At ſi forte ſecus videatur Sacro huic Senatui, veniam ſibi dari petit, atque Indulgentiam, cum bona eum fides excuſet; quæ vero onera deinceps ab eo implenda ſint definient Ampliſſimi Patres. Ipſe contendit diminutis redditibus minuendum eſſe ſacrorum numetum, eamque deminutionem faciendam, quæ præſefert, ut ſacrorum numerus, & onera a fundatore data reſpondeant fructibus quartæ partis Beneficii, atque hanc eſſe putat Canonici Guiniſii mentem, ut conjecturam facit ex ea Inſtrumenti parte, qua ſanctio pœnalis eſt contra Rectores, & Cappellanos, qui legi ſuæ non paruerint; quam rem Judicio ſplendidiſſimi Ordinis definiendam dimiſit rectiſſime Archiepiſcopus Lucenſis in altera Epiſtola ſua: Rector autem trium, quæ ſequuntur, Dubiorum definitionem expectat.

I. An ſatisfecerit Orator oneribus Beneficii, de quo agitur celebrando duas Miſſas qualibet hebdomada, & peragendo Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani quolibet Anno, prout Anniverſarium die ſequenti in caſu &c. *& quatenus negative*.

II. An excuſari premereatur Orator attenta ejus bona fide in caſu &c.

III. An, & ad quæ onera teneatnr in futurum in caſu &c.

Ad I. Affirmative. Ad II. proviſum in primo. Ad III. ſervari ſolitum:

Seſſ. 25. c. 9. de ref.

BALNEOREGIEN. BENEFICII. Collatione primum Frumenti, & Vini, Meſſis, Vindemiæque temporibus facta a Populo Caſtilionis Diœceſis Balneoregienſis, inde Agellis, hærediolis, Caſiſque, & tenuibus Cenſibus legatis coacta fuit quantitas ſortis, quæ reddebat annua ſcut. 30. atque hic redditus erogabatur in Sacrorum eleemoſynam, quæ agebantur pro Defunctis, ut a peccatis ſolverentur. Pii hujus Operis Admi-

Administratio erat penes Laicum Ministrum, Archipresbyterum, duosque Parochos Castilionis: Minister autem ille die prima Octobris anni 1727. cum suo, tum aliorum Administratorum nomine Balneoregiensem Episcopum adiit, petiitque, ut authoritate sua Beneficium simplex Ecclesiasticum titulo *Sanctissimi Suffragii* erigeret in Altari Sanctissimi Crucifixi, quod est in Ecclesia Collegiata Castilionis, dato futuris Beneficiatis onere perpetuo duorum Sacrorum qualibet hebdomada agendorum, & præsentiam præstandi Choro ejusdem Ecclesiæ singulis diebus Festis, facta tamen Episcopo potestate derogandi huic oneri præsentiæ, & collata in eumdem Episcopum nominatione primi Beneficiarii. Alios vero futuros Beneficiariios petiit, ut secretis suffragiis eligeret Sodalitium *Misericordiæ*, *seu della Morte*, quod in eodem Pago Castilionis est, cum annuo redditu scut. 30. ex bonis Pii operis, ut supra narravimus, piis largitionibus, atque oblationibus coacti, quæ bona in perpetuam ejusdem Beneficii dotem essent constituenda.

Annuit Episcopus postulationi huic, Decretoque suo, & Beneficium erexit, & Beneficiarium nominavit Franciscum Mariam Antutium Archidiaconum Cathedralis Ecclesiæ Balneoregiensis, atque ejusdem Episcopi Generalem Vicarium, cui veniam fecit præsentiæ Chori in Ecclesia Collegiata Castilionis, & Sacrorum singulis hebdomadis agendorum ad Altare Sanctissimi Crucifixi in eadem Ecclesia; die vero tertia ejusdem mensis Octobris datæ sunt ab Episcopo Literæ Institutionis ejusdem Beneficiarii, & sequenti die 4. Antutius possessionem accepit, atque in ea possessione Beneficii fuit nullo contradicente ad annum usque transactum 1743. nam hoc anno oblatus fuit Amplissimo huic Ordini libellus a Populo Castilionis, quo petebat nullam declarari hujus Beneficii Erectionem, auditoque, ut fieri solet, Episcopo, rescripserunt Eminentissimi Patres in *Congregatione habita die* 28. *Aprilis*, Archidiacono tamen inaudito - *Episcopo qui prævia circumscriptione prætensæ Fundationis Beneficii procedat contra Antutium pro celebratione Missarum quoad præteritum*.

Postulavit Antutius, & ut par erat, impetravit, ut audiretur, duoque nunc quæstionis capita ab Amplissimis Patribus definienda proponit: nolumus autem, quæ ab eo disputantur hic dare, tum quia ea, quæ ex facto proponuntur, nobis non plene liquent, cum a Populo Castilionis, atque ab opere Pio suffragii nondum Jurium suorum libellus datus sit, tum quia multa sunt, quæ ut eleganter Papinianus ait, *verecundiam hominis pulsant*, sive Episcopi, sive Archidiaconi, sive utriusque: Eminentissimorum Patrum Judicium erit, qui ea, qua præstant mentis acie, summaque juris humani, & Divini sapientia omnibus, ut solent, quæ proponuntur; perspectis, respondere poterunt, qua Juris ratione duo hæc Capita sint definienda.

I. *An Fundatio Beneficii, de quo agitur, substineatur in casu &c.* & quatenus negative.

II. *An, & quos fructus teneatur restituere in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. teneri ad restitutionem omnium fructuum perceptorum detractis expensis eleemosynæ sacrorum.

URITANA NULLITATIS PROFESSIONIS: Durum equidem est, omnique Jure improbatum cogi quemquam a Patre vi metuque atroci, quique constantissimum etiam Virum concutere possit, ad eum vitæ statum suscipiendum, a quo filii voluntas refugit, repugnatque, sed tamen aliqua ratione ab iis excusandum, qui sciant, quanta sit a legibus, & moribus Romanorum, quibus utimur, atque ab ipso naturæ jure paren- *Sess.25. c.19. de reg.*

 tibus

tibus in liberos suos tributa potestas. Durissimum vero est, nullaque ratione ferendum Religiosos Viros tantam sibi tribuere, atque arrogare potestatem authoritatemque, ut invitos homines, quique Ordini nomen suum dare nolunt, non tantum retinere velint ante professionem emissam in Monasterio, sed etiam severe puniant, atque acerbe castigent, & quod indignius est, postquam ad hunc Amplissimum Ordinem tamquam ad Juris Templum, Justitiæque asylum confugerunt, in carceres conjiciant. Utrumque accidit Antonio Visca, qui inde *Fr. Franciscus Maria a Paula* dictus est in Ordine *Minorum Reformatorum*, nam vi metuque atroci a Patre adactus fuit, ut monasticæ disciplinæ nomen daret, & ab iis qui Monasterii, atque Ordini præerant, invitus, reluctans, & protestans retentus fuit, & in carceres conjectus, ut ex longiuscula, sed necessario referenda historia rerum gestarum Eminentissimi Patres liquido poterunt agnoscere.

E Paula, quod Oppidum est Calabriæ, Francavillam venit, ut negocia omnia curaret Nobilis Brigittæ Grimaldi Imperialis Civitatis Uriæ Dominæ Paulus Visca, qui primis nuptiis Antonium filium susceperat; defunctaque Uxore anno 1693. ad secundas venit nuptias cum Portia Farina, e qua plures sustulit liberos: factum hinc, ut Patris animus ab Antonio abalienaretur, ut longa anteacti temporis observatione compertum est iis contingere, qui filiis novercam superinducunt. Anno igitur 1698. Antonium urgere cœpit, ut Ordini alicui Religioso nomen daret, & ni vellet, domo discederet. Cum ille renueret, vapulabat, tanta in humanitate, ut filium equili alligatum parvo tormento bellico impeteret, eamdemque legem indiceret, ut testes habent, qui vel præsentes fuerunt, cum Antonius tam male a Paulo exciperetur, vel ab ipso Paulo habuerunt, qui sera malefactorum suorum pœnitentia ductus, dolens, ploransque hæc aliaque narrabat.

Ut vitæ consuleret Antonius Neapolim fugit, inde Romam, sed fame coactus, cum nullam haberet rationem alimenta sibi comparandi, Francavillam repetiit, iterumque Pater propositi tenax minis, metuque eum concussit, ut Monachorum disciplinæ, Ordinique nomen daret, fractusque animo Antonius in Monasterio *Fratrum Reformatorum* Francavillæ Sacras Vestes suscepit nomine ut diximus *Fr. Francisci Mariæ a Paula*, quod contigit anno 1700. sed in ipso probationis anno pluries reclamavit, pluries protestationes emisit coram Monasterio Præfectis se vi metuque a Patre adactum, ut Religiosas vestes susciperet. Surdis auribus hæc excepta fuerunt, & Fr. Franciscus damnatus fuit, quasi crimen aliquod, indignumque facinus admisisset, ut quas illi vocant *pœnitentias* ageret, satis graves, & libero homine indignas, a Magistro vero suo verberibus, flagrisque dolabatur, necquicquam tamen; constanter enim Fr. Franciscus vestes suas repetebat, quas cum etiam repeteret, & de vi metuque sibi a Patre illato diceret coram Vicario Provinciali, qui tunc Francavillam venerat, colapho donatus ab eo fuit satis liberaliter, atque hæc omnia habentur ex Testibus ejusdem Ordinis Religiosi, quorum testificationes in Processu Judiciali relatæ sunt.

Cum igitur declarationibus, & protestationibus suis nihil proficeret Fr. Franciscus Maria, coactus fuit Professionem emittere, sed anno 1704. cum Visitationem ageret Pater Provincialis, & Cupertinum advenisset, in cujus loci Monasterio collocatus fuerat, & adscriptus Fr. Franciscus, hic coram eo libere, nullaque circuitione usus de nullitate professionis suæ dixit, & de vi metuque illato questus est, sed solita humanitate a Patre Provinciali exceptus fuit, castigatus, monitusque severe, atque acerbe, & ludibrio expositus, & ab uno in alterum, atque ab alio in aliud Monasterium traductus, adversitatem fortunæ constanter ferente Fr. Francisco,

sco, qui sequenti anno 1705. cum Visitationem prosequeretur P Provincialis, iterum eidem nullitatem proposuit professionis suæ, iterum castigatus fuit, & in Monasterio Gravinæ collocatus. Tertio eadem acta res est, Gravinam Provincialis advenit, Fr. Franciscus fortiter, atque intrepide nullam dixit professionem suam, punitus est, & lapidibus collo impositis, ut jumentis fieri solet, onustus, mandavitque Provincialis Præfecto Monasterii Cravinæ, ut diebus octo solitam *penitentiam* panis & aquæ imponeret, & si quando Fr. Franciscus de nullitate professionis suæ verbum faceret in carceres conjiceretur, ut itidem hæc omnia habentur ea Testibus Religiosis, & constant etiam ex Testificatione conscripta ab eodem P. Provinciali, quæ pariter in processu est, quamque ratam habere non potuit morte occupatus, sed illius manus Præfecto Monasterio Barensi recognita fuit.

Tam male habitus Fr. Franciscus siluit ad annum usque 1717. meliora semper expectans, & eadem mala expertus a Religiosis, quæ a Patre tulerat; Romam eo tempore venit ad Vice Commissarium Generalem Ordinis, quærens vi, metuque adactum fuisse, ut se in Monasterio Deo dedicaret, sed pluribus licet repetitis querelis nihil aliud obtinuit, nisi ut in provinciam rediret, quod ipse fecit Victa igitur hac Religiosorum duritie Sacerdotis Francisci Mariæ patientia, sed a Patribus metuens, veniam petiit ab hoc Amplissimo Ordine, ut posset, vel Romam venire ad hoc Sacrum Tribunal, vel Neapolim ire ad Amplissimum S. R. E. Cardinalem Pignattellum Archiepiscopum Neapolitanum, quo grave negocium expediret; Rescriptum fuit ab Eminentissimis Patribus, ut Neapolim peteret. Provincialis, cui monstratum fuit sacri hujus Senatus rescriptum, facultatem, & ipse dedit eundi, voluitque, ut Lycium perventus alium, quem designavit, Religiosum Comitem itineris acciperet; hæc tamen Provincialis lenitas eo evasit, ut Fr. Franciscus Lycium perventus in Carceres conjectus fuit, namque ita ille jusserat data epistola ad præfectum Monasterio, surreptaque illi fuerunt, & rescriptum Sacri hujus Tribunalis, & facultas data a Provinciali, necquicquam de indigno hoc facinore, quod in contemptum Eminentissimorum Patrum, & in spretum Majestatis atque authoritatis Tribunalis toto Orbe verendi patrabatur a Provinciali, protestationem emittente Fr. Francisco.

Post duos menses e Carceribus fuga evasit miser ille, & in Monasterium *Minorum Conventualium* sese recepit, misso publico Tabellione ad *Reformatorum* Monasterium, ut solemnem emitteret protestationem, & res suas, rescriptumque Sacri hujus Senatus a Præfecto repeteret, qui daturum respondit omnia, si vellet Provincialis. Post hæc Neapolim pervenit, & ut tandem tot morbis medicinam pararet, libellum obtulit Sanctissimo Principi Benedicto XIII. a quo data fuit omnis hujusce rei cognitio Amplissimis Patribus, a quibus Anno 1727. Uritano Episcopo mandata fuit Jurisdictio, additæque inde facultates rem aliis Judicibus delegandi, quod factum est, nam Jurisdictio data ab eo fuit Vicario Generali Neapolitano; dum lis agebatur iterum a *Reformatis* in Carceres conjectum fuisse, & vix authoritate Archiepiscopi, & sacris hujus Senatus liberatum ipse tradit in examine suo Pater Franciscus: Instructo demum processu, & pluribus Testibus repetitis, ipsoque Fr. Francesco Maria, monimentis omnibus, & probationibus collectis, quas inter plurimum spectanda est ipsius Pauli Visca Patris testificatio, qui narrat juratus minas, & verbera, quibus Filium invitum adegit, ut Monasterium ingrederetur, quique eum testamento suo hæredem scripsit, si Professionis suæ nullitatem obtineret, postulat nunc Fr. Franciscus Maria, ut ab Eminentissimis Patribus nulla atque irrita declaretur professio, quam vi metuque a Patre illato,

illato, & ab ipsis Religiosi Ordinis Præfectis incusso, adversa tamen animi sui voluntate emisit.

Hæc est lamentabilis historia vitæ hujus hominis, quam latiori calamo exponere necesse fuit, ut scirent Patres Amplissimi, quid in actis, & processu Judiciali esset, nam Sacerdos hic Franciscus Maria ob inopiam angustiamque pecuniæ libello suo omnia complecti non potuit Episcopi Uritani, qui luculenta epistola rem omnem accurate digessit: sententia secundum Fr. Franciscum Mariam est. Rationes nullitatis hic dare inutile est, sola enim rerum gestarum lectione omnibus patent. Ab Ordine, & Patribus Reformatis nihil hactenus habuimus: Superest tantum, ut Eminentissimi Patres ea, qua præstant, animi Religione definiant.

An constet de nullitate Professionis Patris Francisci Mariæ de Paula Ordinis Reformatorum in casu &c.

Esse locum restitutioni in integrum.

Die Sabbathi 5. Decemb. 1744.



Sess.24. c.12. de Ref.

UGUBINA: Dilata fuit ab Eminentissimis Patribus Causæ hujus definitio *in Congregatione* habita *die* 18. *Julii*, iterumque proposita Causa *in Congregatione diei* 8. *Augusti*, Dubio, quo quærebatur - „ An ad Præpositum exclusive quoad Vicarium Capituli „ spectet præsidere in Choro, & ordinare ea, quæ concernunt divinum „ cultum, veluti indicere silentium, inobedientes corrigere, dare signum „ pro ingressu, & alias Ecclesiasticas functiones regulare, vel potius „ exequendæ sint Constitutiones Capitulares in Capitulo nono in Casu &c. Responderunt Amplissimi Patres - *Affirmative quoad primam partem salva authoritate Episcopi, & negative quoad secundam*: Capitulum vero nunc contra præpositum Benium pugnam instaurat, & ad rem definiendam poterunt Eminentissimi Patres, Foliis illis iterum perspectis, respondere.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata.

Sess.22. Dec. de obs. & evit. in celeb. Mis.

HORTANA: Inter V. Dubia, quæ disputabantur in hac causa, quæ proposita primum fuit in *Congregatione diei* 29. *ejusdem mensis*, erat III. Dubium, quo quærebatur an Capitulum teneretur præstare Canonico Parocho eleemosynam pro applicatione missæ pro Populo? Visum est Eminentissimis Patribus in prima *Congregatione diei* 8. definitionem differre, in altera vero responderunt *affirmative*: Redit nunc eadem quæstio ad eorum Judicium, ut definire possint.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad III. Dubium in casu &c.

Dilata ad sequentem omnino etiam unica.

IMOLEN.

IMOLEN. PLURIUM: Postquam in Congregatione habita *diei 8. transacti mensis Augusti* dilata fuerat ab Eminentissimis Patribus Causæ hujus definitio, proposita fuerunt XXVI. illius Capita in alia *Congregatione diei 19. Septembris*, atque omnia definita fuerunt. Ad Octavum caput quo quærebatur, an ex redditibus ambarum Collegiatarum suppressarum sit constituenda usque a principio una indivisibilis Massa, & unus tantum Administrator, sive potius duæ Massæ separatæ usque ad reductionem numeri in casu &c. *Responderunt Amplissimi Patres*: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam -- *Pariter ad nonum Caput, quo quærebatur* -- An Lucra provenientia ex punctaturis, & absentiis Capitularium manus dexteræ Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi Terræ Lugi a die unionis usque ad præsens accrescant solis interessentibus dictæ manus dexteræ; sive potius omnibus interessentibus, sive sint manus dexteræ, sive sinistræ in casu &c. *Responderunt Eminentissimi Patres* -- Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam: Iterum nunc duo hæc Capita in quæstionem revocantur, poteruntque Patres Amplissimi, perspectis *Foliis illarum Congregationum*, & rationibus, quæ a postulatoribus in Libellis proponentur decernere. Sess. 22. c. 11. Sess. 24. c. 12. de ref.

An sit standum vel recedendum a decisis quod VIII. & IX. Dubium in casu &c.

Dilata, & proponatur cum reliquis Dubiis post factam liquidationem.

CASTRIMARIS PRIMICERIATUS: Proposita non fuit hæc Causa in Congregatione habita *die 29. mensis Augusti*, in cujus Folio data fuerat, sed in alia Congregatione *diei 19. Septembris* Dubium, quo quærebatur, an liceat moderno Canonico Theologo Ecclesiæ Cathedralis Castrimaris assequi, & simul retinere dignitatem Primiceriatus cum asserta præbenda de Jurepatronatus ejusdem Capituli in casu &c. solverunt Eminentissimi Patres respondentes negative: contra hanc definitionem disputat nunc Canonicus Theologus, & perspectis ejus rationibus, atque iis, quæ data sunt *in Folio Congregationis diei 29. Augusti*, respondendum est. Sess. 7. c. 4. Sess. 24. c. 17. de ref.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Iterum proponatur.

TOLENTINA. Dedimus causæ hujus speciem, rationesque omnes in Folio Congregationis habitæ die 13. Junii hujus anni, quod iterum inspiciendum est ab Eminentissimis Patribus, ut leventur onere legendi libellum omnem, qui tunc datus fuit a Postulatore Capituli Cathedralis Ecclesiæ Tolentinæ. Ampliandum ea die censuit Sacrum Tribunal, rescripsitque: *Dilata, & ad Mentem, & Mens est, quod proponatur una cum aliis Dubiis, & scribatur Episcopo juxta instructionem*. Impleta fuerunt Amplissimi Ordinis mandata: Advenit tamdem Epistola Episcopi, sed parum est, quod ex his, quæ gesta sunt, colligi possit ad rei definitionem: ipse quidem, quod potuit egit, diligens Episcopus, at Partes muneri suo defuerunt. Exeqnutor Testamentarius Canonici Nardii formam dedit Episcopo *præsentis Chori, & Presbyterii*, quam Episcopus misit, Peritiam quoque dare pollicitus est, sed promissa non implevit. Capitulum tres formas, seu designationes obtulit. Primam Chori, & Presbyterii uti nunc sunt: Alteram, qua ratio ampliandi eumdem chorum monstratur: Tertiam, qua modus novi chori extruendi in fine Templi designabatur; Sess. 22. c. 6. de ref.

Cum

Cum vero perficiendæ hæ formæ essent, & ad singularum partium intellectum literæ inscribendæ essent, & declarationes adjungendæ, Episcopus omnia Perito restituit.

Post hæc cum Episcopus intellexisset omnia Romam ab Exequutore Testamentario ad postulatorem suum missa fuisse, idem a Capitulo fieri jussit; atque hæc pertinent ad ea, quæ peritorum operam desiderabant. Pergit Episcopus iterumque refert chori, & presbyterii angustiam, nec probat, quod Exequutor Testamentarius suadebat, ut ad novæ sedis appositionem duæ parvæ Januæ obstruantur ob optimas, quas edit rationes: Addit habuisse a perito chori ampliationem sumptuosam fore, nec ad artis regulam exigi posse, cum longitudini latitudo respondere nequeat, & ob id petunt Canonici, ut alia ratione splendori, decorique Cathedralis Ecclesiæ consulatur, conversione scilicet totius ordinis Templi, ut qua parte nunc chorus est, fiat Templi major porta, quæ Foro Civitatis bellissime responderet, qua vero parte nunc porticus est, fiat chorus. Id tamen exequi non posse nisi impensa sc. 1000. peritus retulit, quæ summa absumeret quantitatem ex venditione rerum hæreditariarum Canonici Nardii ab exequutore redactam: Nec finis postulationum capituli, nam fructus bonorum, quæ a testatore adsignata fuerunt novæ dignitati Archipresbyteratus, & ob litem, quæ agitur, depositi sunt, sibi dari petit Capitulum, ut novum hoc fiat ædificium.

Hæc sunt in epistola Episcopi, quæ *ad Chori ampliationem* pertinent; cætera quæ spectant ad *Mansionari m* legere poterunt Eminentissimi Patres in folio illo Congregationis habitæ die 13. Junii: Demum, ut obsequamur voluntati Amplissimorum Patrum, aliam quoque causam subjicimus, in qua tractantur Dubia, quæ disputantur inter Theodorum Moriconium Archipresbyterum designatum, & ut omnia uno aspectu possint cognosci: nunc ad hanc primam causam definiendam secum reputent Eminentissimi Patres religione illa animi, qua præstant.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis q. Petri Francisci Nardii in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 24. c. 14. de ref.

TOLENTINA ERECTIONIS ARCHIPRESBYTERATUS. Ut diximus in folio antecedentis causæ jussit testamento suo Petrus Franciscus Nardius Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Tolentinæ, post obitum hæredis, quam scripserat in usufructu, alteram dignitatem erigi nomine, tituloque Archipresbyteratus in eadem Ecclesia Cathedrali, datis adsignatisque in hanc rem prædiis rusticis tribus, unoque Urbano, adjectisque oneribus Archipresbytero agendi quotannis 125. sacra ad aram maximam ejusdem Templi, ædes, quas adsignaverat, habitandi, nomen gentis Nardiæ sibi adsciscendi, ejusque stemmate utendi; si secus faceret a dignitatis possessione deiici voluit, eamque in alterum conferri. Archipresbyterum nominavit Theodorum Moriconium, qui Romæ erat: Jura vero patronatus in Antonium Moriconium contulit, ejusque liberos masculos, liberorumque liberos, & qui ab illis nascerentur in perpetuum, defectaque linea masculina ad fœminarum lineam eadem Jura voluit deferri.

Licet autem impleri voluntatem hanc suam jusserit Testator continuo post obitum usufructuariæ, ea tamen, transacto anno defuncta, moram iniiciebat exequutor testamento datus erectioni dignitatis, fructus interim percipiens e prædiis adsignatis, ut Theodorus curaverit protestationem emitti, & petierit a Judice, ut de fructibus prædiorum aliqua ratione caveretur. Ille œconomum nominavit, Theodorus vero adjectum onus implens

plens Sacra agi curavit, deditque operam, ut Episcopus, & Capitulum consensum erectioni præstarent, quod feliciter obtigit, nec tamen punctum tulit; nam Jacobus Benaduccius exequutr testamentarius jura hæreditatis defendebat, negabatque cogi eam posse ad erogationem pecuniæ, quæ necessaria est ad erectionem; fructus prædiorum ante eamdem erectionem perceptos ad hæreditatem pertinere intendebat, æneumque vas musto coquendo muro domus adsignatæ infixum, inædificatumque avelli, atque amoveri posse dicebat, oblatisque Amplissimo Ordini precibus postulabat, ut tria hæc controversiarum capita definirentur; Audito igitur, ut fieri solet, Episcopo, postulat nunc Moriconius Archipresbyter designatus, ut contra hæreditatem Eminentissimi Patres responsum ferant.

Testamento siquidem Canonici Nardii probe perspecto, facile colligi posse damnandam esse hæreditatem ad erectionis impensas; verba siquidem, quibus erectionem jussit, in nullam personam directa sunt, ut ab exequutore, qui vices hæreditatis substinet, impensæ subeundæ sint, sine quibus opus, quod voluit Testator, impleri non potest: Idem Juris dispositione cautum esse, ut teneatur hæres ad impensas legatæ rei præstandas, ut Cerbidius Scevola respondit *in leg. his verbis penult.* §, *Alumno de legat.3.*, & longe aptius in §. *Sequenti: Item Testator liberto militiam his verbis legavit, Sejo liberto meo militiam do lego, illam militiam, quam & testator habuit: quæsitum est, an onera omnia, & introitus militiæ ab hærede sint danda? respondi danda*: quæ responsa doctissime, ut solet, illustravit *Averanius lib.2. interpr. Jur. cap.17. præsertim a num.16. ad finem capitis*, traduntque ex nostris *Gloss. in d.* § *Alumno verbo posse, & Alberic. num.4. Gratian. cap.294. discept. num.39. & Rota decis.658. num.9. par.19. vol.2. rec. & in Colonien, Fundationis 11. Jan. 1717. §. Pro eo enim cor. b. m. Foscaro impressa apud Fargn. de Jurep. par.1. can.6. sec.7. n.19. vol.1.*

Fructus vero prædiorum adsignatorum ante erectionem perceptos, non ad hæreditatem, sed ad Archipresbyterum pertinere palam fieri ex eodem testamento, eademque Juris dispositione; nam cum Testator ab hæreditate sua diviserit, & separaverit tria prædia, quæ dignitati adsignavit, consequitur dominium prædiorum defuncta hærede usufructuaria in dignitatem erigendam translatum fuisse, ut fructus, qui e prædiis obvenerunt, non ad hæreditatem, sed ad dignitatem, ejusque Rectorem pertinere debeant jure dominii, ut recte respondit *Rota cor. Falcon. dec.48. num.1. de fideicom. & in Mantissa ad Card. de Luc. lib.13. dec.43. n 7.*, atque hoc eo amplius esse custodiendum, quod non hæreditatis, sed dignitatis erigendæ gratia, dilata fuerit a testatore ejusdem erectio post obitum usufructuariæ, & consequenter fructus etiam temporis erectionem antecedentis, sive intermedii ab hærede esse præstandos juxta æquissimam distinctionem Pegasi, quam probat *Pomponius in leg. si ita relictum 44. §. Pegasus de legat.2.* qua in nostra specie utuntur *Fagnan. in cap. nos quidem n.8. de testam. Bartol. cons.18. in fin. lib.2. Gratian. disc. cap.358. a n.15. ad 18. Mantica de conject. lib.7. tit.10. num.10. & Rota ad Theatr. Card. de Luca lib.11. dec.10. num.16.* præsertim cum Theodorus voluntatem defuncti, & onus adjectum impleverit, qui Sacra agi curavit.

De vase demum æneo parieti domus adsignatæ (quam testator habitabat, & quam habitare jussit Archipresbyterum, adjecta lege caducaria) infixo, & inædificato, ambigi non posse ad dignitatem, ejusque Rectorem pertinere, non vero amoveri, atque avelli posse ab Exequutore, ut vendatur; nam ut ipse tradit Episcopus destinatione patris familias; & testatoris usui ædium est, earumque pars jure censetur, & legato Domus comprehenditur, ut ex apertis legibus constat, estque in *l. Prædiis*, §. *Balneis ff. de*

 leg.3.

leg 3. leg. dolia ff. de contrah. emptione l. Julianus §. Ædibus ff. de action. empt. traduntque vulgo interpretes nostri *Brunnemann. in leg. 86. num. 4. ff. de legat. 2. Alexandr. consil. 54. lib. 3. num. 4. Mantic. de conject. lib. 9. tit 2. num. 35. & de tacit. lib. 4. tit. 15. num. 42. Gratian. cap. 126. disc. n. 1. & 2.*, & in nostra ipsissima specie *Pacien. de locat. cap. 23. n. 47.*

Nec mutare testatorem ædibus suis Dignitati adsignatis mobilia omnia excepisse; quod vas hoc æneum mobilium nomine intelligere nequiverit, cum muro infixum esset, atque inædificatum, & consequenter domus portio haberetur juxta pulcherrimum Papiniani responsum, quod servavit *Ulpianus in leg. quæsitum §. Papinianus ff. de fundo instructo, & instr. leg.*, & illustravit *Cujac. ad leg 7. resp. Papiniani oper. omnium vol. 4. pag. 1132. & seqq. edit. Neap.*, ideoque locum esse definitioni Pomponii *in leg. 21. ff. de fund. instruct. & instrum. leg.* ubi ait *cum fundus sine instrumento legatus sit, dolia, molæ olivariæ, & Prælum, & quæcumque infixa, inædificataque sint fundo legato continentur.*

Hæc, atque alia habet Archipresbyter designatus: Exequutor testamentarius nondum libellum dedit Jurium hæreditatis: pertinet nunc ad Amplissimorum Patrum Jurisprudentiam definire.

I. *An, & a quo fieri debeant expensæ erectionis Archipresbyteratus de quo agitur.*

II. *An fructus bonorum specialiter designatorum pro dicta erectione spectent ad hæreditatem dicti Testatoris, vel ad Archipresbyterum a die obitus dicti Testatoris.*

III. *An, & ad quem pertineat ahenum, sive caldarium muro infixum in domo ejusdem Testatoris.*

Ad I. Expensas faciendas esse sumptibus hæreditatis comprehenso etiam sedili, & ad mentem, & mens est, quod scribatur Episcopo juxta instructionem. Ad II Fructus post obitum hæredis usufructuariæ usque ad diem petitionis Judicialis erogandos esse in expensas constructionis sedilis, reliquos vero spectare ad Archipresbyterum. Ad III. Spectare ad Dignitatem Archipresbyteratus.

Sess. 23. c. 11. & 13. de ref.

FLORENTINA ORDINUM. Cum die 20. Sept. 1738. Sacrarum Ordinationum tempus recurreret, inter eos, qui promoveri debebant. Clericus erat Joseph Cajetanus Ghinettus, qui ad priores duos, quos vocamus *Minores Ordines* Ostiariorum scilicet, & Lectorum erat promovendus; Sed Ministri Archiepiscopalis negligentia non inter eos, qui duobus illis Ordinibus initiandi erant, sed inter eos, quibus alii duo Exorcistarum, & Acolythorum Ordines conferendi erant, accitus fuit, atque ita ad hos posteriores Ghinettus assumptus est. Agnovit ille inverso ordine, præposteroque cursu, & per saltum processisse, libellumque obtulit Archiepiscopo, ut primis, quos prætermiserat, Ordinibus honestaretur, responsumque est a Cancellario, ad scandalum avertendum non esse publice eos Ordines conferendos; iret, eaque ageret, quæ agenda erant, antequam Ordines suscipere posset; cum tempus esset, curaturum, ut moneretur, quo veniret ad eos accipiendos. Egit Ghinettus omnia, uti jussum fuerat, at sive oblivione, sive qua alia de causa ignoratur, nunciatus numquam fuit ipse interim in iis, quos suscepit, Ordinibus ministravit.

Post quinquennium preces obtulit Eminentissimis Patribus, petebatque, ut prævia absolutione ab irregularitate, si eam incurrisset, Archiepiscopo mandarent, ut duos prætermissos Ordines conferret. Placuit Amplissimis Patribus die 27. transacti mensis Junii respondere, ut audiretur Archiepisco-

piscopus, qui vera Ghinettum narrasse rescripsit, eumque *in dictis susceptis Ordinibus*, verba sunt Archiepiscopi ex ore Ghinetti, *forsan bona fide, vel ex ignorantia inculpabili ministrasse, non tamen formali voluntate exercendi illos ex officio*: Sententia Archiepiscopi erat, Ghinettum, antequam ad omissos Ordines promoveri possit, dispensandum esse ab hoc Sacro Tribunali. Censuerunt Eminentissimi Patres die 29. anteacti mensis sextilis disquisitionem hanc dignam esse, quæ in Folio describeretur. Postulat nunc igitur Ghinettus, ut Amplissimorum Patrum authoritate *dispensetur*, declareturque *non egere absolutione, vel ad cauthelam tantum esse absolvendum*.

Illud autem præmonendum ducimus, ut causæ hujus status recte coniiciatur, ad hanc, quam tractamus speciem, nihil pertinere Alexandri rescriptum, quod est in *can. sollicitudo 52. dist.*, & Innocentii Decretalem epistolam in *cap. tuæ literæ de Cler. per salt. promot.*, & quotquot alia in hanc rem congregari solent Juris Pontificii loca: habent hæ siquidem præposteros cursus in sacris Majoribusque Ordinibus, non in Minoribus, in quibus nos versamur: sed & illud disquirendum est an *caput* 14. *Tridentini* ad omnes sive minores, sive majores Ordines pertineat, aut ad sacros majoresque tantum, ut verius fortasse dicent, qui & caput illud, & antecedens diligenter expenderint. Longa vero est inter majores, minoresque Otdines, ut in aliis, ita hac in re differentia, ut non videatur eadem Juris dispositiones esse utendum. Licet enim, aut contempta, aut non observata aliquando fuerit in veteri Ecclesia illa inter majores, sacrosque Ordines Graduum dispositio, & regula, ut omissis pluribus, qui colligi facile possent, recte observarunt *Cironius in Paratit. Decret. tit. de cler. per salt. prom. pag.*440. *Gonzal. in Comm. ad d. cap. tuæ Literæ n.*3. *vol.*5. *Hallier. de Sac. Elect. par.*2. *sect.*1. *art.*2. § 2. semper tamen a Sanctissimis Patribus, & Generalibus Conciliis summa ope laboratum est, ut ad Sacerdotium per gradus ascenderetur, quod vel ii sciunt, qui primoribus tantum labiis antiquitates ecclesiasticas gustarunt.

Diversum in minoribus Ordinibus, quos non fuisse semper Sacris præmissos, nec primis Ecclesiæ seculis existimatum fuisse, ut nunc censetur per saltum promotum, qui uno, aut pluribus, vel omnibus minoribus, quos inter ad nonum usque Christi nostri seculum Subdiaconatus fuit, omissis ad Diaconatum, & Sacerdotium processisset, late post alias docuerunt *Morinus de SS. Ordinat. par.*3. *exerc.*11. *cap.*2. *Vanespen. Jur. Eccles. Univers. par.*1. *tit.*1. *cap.*2. *num.*1. *& par.*2. *tit.*9. *cap.*5. *num.*5. *& seq.*, qui probe monstrarunt minorum Ordinum collationem ea tantum ratione factam fuisse, ut ille, cui conferebantur, eorum ministerium exerceret; quod si, aut aliquis, aut omnes minores Ordines omitterentur, non dicebatur per saltum promotus. Quæ vero nunc servatur Disciplina (quæ ut bene tradit *Vanespen. dicto cap.*5. *sub num.*9. quo tempore, quave occasione, aut fundamento invaluerit, non omnino constat, nam quæ Caii, aliorumque vetustissimorum Pontificum vulgo proponuntur epistolæ, satis nunc compertum est, vel leviter eruditis, ab Isidoro mercatore confictas fuisse, & a Gratiano aliisque indiligenter insertas collectionibus suis) qui vel uno minorum Ordinum omisso, majorem suscipiat, veluti per saltum promotum habet, & a suscepti Ordinis ministerio suspensum, & si ministraverit, irregularem, ut tradunt *Canonistæ ad tit. decretal. de cler. per salt. prom.* ibique præaliis *Ciron. in Paratit. d. pag.*440. *Fagnan. in d. cap. tuæ literæ n.*23. *Vanespen. d. cap* 2. *n.*5. *& d. cap.*5. *n.*7. *et seq.*

Disquirendum est igitur, an uti hæc disciplina locum habet, cum quis uno, alterove, aut omnibus minoribus Ordinibus omissis majorem suscipiat, & in illo ministret, ita locum quoque habeat cum quis, ut in nostra specie

 ipso-

ipsorum Ordinum minorum gradus pervertit, & in susceptis ministrat? An dicemus suspensum, & irregularem? Ad Amplissimos Patres hæc pertinet definitio, qui secum reputabunt, an verba illa Tridentini *cap.11.* -- *atque ita de gradu in gradum ascendant* -- respiciant gradum singulorum Ordinum inter se, vel potius Gradus minorum erga majores: secum etiam reputabunt, an irregularitas contrahi possit ex ministerio eorum Ordinum, qui *Sacri* non sunt, nec ullum characterem imprimunt, & ob id negativam sententiam in casu, quo quis in Ordinibus minoribus, quos non habet, ministraverit post *Ugolinum de censur. cap.37. n.13. Coninch. disput.18. dub.6. num.45.* sequitur *Bonacina de irregular. disput.7. quæst.3. punct.6. num.1. vers. Dixi in Ordine Sacro vol.1. oper.* & cum aliis tradit *Oliban. in summa Theolog. Moral. par.3. tract.5. cap.3. §.3. vers. si quis non ordinatus vol 2.* præsertim cum hi minores Ordines *iis conferantur, qui saltem latinam linguam intelligant*, ut habet Tridentinum, & quorum ministerium etiam a conjugatis Clericis exerceri posse idem definit Tridentinum *cap.17.*, & nunc ab ipsis Laicis quotidie exercetur præsertim in Sodalitiis. Accedit quod aliunde etiam constat pluribus seculis non omnes hos minores Ordines in Ecclesia Latina cognitos fuisse, nec etiam nunc esse in Ecclesia Græca.

Ad Ghinetti postulationes, quod attinet, & si impedimentum aliquod adesset, Dispensationi tamen locum esse debere ipse disputat, quod non fraude, dolove malo, sed *errore*, nec suo quidem, sed Ministri promotus fuerit ad tertium, & quartum minores Ordines primis omissis; Ministrasse equidem in iis, quos susceperat, sed *bona fide, & ex ignorantia inculpabili, non formali voluntate exercendi illos ex officio*: Peccasse ministros Archiepiscopi, qui omnia, ut evenerant, scientes, Ghinettum non monuerunt, ut a ministerio susceptorum Ordinum abstineret. Indulgendum esse, & ætati, & imprudentiæ, & ignorantiæ, ac concedendam dispensationem, ut eam Amplissimus Ordo concessit in alia graviori specie, in qua examinatus, probatusque ad Tonsuram, *furtim*, & non vocatus cum iis accessit, qui primis minoribus Ordinibus initiabantur, & promotus ita fuit: Ut cognoscere licet in *Aprutina Ordinum* 11. *Jan.* 1710., quæ refertur *Vol.5. Thes. Resol. S. Congr. p.363.*

Pronunciandum quoque esse Ghinettum absolutione non egere, quia licet ministrans in Ordinibus male susceptis, nondum impetrata dispensatione, novum impedimentum, notamque irregularitatis contrahat, ut est in *cap. cum æterni de re Judic. in 6., & in Const.7. Pii II* Pontificis Maximi, ad irregularitatem tamen incurrendam non satis est Ministerium, sed requiritur dolus, malitia, & contemptus, ut expensis verbis Decretalium epistolarum, & Pianæ Constitutionis tradunt communi consensu cum Theologi, tum Pontificii Juris Doctores, & præsertim *Lotter de re Benef. lib.3. quæst.31. n.27. & seq. et Eminentissimus Petra ad illam Pii II. Const. n.9. vol.5. pag.149.*, quæ longe absunt a nostra specie, nam Ghinettus non dolo, sed per errorem promotus fuit, neque per contemptum, sed *bona fide et ex inculpabili ignorantia*, ut Archiepiscopus ait, ministravit, quæ bona fides, & ignorantia excusant ab irregularitate, ut est apertum Pontificis Rescriptum in *cap. Apostolicæ 9. de cleric. excom. Minist.*, quod bene expendit Eminentissimus *Petra eodem loco n.59.*, eoque amplius, quod Ghinettus statim preces obtulit Archiepiscopo, ut omissos Ordines ei conferret, nec per eum stetit, quominus illos susciperet, ut supra ex facto narravimus, quæ res dolum, & contemptum excludit.

Demum, si quid adhunc dubitationis supersit, responderi posse *ad cauthelam tantum esse absolvendum*, ut in alia specie non longe dissimili factum est ab hoc Sacro Senatu in *Perusina Ordinationis* 21. *Jun.* 1732., quæ data est

Vol.5.

*Vol.5. Thes. Resol. S. Cong. pag.*361., & definita fuit die 19. Julii ejusdem anni, ut eodem *Vol.5. pag.*366. Ex his igitur, quæ proponuntur, poterunt Eminentissimi Patres decernere,

An Clericus Ghinetti sit dispensandus ad Ordines Ostiariatus. et Lectoratus, ac egeat absolutione, et quomodo conceden. in casu etc.

Esse absolvendum, & respective dispensandum ad cauthelam tum ad Ordines omissos, tum ad alios minores Ordines arbitrio Archiepiscopi.

MONTISALTI DISSOLUTIONIS UNIONIS ECCLESIARUM. Deminutis annuis redditibus duarum Parochialium Ecclesiarum D Andreæ Pagi Altini, & D. Bartholomæi Pagi Fucis, quæ in Diœcesi Montis Alti sunt optimum visum est, qui tunc Ecclesiæ Montis Alti præerat, Episcopo duas illas Parochiales Ecclesias unire, idque factum fuisse dicitur in Visitatione anni 1674., nam Decretum unionis repertum non fuit in Actis Curiæ Episcopalis. Servata illa unio fuit a sequentibus Episcopis, atque ab ipsa Sede Apostolica, ut constat ex Literis, quas anno 1713. obtiuuit Franciscus Alterius earumdem Ecclesiarum Rector. Diversum tamen placuit, qui nunc Montis Alti Ecclesiæ præest, Episcopo, namque hic mense Julio anni 1742 lato Decreto non auditis tamen, nec interpellatis Pagorum Incolis, iisque, quibus interesse poterat, duas illas Parochiales Ecclesias perpetuo unitas sejungi jussit, & separari, & cum nimis hac separatione deminuerentur redditus Ecclesiæ S Andreæ, voluit, ut ex redditibus alterius Parochiæ Beatæ Mariæ Virginis de Casalicchio, quæ tunc vacabat, annua pensio sc 10. singulis annis Rectori, seu Parocho S. Andreæ solveretur, injuncto eidem onere agendi quotannis septem Sacra pro Benefactoribus ejusdem Ecclesiæ de Casalicchio. *Sess. 21. c. 4. de Ref.*

Acta res est non invito Francisco Alterio Rectore duarum Ecclesiarum, quæ sejunctæ fuerunt: Joseph Vetrius, qui Parochialem Ecclesiam de Casilicchio obtinuit, pensionem se soluturum spopondit; Episcopus Montisalti, ut separatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi consuleret œconomum elegit Joannem de Sanctis; Atque ita compositæ res videbantur. At Franciscus Alterius frustratum se videns spe, quam animo conceperat aliud Beneficium Ecclesiasticum assequendi, cum nec pensionem, quam Vetrius soluturum spoponderat, exigere posset, licet septem Sacra ei injuncta ageret, ut ipse jurejurando declarat, petiit ab hoc Sacro Tribunali, nulla declararetur separatio. & dissolutio duarum Ecclesiarum, auditoque jam, ut fieri solet Episcopo, qui rem a se gestam tueri studet, omnia tribus capitibus complexus est, quæ nunc Amplissimis Patribus definienda proponuntur.

Primo capite ambigitur de validitate dissolutionis duarum Parochialium unitarum S. Andreæ, & S. Bartolomæi, quæ vero contra separationem Alterius disputat hic dare inutile est; cognitissima siquidem est Sacrorum Canonum, & præsertim Tridentini dispositio in hac separationis materia, quæ in Sacro hoc Tribunali frequentissime tractatur, satisque est, ut Eminentissimi Patres ea, qua præstant, humanitate oculis subiiciant, quæ data fuerunt in causa *Aquilana Dismembrationis* 25. *Jan. hujus anni* definita in *Congregatione habita die* 8. *Februarii*. Ut enim in illa, ita in hac in qua versamur, occurrunt defectus citationis, & defectus legitimæ causæ separationis, quæ etiam si adesset, alia tamen ratione consuli posset necessitati spirituali Incolarum, dato scilicet Cappellano adjutore, ut prius factum esse in his Pagis referunt Testes, præsertim cum utriusque Ecclesiæ redditus tenuissimi sint, nec excedant annuam summam scut.25. & ob.27., ut ne Parochus ludibrio sit, curamque animarum negligat, ut victum sibi paret, separari Ecclesiæ hac ratione unitæ non debeant, imo

ab

ab Incolis suppleri debeat, quod ad Parochi congruam portionem deficit.

De altero capite pauca sunt, quæ habet Alterius, qui tertio capite, & pensionem a Josepho Vetrio sibi solvi, & fructus omnes a Joanne de Sanctis œconomo Ecclesiæ S. Bartolomæi perceptos sibi dari postulat. Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis; œconomus, & Vetrius nondum Jurium suorum libellum dederunt. Definienda sunt igitur ab Eminentissimis Patribus tria, quæ sequuntur, Dubia.

I. An dissolutio unionis Ecclesiarum S. Andreæ, & S. Bartolomæi substineatur in casu &c., *& quatenus affirmative*.

II. An substineatur pensio reservata ab Episcopo super Parochiali S. Mariæ de Casalicchio in casu &c., *& quatenus negative*.

III. An, & quomodo Parocho S. Andreæ consulendum sit pro præterito in casu &c.

Ad I. Negative, & ad mentem, & mens est, quod Episcopus provideat, ne cura animarum negligatur. Ad II. Negative. Ad III Restituendos esse omnes fructus ab œconomo S. Bartholomæi perceptos deductis expensis, & mercede œconomi.

Die Sabbathi 19. Decembris 1744.



Sess. 25. c. 18. & 19. de Reg.

HISPALEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Species hujus Causæ repetenda est ex Folio Congregationis, quæ habita fuit die 24. Septembris anni 1740., atque e *Vol. 9. Thesaur. Resolut. S. Congr. p.* 54. Cum tamen illa die Causa non fuerit proposita, & proposita, & definita fuit die 3. Decembris ejusdem anni, ut in eodem *Vol. 9. pag.* 81. Dubioque, quod proponebatur -- *An esset locus restitutioni in integrum* responderunt Amplissimi Patres -- *ex hactenus deductis negative*. Rescriptum ita fuisse reputans nobilis Virgo Eleonora Lasso Vega defectu integri Causæ Processus, quem inopia pecuniæ non potuit tunc Eminentissimorum Patrum oculis subiicere, adiit Sacratissimum Principem nostrum, a quo die 23. Septembris anni 1741. mandata fuit jurisdictio Archiepiscopo Administratori Hispalis, qui ex integro Processu rem definiret. Ille causæ cognitionem alteri mandavit, hic vero putans non probari ab Eleonora vim gravem, metumque atrocem, sententiam contra Eleonoram tulit, in qua rationes expressit, quibus impellebatur ad pronunciandum. Appellavit Eleonora ad Amplissimi Patres, translatoque nunc integro processu, postulat, ut mutata animi sententia restituendam esse in integrum Eminentissimi Patres respondeant.

Duæ sunt postulationis hujusce rationes: Altera nullitatis professionis ex causa metus verecundiæ, seu reverentiæ, quæ patri debetur, adjunctis minis periculi denegationis alimentorum, adjunctisque blanditiis, & suggestionibus duarum Amitarum, quæ in eodem Monasterio erant, & Patrui, qui Provincialis erat Ordinis D. Francisci, quique Monasterio imperebat; Altera vero nullitatis professionis ex defectu consensus. Probantur utræque rationes testificationibus plurium testium, & præsertim Sacrarum Virginum ejusdem Monasterii, quæ omnia viderunt. Manifestissima vero est

est ratio defectus consensus, probatur enim ex actibus antecedentibus, concomitantibus, & sequentibus; nec verbis opus est, quando in ipso actu professionis emittendæ certissima dissensus indicia dedit natura repugnans; Eleonora siquidem per integrum horæ quadrantem verba illa devotionis suæ *Promitto &c.* pronunciare non potuit, sensibusque defecit; cum vero animam recepit increpata, monitaque a Præfecta, & Magistra, quæ ejus lateri adstabant, verba emisit, apertissima omnium, qui in Ecclesia aderant, opinione, nolentem illa, repugnantemque coactam sese Deo devovisse. Nec ob id, quod inde officia Monasterii exercuerit, ratihabita dici potuit professio, ut Judex ille Hispalensis putavit; nam si Jure Civili constitutum est ad ratihabitionem inferendam necessariam esse scientiam nullitatis facti, & juris, quanto magis hoc locum habere debet in hoc casu validitatis professionis, quo liber homo perpetua obstringitur obligatione, & libertatem amittit? quod probe tradunt *Anaclet. in jus Canon. lib.3. tit.31. num.215. Pignatell. consult. Canon.173. num.155. tom.9. Passerin. de stat. hom. quæst.189. art.10. num.375., & seqq. vol.3. Card. de Luca de regular. disc.40. num.10. Ursaya disc. Eccles.33. n.40. tom.8. par.1.* aliique. Cætera plenius cognoscere poterunt EE. PP. ex ipso Eleonoræ libello (Monasterium enim nihil excipit) unde definiant.

An sit locus restitutioni in integrum, itaut sit standum, vel recedendum a decisis die 3. Decembris 1740. *in casu &c.*

Dilata, & ad mentem, & mens est, quod exquiratur rescriptum remissionis causæ à Pontifice, & quatenus impetretur reformetur Dubium, & eligatur Defensor ex officio.

ROMANA, SEU JANUEN. LEGATI. Data fuit hujus Causæ species in Folio Congregationis habitæ die 18. Novembris anni 1741. quod in lucem hominum editum fuit *Vol.X. Thes. Resol. S. Congr. pag.*182. Sed placuit ea die Amplissimo Ordini Causæ definitionem differre: Proposita igitur in alia Congregatione diei 2. Decembris ejusdem anni, ut in dicto *Vol.X. pag.*194. Dubium, quo quærebatur -- *An, & quæ summa subministranda sit ex legato March. Vincentii Justiniani in casu &c.* definitum fuit ab Eminentissimis Patribus -- *Ex hactenus deductis negative.* *Sess. 22. c. 6. de ref.*

Putarunt duo Fratres Franciscus, & Augustinus Justiniani, & eorum Soror Maria Aura Altomira, quæ Monasterium S. Mariæ Pacis Viterbii ingressa est, necesse esse, ut monimentum aliquod ederetur, quo probari posset aliquem ex eorum Ascendentibus descriptum fuisse in Libro Nobilitatis, quem vocant *Aureo* Serenissimæ Januensis Reipublicæ, quo invento jus habere putabant petendi præstationem ex legato Vincentii. Cum autem illis hæc inventio feliciter obtigerit, iterum in jus vocarunt Gubernatores Familiæ Justinianeæ, postulantque nunc ab Amplissimis Patribus, ut decernant -- *Prævio recessu a decisis subministrationem alicujus summæ annuæ ex eodem legato Eminentissimorum Patrum arbitrio.*

Sperant autem sibi esse indulgendum, quod probationibus, & monimentis, quæ nunc ab iis proponuntur, impletam esse putant Sacri hujus Senatus mentem: Ex his enim patet Jacobum Justinianum, a quo ipsi originem ducunt, in eodem Libro *Aureo* descriptum fuisse, a Jacobo vero ipsos recta descendere monstrant per singulos gradus, ideoque onus erit Amplissimorum Patrum, si legitima hæc videatur probatio, decernendi quantitatem, quæ singulis præstari debeat, perpensis iis, quæ ad inopiam eorum probandam proponuntur. Franciscus quidem, qui seorsim ab Augustino fratre vivens duos filios suscepit, & Maria Aura Altomira adversa valetudine laborans pinguiori præstatione sibi consuli postulant: Impensas vero

hujus

hujus litis omnes sibi dari petunt. Quæ demum Gubernatoribus Familiæ Justinianæ contra hæc monimenta, rationesque Actorum excipiantur nondum novimus, nondum enim libellum jurium dederunt: Pertinet igitur ad Eminentissimorum Patrum pietatem, & Jurisprudentiam, inspecto iterum Folio Congregationis habitæ die 18. Nov. 1741. respondere.

An ex noviter deductis sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis ex hactenus deductis.

Sess.22. Det. de obser. & evit. in celeb. Missæ.

HORTANA. Obsequimur voluntati Amplissimorum Patrum, qui in ultima Congregatione habita die 5. hujus mensis jusserunt, ut hæc Causa omnino in hac Congregatione proponeretur etiam unica. Repetita igitur lectione Folii Congregationis habitæ die 8. superioris mensis Augusti respondere poterunt Eminentissimi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad III. Dubium in casu &c.

Prævio recessu a decisis negative.

Sess.24.c.14. de Ref.

VERULANA PORTIONUM CANONICALIUM. Duo erant Capita causæ hujus, quæ data fuit in Folio Congregationis habitæ die 11. Januarii hujus anni, definita tamen in altera Congregatione die 25 ejusdem mensis: Primum erat de portionibus Canonicalibus: alterum de electione Cellerarii; Primum caput duo habebat Dubia. I. An sit servanda prætensa consuetudo quoad divisionem, & distributionem portionum Canonicalium, *& quatenus negative*. II. An nova sit introducenda methodus, & quomodo in casu &c. Responderunt Eminentissimi Patres -- Ad I. Negative. Ad II. Divisionem faciendam esse per Canonicos Juniores juxta Constitutiones; Extractionem vero statim per sortes, & ad triennium. Contra hanc Definitionem audiri postularunt Abbas, & seniores Canonici Insignis Collegiatæ Ecclesiæ D. Erasmi, & disputant nunc *prævio recessu a Decisis* primum Dubium *Affirmative*, alterum *Negative* definiendum esse: De altero capite, quod electionem respicit Cellerarii nihil habetur.

Rationes, quibus mutari sententiam postulant, sunt, Constitutiones Capitulares, longissima plusquam centenarii temporis consuetudo, qua portionum Canonicalium electio senioribus Canonicis data est; & geminæ Martini V., & Eugenii IV. Summorum Pontificum Constitutiones: Neminem ajunt ignorare posse Capitulis Ecclesiarum jus esse leges condendi in iis, quæ ad eorum interesse pertinent etiam sine Episcopi consensu juxta cognitissimam *Gloss. in cap.2. §. Cæterum verbo statutum de verb. signif. lib.6.* traduntque late post alios *Barbos. de canon. & dignit. cap.42. num.15. Piton. discept. Eccles.35. n.18. & 19. ac seqq.* eas vero leges longe majorem vim habere, cum eas juvat, præsidioque iis est longissimi temporis consuetudo, & observatio, quæ sive in linea interpretationis, sive in linea præscriptionis accipiatur, efficere debet, ut mutanda non sint, quæ interpretationem certam semper habuerunt, ea ipsa ratione, qua placuit Amplissimis Patribus in altero hujus causæ capite, quod de Cellerarii electione erat, longissimi temporis consuetudinem custodire.

Ex binis vero duorum Pontificum Martini, & Eugenii Constitutionibus non obscure patere consuetudinem illam probatam, & divisioni, atque electioni modum, & formam præstitutam fuisse, quæ, & amplius servanda sit, quod omnem respuit inæqualitatem, cum ob electionem a senioribus facien-

faciendam diligentes esse debeant juniores Canonici, & probe cavere sibi, ne partes sint inæquales; At contra portionum inæqualitas metuenda sit, si forte, & urna portiones a singulis accipiantur, ut accidit Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, qui de sortitione queruntur, quam anno 1694. iis statuit hoc Sacrum Tribunal. Denique nec de congrua portione bonorum titulis adnexa hic agi, nec de bonis, quæ naturam accipiant distributionum quotidianarum, sed de tertia bonorum specie, quæ portiones Canonicales appellantur, & quorum redditus singulis Canonicis distribuuntur sive statis horis choro interfuerint, sive non, ut eadem in horum fructuum partitione desiderari non debeat æqualitas, quæ in distributionum quotidianarum erogatione desideratur.

Hæc sunt, quæ ab Abbate, & senioribus Canonicis in novo libello proponuntur, poteruntque Eminentissimi Patres perpensis iis, quæ data fuerunt in Folio Congregationis die 11. Januarii decernere.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 25. Januarii 1744. quoad primum, & secundum Dubium in casu &c.

In decisis, & amplius.

RAVENNATEN., SEU FERRARIEN. JURISDICTIONIS. Bis Causæ hujus, quæ agitur inter Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis, & Metropolitanæ Ravennæ, & Promotorem Fiscalem Curiæ Legationis Ferrariæ dilata fuit definitio ab Eminentissimis Patribus, primum in Congregatione habita die 29. Augusti, inde in alia Congregatione diei 19. Septembris: Cum itaque nunc proponatur, rogamus Amplissimos Patres, ut Folium primæ Congregationis diei 29. Augusti, in quo Causæ hujus species, & rationes, quæ proponuntur, late dedimus, iterum inspiciant, ut respondere possint. *Sess. 22. c. 4. Sess. 24. c. 20. de ref.*

An in Causis, quæ a Judicatis Suffraganeorum Provinciæ Ravennatensis in prima instantia devolvuntur in secunda ad Curiam Metropolitanam Archiepiscopi Ravennæ possint deinde admitti appellationes ad Curiam Legationis Ferrariæ in casu &c.

Negative.

FERETRANA CAPPELLANIÆ. Testamento, quod scripsit anno 1627. Jacobus Bonetius, antequam in Ordine Cappuccinorum professionem emitteret, ita legavit „ Vuole, ordina, e commanda d Testatore, che nella „ Chiesa delle Monache di S. Chiara, che sono nella Terra di S. Marino „ purchè ne siano capaci &c. si fondi un Juspatronato perpetuo di una Messa il giorno, la quale si applichi per gli Agonizzanti per se, seu per „ alios. E questo in tal maniera cioè; Prima vuole dopo la morte dell' „ Erede usufruttuario, l' Erede proprietario venda delli Beni di esso Testatore per scudi 600. di 84. Bolognini per scudo, e questi si diano a censo „ e che gli frutti loro servano per far dire tal Messa, e detto censo si consegni a Sacerdoti pro tempore „. Implevit, ut par erat, hæres Testatoris voluntatem, prædia vendidit, census emit, eosque tradidit Sacerdoti, qui in Templo Sacrarum Virginum Monasterii S. Claræ onus impleret, quod ad hæc usque tempora servatum est. *Sess. 24. c. 4. de ref.*

At, qui nunc Cappellaniam tenet Isidorus Manentius Belluccius binis Amplissimo huic Ordini oblatis libellis, quorum altero deminutionem Sacrorum petebat, altero vero cogendos esse Bonetti hæredes ad Cappel-

laniæ dotem supplendam, & bis audito, ut fieri solet, Episcopo, qui secundum eum respondit, postulat, ut ab Eminentissimis Patribus alterutrum definiatur, vel cogendos esse Bonetti hæredes ad dotem ampliorem præstandam, vel indulgendam esse oneris Sacrorum deminutionem. Ex facto siquidem constare redditus Cappellaniæ deminutos esse, quod census illi veteres redempti fuerint, & novi minores præstent usuras, augetque difficultatem fructus percipiendi debitorum numerus, in quos census dispertiti, distributique sunt, quique angustia rei familiaris, vel difficile solvunt, vel facultatibus labuntur: Cum vero decreto Diœcesani Concilii constitutum sit, ut eleemosyna Sacrorum perpetuo agendorum sit obulorum quindecim, deminutio reddituum Cappellaniæ aperta est, nam Cappellanus nunc stipendium tantum percipit Sacrorum in obulis novem; supplendam igitur esse dotem ab hærede ex cognitissima illa distinctione juris, quam sequitur Sacrum hoc Tribunal, quod cum Testator ab onere inceperit, census adsignati dicantur demonstrative, non taxative.

Contra vero, qui jura hæredis Bonetti tuentur Exequutores Testamentarii, nec supplendam esse Cappellaniæ dotem, nec deminutionem Sacrorum indulgendam esse contendunt, cogendumque esse Isidorum, ut Sacra agat ea ratione, qua tot ante eum Cappellani eodem stipendio illa egerunt; taxative siquidem non demonstrative census adjectos fuisse a Testatore, qui certam pecuniæ quantitatem ab hærede præstandam legavit *venda delli beni di esso Testatore per sc.600. di 84. Bolognini per scudo*, nec ulli latere posse quantitatem in jure nostro taxationem facere, cum si augeatur, vel minuatur, eadem non sit, ideoque ambigi non posse Bonettum certam dotis quantitatem constituere voluisse, quæ suppleri non debeat, alias contra ipsius voluntatem ex bonis ab eo relictis vendenda esset major portio, quam ferret summa illa scut 600. eoque amplius, quod non obscure Testator casum, qui evenit, consideraverit, nam ille non statuit certum, & invariabile Sacrorum stipendium, quo casu vere disquirendum esset, an designatio fundi, cujus fructibus stipendium illud certum Sacrorum solvi deberet, stet demonstrative, vel taxative, sed inquit, *e che i frutti loro*, scilicet censuum *servano per far dir tal Messa*, itaut fructus, sive usuræ censuum datæ sint stipendio Sacrorum, sive augerentur, sive minuerentur, & ob id nequeat Cappellanus, in cujus dominium census translati fuerunt, aut dotis supplementum, aut oneris deminutionem petere, quia fructus decreverint, quando fundator hunc animum habuit, ut Sacra agerentur certa illa dote, quam constituit, sive majores illa, sive minores redditus præstaret.

Nec mutare, quod Testator ab onere inceperit, quidquid enim sit, an illa verborum structura, qua usus est Testator, hoc ferat, cum dixerit *si fondi un Juspatronato*, & continuo adjecerit, *e questo in tal maniera, cioè*, quæ satis aperte ejus mentem explicant, illud rem conficere, quod in ambiguis, & obscuris Testatorum voluntatibus ea distinctione utendum est, non vero in claris, & apertis; scimus enim voluntatem spectandam esse, quæ cum apparet, despicienda est materialis verborum positio, apparere quidem liquidissimo, quid Bonettus voluerit eum ex iis, quæ dicta sunt, tum quod census Cappellanis tradi voluerit -- *e detto censo si consegni a Sacerdoti pro tempore*, eorumque fructus, qui ex certa, & determinata quantitate sortis veniunt, stipendium solvi Sacrorum, atque ob id dubitandum non esse taxative adsignationem factam fuisse, ut probe tradunt *Castrens. cons.338. n 3. & Panimoll. dec.93. n.3. & 4.* hæres vero statim, ac jussa Testatoris implevit, & census tradidit, plenissime liberatus est, nec ulla Cappellano ad supplendum competit actio contra hæreditatem, minuantur

tur licet redditus fructusque rei adsignatæ, ut docet *Card. de Luca in miscell. disc. 33. num. 3. & 4.*

Audiendum demum non esse Cappellanum, qui deminutionem petit Sacrorum tum quia ipse solemni stipulatione ad Sacra agenda sese voluit obstrictum, tum quia usu, & consuetudine locali Sacrorum stipendium sit in ob. 8., tum quia ob deminutionem reddituum non minuuntur onera Sacrorum, sed stipendium tantum redigi debet ad rationem manualis, tum demum, quia non desunt alii Sacerdotes, qui parati sunt eodem redditu, quem percipit Isidorus, onera a Testatore data adimplere, ut si Cappellanus putet lucrifacere non posse, parata morbo medicina esse possit, renunciatione, & dimissione Cappellaniæ.

Hæc a Postulatoribus cum Cappellani tum Exequutorum disputantur, ut possint Patres Amplissimi definire.

An sint cogendi Hæredes. seu hæreditas quondam Jacobi Bonetti ad supplementum Dotis Cappellaniæ, de qua agitur, *& quatenus affirmative*, pro qua summa: seu potius locus sit reductioni oneris Missarum in casu &c.

Negative in casu de quo agitur.

MISNEN. JURISDICTIONIS. Eversis rabie Hæreticorum Episcopatus Misnensis redditibus, speciali pacto inter Augustissimos Germaniæ Imperatores, & Serenissimos Electores Saxoniæ cum consensu Sedis Romanæ conventum fuit, ut illius Episcopatus administratio, atque Ecclesiastica Jurisdictio in Catholicos, qui in utraque Lusatia supererant, tribueretur Capitulo Civitatis Budissinæ, data eidem facultate Capitularem eligendi, qui Vice-Episcopi Jurisdictionem exerceret, atque ita ad hæc usque tempora observatum est. Cum autem intra fines Diœcesis hujus Episcopatus duo sint *Cisterciensis* Ordinis Monasteria, virorum alterum quod nuncupatur *Neo-Cellense*, alterum sacrarum Virginum, quod dicitur *S. Mariæ Stellensis*, Abbas Monasterii Neo-Cellensis Episcopalia jura, & simul Parochialia sibi vindicavit, & in detrimentum Ecclesiæ Misnensis, ejusque Administratoris a Capitulo Budissinæ Civitatis electi hactenus exercet: Abbatissa vero sive Præfecta Monasterio Stellensi exemplum sequuta, exemptionem, atque immunitatem obtendens ab Episcopi Jurisdictione, Sacerdotem Regularem ejusdem Ordinis Cisterciensis præfecit Cappellæ, quæ est in Pago *Rosenthall*, ut in ea, quæ Patronalis dicitur, Sacramenta omnia ministraret.

Sess. 22. c. 15. de Reformat. Sess. 24 c. 1. de Ref. Mat. Sess 6 cap. 4. Sess. 24. c 20. de reformat. Sess. 25. c. 6. de ref. & 1. Sess. 25. c. 10. de Regular. Sess. 21. c. 9. de Ref.

Querelas equidem contra Abbatem, atque Abbatissam proposuerunt apud Nuncios Apostolicos, qui Viennæ erant, Administratores Episcopatus Misnensis, & præsertim anno 1728., quo monitus fuit Abbas Neo Cellensis, & in jus vocatus, tanta Judicis humanitate, ut data fuerit ab eo ad Abbatem epistola anno 1729., qua hortabatur, ut si quæ haberet jura ad possessionem actuum, quos gerebat: tuendam, ederet, & causæ cognitorem eligeret, qui staret in Judicio apud Nuncium. Omnia vero in irritum cesserunt, ut satius putaverit idem Judex Administratorem monere, ut S. Congregationem de Propaganda Fide adiret, quod factum fuit ab eodem S. Congregatione Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Pauluccius, qui tunc Nuncii munere fungebatur, ut sententiam animi sui aperiret, vera esse rescripsit, quæ ab Administratore narrabantur, & monimenta, ac probationes adjunxit, quibus nunc utitur Administrator. Placuit tamen Eminentissimis Patribus, qui in illa Congregatione sunt, rem ad hoc Sacrum Tribunal deferre, a quo jussum fuit, ut terminus Abbati, atque Abba-

tiſſæ ſtatueretur ad eorum jura proponenda; illi autem reſponſa ſcripta miſerunt, ideoque nunc Cauſa omnis XII. quæ ſequuntur, Dubiis complexa Ampliſſimis Patribus proponitur definienda: Ab Abbate, atque Abbatiſſa nondum datus fuit ſuorum jurium libellus: Nos autem rationes quæ in ſingulis capitibus ab Adminiſtratore tractantur, hic dare nolumus, ne folii menſuram excedamus, & Eminentiſſimis Patribus, aliiſque, qui illud legant, nimietate earum, cum tot capita ſint, faſtidio ſimus.

I. An Patres Ciſtercienſes Monaſterii Neo Cellenſis poſſint audire Confeſſiones ſecularium, aliaque Sacramenta intra, vel extra eorum Eccleſiam eis adminiſtrare abſque approbatione, & reſpective licentia Adminiſtratoris Epiſcopatus Miſnenſis in caſu &c.

II. An liceat eiſdem Patribus aſſiſtere Matrimoniis catholicorum abſque licentia dicti Adminiſtratoris, vel ſaltem Parochorum Matrimonia ineuntium in caſu &c.

III. An licitum ſit eiſdem Patribus, ſeu P. Abbati Neo-Cellenſi diſpenſare ſuper impedimentis Matrimonii in caſu &c.

IV. An cognitio cauſarum, quæ ſunt de foro Eccleſiaſtico in Territorio Neo-Cellenſi ſpectet ad dictum Adminiſtratorem, ejuſque Conſiſtorium, ſeu Tribunal Budiſſinen. privative quoad Abbatem in caſu &c.

V. An cura, & regimen Monaſterii Monialium S. Mariæ Stellæ privative ſpectet ad d. Adminiſtratorem, ſeu potius ad d. Patres Ciſtercienſes; *& quatenus negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam.*

VI. An, & a quo deputandi, & reſpective approbandi ſint Confeſſarii earumdem Monialium in caſu &c.

VII. An Sacerdotes, ſive ſeculares, ſive regulares poſsint audire Confeſsiones ſecularium, aliaque Sacramenta eis adminiſtrare in Eccleſia d. Monaſterii Stellenſis ſine approbatione, & reſpective licentia Adminiſtratoris in caſu &c.

VIII. An tranſlatio alicujus feſti Fori in aliam diem ex cauſa rationabili, diſpenſatio in eſu carnium, aut alicujus devotionis indictio, necnon promulgatio Jubilæi, & Indulgentiarum fieri debeant tam in Eccleſia Monaſterii Neo-Cellenſis, quam in altera Monaſterii Stellenſis de ſola licentia, & mandato Adminiſtratoris in caſu &c.

IX. An Patres Ciſtercienſes, & reſpective Moniales Stellenſes teneantur recipere edicta, ſive mandata, & reſpective Bullas Indulgentiarum e manibus d. Adminiſtratoris, eaque publicare in eorum Eccleſiis, & quibus pœnis ſint plectendi in caſu renitentiæ, & inobedientiæ in caſu &c.

X. An curæ, & regimini Cappellæ S. Mariæ in Roſenthall præfigendus, & præponendus ſit Presbyter, ſeu Cappellanus ſecularis, vel potius Religioſus Ord. Ciſtercienſis; *& quatenus affirmative ad primam partem, & negative ad ſecundam.*

XI. An Cappellanus ille Curatus debeat eſſe perpetuus, & inſtallatus, vel potius amovibilis ad nutum Abbatiſſæ?

XII. Et quatenus præponi poſsit, ſeu præponeretur Cappellanus Religioſus d. Ord. Ciſtercienſis, an hic approbandus ſit a d. Adminiſtratore pro exercitio d. Curæ, & Adminiſtratione Sacramentorum?

Non propoſita cum ſequentibus.

NAMUR-

NAMURCEN. Enteroceles, sive Herniæ intestinalis vitio laborans Franciscus Nicolaus de Ferrare Anno 1734. in Monasterio Leffensi Ordinis Præmostratensis Professionem emisit, spretis ejusdem Ord. Constitutionibus, quibus cavetur, ut qui morbo, vitioque aliquo corporis perpetuo, quæ inter expresse vitium hoc, quo ille affectus erat numeratur, laboraverit, in Ordine non recipiatur.,, sitque ipsa professio (Constit. verba ipsissima sunt) nul-
,, lius valoris, vel obligationis, & ob id, si quis post factam professionem con-
,, vincatur defectum suum siluisse, vel alias d. morbo laborare, vel laborasse,
,, exire compellatur; quod si exire nolit, vel tergiversari velit, Prælatus, si-
,, ve ejus Superior coram D. Præmostratensi, aut ejus Vicario, sive Visitatore
,, actionem suam instituat, qui auditis partibus breviter, & sincere justitiam
,, administret.

Hinc factum est, ut cum anno 1736. Franciscus Nicolaus eodem vitio iterum fuerit affectus, occultum hoc Ordini illius vitium panditum fuerit, ideoque ipse petiit nullam declarari professionem, quam emiserat: Ita quidem sententia lata pronunciavit Abbas Generalis universi Ordinis, eumque pristinæ restituit libertati, qua usus Franciscus vestes suas accepit, atque inde Sacris Diaconatus, & Sacerdotis Ordinibus decoratus fuit ab Episcopo; Subdiaconatum enim, cum in Monasterio esset, susceperat. Demum cum non deessent, qui de Jurisdictione Abbatis Generalis dubitationem moverent, satius duxit Franciscus Nicolaus S huic Tribunali libellum offerre, quo petebat, ut Abbatis sententia confirmaretur, & nulla declararetur professio, quam tacito, quo laborabat, perpetuo vitio corporis emiserat Auditus Procurator Generalis Ordinis dispositionem Constitutionum dedit, & Abbatis sententiam confirmandam esse censuit: idem nunc ab Amplissimis Patribus decerni postulat Franciscus, quod de vitiis, quo laborat, & pridem laborabat, veritate dubitare non sinant Testes, qui proponuntur, & Peritorum Judicium; de Jurisdictione vero Abbatis Generalis ambigi nequeat tum ex Juris Pontificii dispositione in *c. 1. ea, quæ de stat. monach. & in cap. si quis contra Clericum de foro competen. late Tamburr. de Jure Abbatum vol. 1. disp. 1. quæst. 4.* cum ex ipsis Constitutionibus Ordinis, quæ *cor. D. Præmonstratensi* actionem jubent institui: Videant igitur Eminentissimi Patres.

An substineatur sententia Abbatis Generalis Ordinis Præmonstratensis, itaut constet de nullitate professionis in casu &c.

JUVENACEN. DISTRIBUTIONUM QUOTIDIANARUM. Paucis hæc Causa conficitur, longo licet oneretur libello. Libido lites agendi in causa fuit, ut in Capituto Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Terlitii omissa fuerit consuetudo Distributiones quotidianas solvendi quolibet quadrimestri, ut Vigiliensis Episcopus anno 1727., cum munere Visitatoris Apostolici Terlitii fungeretur, decreverat, legibusque, ac Const. Capitularibus confirmatum fuerat. Decanus igitur, Canonici, ac plures portionarii Capitulares numero 40. in Jus vocarunt Primicerium aliosque Canonicos rerum administrationem gerentes, ut solvant Distributiones quotidianas a die 1. Sept. anni 1743., utque declaretur ab Amplissimis Patribus litium impensas detrahi non posse ex Distributionibus quotidianis. Hæc duo sunt causæ capita, quæ nunc audito jam, ut fieri solet, Episcopo ab Emis Patribus est definienda. Primum equidem caput conficit Bonifacii rescriptum in *c. nic. de cler. non resid. in 6. & Trid. Decr.* Alterum vero caput expeditur definitionibus S. Congr., quibus responsum est non licere uti distributionibus quotidianis ad litium impensas, ut apud *Nicolium in Floscul. verb. Distributiones n. 8.*, & novissime ab hoc S. Senatu in *Alexanen. Plurium 1. Sept. 1742. ad 3. dub.* edita est *in Thes. Res. S. Congr. vol. 11. p. 144.* A Primicerio aliis-

Sess. 21. c. 3. Sess. 22. c. 3. Sess. 24. c. 12. de ref.

aliisque Canonicis Administratoribus nihil hactenus habuimus: subiicimus tamen Dubia ab Amplissimis Patribus definienda.


I. An Primicerius, & Canonici Deputati Ecclesiæ Collegiatæ Terlitii ad formam Statuti d. Ecclesiæ per Visitatorem Apostolicum de anno 1727. confirmati, teneantur solvere quotidianas Distributiones maturatas, & non solutas a die 1. Sept. anni 1743., & imposterum decurrendas in casu &c., *& quatenus affirmative*.

II. An expensæ futurarum litium detrahi possint ex distributionibus quotidianis, seu quomodo sit providendum in casu &c.

Hæc Congregatio non fuit habita die 19. Decembris 1744. ut est in folio impresso, sed cum fuerit dilata, habita fuit die 16. Januarii 1745., & ob id rescripta quæri debent in Secretaria S. Congregationis non sub die 19. Decembris, sed sub die 16. Januarii 1745.

AD

AD LECTOREM.



UM frequentissimæ in Sac. Congregatione Amplissimorum S. R. E. Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum contingant disputationes de applicatione Missæ Parochialis, & Conventualis, & sæpius etiam de his consulta fuerit eadem Sacra Congregatio ab Episcopis, optimum visum est huic volumini adjungere saluberrimam Sanctissimi D. N. BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi Epistolam Enclycicam, qua omnes hæ quæstiones, providentissimè definiuntur, præsertim cum non ob id tantum, quod eadem Epistola hoc anno data sit debebat illa hic accedere; sed etiam quod causæ, quæ in hoc Volumine sunt, & præcipue Tyburtina, quæ refertur pag. 86. & 90. eamdem S. Congregationem impulerint, ut Pontificia Maximi Sapientissimique Principis authoritate omnes hæ quæstiones tandem præciderentur: Fruere his igitur Amice Lector, & vale.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cunctiſque locorum Ordinariis per Italiam conſtitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ven. Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.



UM ſemper oblatas Nobis occaſione Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates Veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ Noſtræ erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacritate idipſum præſtamus, quum ad excitandum Fraternitatum Veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini Veſtro commiſſo, præſentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati Noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis onus aliter ſuſtinere Nos poſſe confidimus, quam ſi Divini Cultus augmentum, atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum in ſingulis Diœceſibus cuſtodiam religioſæ vigilantium Paſtorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

Hujus porro Epiſtolæ ad Vos ſcribendæ occaſionem Nobis, atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro populo ipſorum curæ commiſſo; tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis, qui Miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum Choro aſsiſtentes. Cujus quidem argumenti minime nova, ſed a Scriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in hujus Almæ Urbis Noſtræ Congregationibus, & potiſsimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa, ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædeceſſorum Noſtrorum approbationem, & confirmationem meruerint; minime tandem mirandum eſſet, eorum notitiam ad ſingulos quoſque Veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus, Encyclicam hanc Epiſtolam ad Vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas Scriptores abje-

abjerunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat; & Fraternitatibus Vestris quædam veluti norma, ac regula suppetat. juxta quam Synodales, aliasque Vestras circa præmissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exequutionem, dum juxta ea, quæ in præsentibus tenenda, atque servanda præscribimus, omni, qua decet, sollicitudine, ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus nostræ Curiæ Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino reiiciendos esse præcipimus, ac jubemus; quamobrem has ipsas Literas Nostras in singulorum Tribunalium Regestris asservari volumus, atque ad earum præscriptum tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quam de Vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia exigi, & conferri mandamus.

Et quidem, quod nuper enunciavimus; sacrosanctum Missæ Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro Populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex divino præcepto descendes, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *Sess.23. cap.1. de Reform.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre*: Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba satis clara, & perspicua sint, quumque prædicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative præposita, constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest quum hæc intelligentia a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil jam amplius ulli Vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam exequutionem in Vestris respective Diœcesibus omni studio procurare debeatis.

Neque Nos tamen, qui ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononiensis, Patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant, ac deputent, uti videre est in *Sess.6. cap.2. Sess.7. cap.5. & 7. Sess.21. cap.6. Sess.25. cap.16.*, non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *Sess.24. cap.18. de Ref.* nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a prædicta obligation subtrahere, vel ex eo, quod habituali cura penes alium, seu alios residene te, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti: ut nihil hic loquamur

quamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Missæ pro Populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra, & sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & singuli, qui actu Animarum curam exercent, & non solum Parochi, aut Vicarii seculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes, & singuli, de quibus supradictum est, atque alii quicumque etiam specifica, & individua mentione digni, æque teneantur Missam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso.

Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum, allegare solent, congruos sibi Parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neq; decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem, & confirmationem extendimus; & quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore præsentium decernimus, & declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus destituantur, & quamvis antiqua, seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diœcesibus, seu Parochiis obtinuerint, ut Missa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino imposterum ab ipsis debeat applicari.

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Missæ Sacrificium pro Populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere volumus, eosdem, aut quotidie, aut quoticscumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess.23. cap.14.* præcipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*, in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos, ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare, & applicare teneantur; & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, & applicare debere; eum vero qui uberioribus hujusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia, & gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ, Nobis innotescant; Idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus Festis de præcepto quum prædicti Dominici aliique Festi dies ii sint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini *sess.5. cap.2. & sess.24. cap.4.* quilibet animarum curæ Præpositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, ut *moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*; & quibus Parochi subditos suos in Doctrina Chri-

stiana erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in citat. *cap.*4. Episcopis præcipitur, ut nempe *saltem Dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri* curent.

Et quia in nonnullis Diœcesibus numerus dierum Festorum de præcepto, de Apostolica nostra auctoritate, & consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus Festis Christifideles, & Missam audire, & ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis vero Populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Missæ Parochialis in hujusmodi diebus Festis, penitus eliminentur, statuimus, & declaramus, quod etiam iisdem Festis diebus, quibus Populus Missæ interesse debet, & servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare, & applicare teneantur.

Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, Ecclesia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii, seu œconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti, & pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actualis tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus Festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missæ recipere: Idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes, & singuli prædicti teneantur diebus festis Missam pro Populo celebrare, & applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique Vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, adhoc ut, etiam diebus Festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur libere, & licite possint, & valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoribus obtulerint.

Quod autem spectat ad Vicarios, sive œconomos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio citat. *Sess.*24. *cap.*18., cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi, & constituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione*; vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesia fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeant, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, & applicandi Missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quæ iis denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticæ Nostræ Ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

Ac

Ac demum, quoad illos, qui tamquam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, Animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis a rec mem. Prædecessore Nostro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Nov. Anni 1567. distincte statuitur; nihilominus ubi præscripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, & signanter pro implendo onere celebrandi, & applicandi Missam pro populo diebus, festis de præcepto; utendum Vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina *sess.7. cap.7.*, dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem congruam prædictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes, & opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quæ salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

Hæc igitur circa Missam Parochialem statuenda, & Fraternitatibus Vestris denuncianda indicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quæ pertinent ad Missam Conventualem, neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis tum horæ Canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, & per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ; quas omnes Apostolica auctoritate nostra confirmamus, & approbamus, earum exequutionem Vobis enixe inculcantes: ut scilicet Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero prædictarum Ecclesiarum, pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur, eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis, qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminentis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, & applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, & Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant.

Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quæ a Lege Ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum Missam Conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

Profe-

Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra ætate remotis (quod Vos ex Historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium, & singulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio numquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missæ Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quid in ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit: ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum, & disciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit.

Quemadmodum vero, loquendo de Missa Parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere, ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de præcepto; ita pariter usu venit, quoad applicationem quotidianam Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem superiores illæ, sic etiam hæ posteriores, provide e medio sublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus, & confirmamus.

Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abusus, & corruptela dicenda est, nemini suffragari. Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia, præter munus Canonici, seu Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam Conventualem canunt diebus Festis de præcepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eandem pro Ecclesiæ Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis prædictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret, applicetque.

Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non semper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, aliquando etiam a Beneficiatis, aut Mansionariis; quos minus æquum videtur pro Missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandato, ut ea desumatur ex Massa distributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiæ præstandi, Tridentina quidem Synodus sess.24. cap.15. opportu-

portunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congreg. Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Prædecessoribus Nostris eidem impartita, & a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum axactissimam fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, præscribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam, & applicandam esse; nunc expendendum superest, an earumdem Ecclesiarum Capitula jurisdictioni Vestræ respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere similiter applicent.

Hujusmodi quæstio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ Congregationi Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam, & tertiam Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, & Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendæ quæstionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio nostro remittendam esse censuerit; Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus; laudandos nempe, & confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ, tertiæque Missæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur.

Huic demum Epistolæ nostræ finem imponentes, Fraternitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam, & vigilantiam in id conferatis, ut in Ecclesiarum Vestrarum Choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Missæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, sed exacte, pausa nempe interposita, & maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur. Equidem scimus, in aliquibus Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum Choro præsentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem, adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum privilegia. At quum Synodus Tridentina sess.24 cap.12., loquens de Dignitatibus, & Canonicis, qui Choro interesse debent, unum ex eorum officiis esset dicat, *in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*; quumque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo

do

do a Canonicis in Choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita examinata sit, quin statim explosa fuerit, & improbata, quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis, & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium hujus Nostræ Urbis super hoc instantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis, & confirmatis, nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius, vel alterius Ecclesiæ Canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro assistentiam, absque Divinæ Psalmodiæ Cantu. Verum nisi illis præsto sit Apostolicum non præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vigens privilegium, sive indultum, jure, ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, & consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Ven. Fratres, hæc omnia illis aperire; ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem fraudi sit, in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote, quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus, & corruptelas, quas arguendo, & increpando evellere debeamus, dissimulatione, ac silentio nostro fovisse, & confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xix. Augusti 1754. Pontificatus nostri Anno IV.

INDEX

INDEX CONCLUSIONUM, AC RESOLUTIONUM,

Quæ in foliis Anni 1744. fuerunt adnotatæ.

A

B

L

M

R

S

Sepa-

T

V

INDEX RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt anno 1744.

A

B

C

spondit Sac. Cong. servandas esse omnino litteras sa. mem. Clementis XI. ad VI.

Quod etiam depositum duplarum decem de quo in decretis X. & XI. Episcopi faciendum semper esse in manibus Canonici Procuratoris sicuti Punctaturam a singulis Canonicis per turnum, ibid. & 13. Jun. p.55. & 90. ad VII. & VIII. dub.

Canonici noviter electi in Ecclesia Cathedrali Tusculana superlucrari debent distributiones provenientes tantum ex fructibus, Legatis, Funeralibus, aliisque omnibus obventionibus relinquendis Capitulo post erectionem dictorum Canonicatuum, secus autem ex jam antea relictis, licet tamen teneantur satisfacere, aut interesse illorum oneribus, in Tusculana Participationis 9. Maii pag. 85. cum seqq. ad II. V. & VI. dub.

Et quoad horum dubiorum decisionem denuo expostulata Sac. Cong., die 18. Jul. responsum emisit, in decisis, & amplius.

Pro suprad. vero participatione distributionum, sicuti tenebantur noviter erecti solvere Canonicis antiquis disparem summam scutorum trium, vel octo, aut decem, ita hanc ad scuta tria tantum annua reduxit S. Cong. ibid. ad I. & III. dub.

Restitutionem autem solutionum jam factarum & perceptarum a Canonicis antiquis, quam novi prætendebant, denegavit ibid. ad IV. dub.

Jussit tamen esse præstandam consuetam manualem eleemosynam pro applicatione Missarum provenientium ex Legatis jam ante eorum erectionem acquisitis a Capitulo; imo & condemnavit Canonicos antiquos ad restitutionem eleemosynarum debitarum pro d. applicatione, ibid. ad VII. & VIII. dub.

Canonico Theologo Ecclesię Cathedralis Castrimaris denegata fuit assequutio, & simul retentio dignitatis Primiceriatus cum asserta præbenda de jure patronatus ejusdem Capituli, in Castrimaris Primiceriatus 19. Sept. 1744. pag. 126.

Cappellaniæ primam erectionem confirmavit Sac. Cong. una cum abolitione secundæ, uti vi, nulliterque factæ ab Atsilia Francesia in Vigilien. Cathedrali; addito tamen, quod per fundatricem augerentur redditus usque ad ducat. 12. cum obligatione manutenendi eumdem redditum in perpetuum, in Vigilien. Fundationis 18. Jul. 1744. p. 104.

Cappellano, qui post acceptatum onus expetebat aut supplementum dotis Cappellaniæ contra hæredes hæreditatemque sui institutoris, seu potius reductionem oneris Sacrorum negative rescripsit Sac. Cong. in Feretrana Cappellaniæ 19. Decem. 1744. p. 153. cum duabus seqq.

Cellerarii munus, quod potius oneris, quam utilitatis est exerceri debet ab unoquoque Canonico per Turnum adjecta etiam pœna arbitrio Episcopi contra recusantes sine causa approbanda ab eodem Episcopo etsi qualiscumque vigeat in contrarium consuetudo, in Verulana portionum Canonicalium, & electionis Cellerarii 25. Jan. 1744. p. 12. ad III. & IV. dub.

Censuræ latæ per Episcopum Bojanensem contra Archipresbyterum Ecclesiæ S. Georgii Pagi Petrellæ satis invalidæ atque injustæ existimatæ fuerunt, in Bojanen. censurarum 9. Maii p. 86. & 27. Jun. p. 100. ubi responsum fuit, in decisis, & amplius.

Censuras latas ab Urbevetano Episcopo contra Rectorem Hospitalis *S.* Mariæ de Stella Urbis veteris veluti perturbatorem Ecclesiasticæ jurisdictionis non sustineri Sac. Cong. jussit, in Urbevetana censurarum 28. Mart. 1744. pag. 67.

Census scutorum 800. contractus a Canonicis S. Mariæ Lugi, an esset validus, & in casu contrario an esset locus Sanatoriæ, seu potius Impositores d. census tenerentur de proprio ad redemptionem, cum exposceretur S. Cong. respondit, ad Mentem. Et Mens fuit, quod fieret coram Domino Secretario probatio versionis pecuniarum, in Imolen. plurium 19. Sept. 1744. pag. 126. cum duabus seqq. ad tria prima dub.

Alteram vero Impositionem census scutorum mille factam a præd. Canonicis prævio rescripto Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, uti legitimam adprobavit Sac. Congr. ibid. ad IV. dub.

An autem iidem Canonici tenerentur etiam de proprio secundum censum redimere, & respective deponere ratas partes, quæ juxta legem præscriptam in *Beneplacito* deponi singulis annis debuisset, cum efflagitaretur Sac. Cong. rescripsit ad Mentem, quæ fuit, ut fieret liquidatio expensarum, & repartimenti coram Episcopo, ibid. ad V. dub.

Secus vero impositio primi census scut. 1500. facta a Canonicis olim S. Jacobi valida legitimaque declarata fuit, prædictique Canonici ad redemptionem census condemnati fuerunt quoad ratas decursas post quinquennium, data etiam facultate ut ex redditibus ambarum Collegiatarum suppressarum duæ Massæ separatæ, ac distinctæ usque ad reductionem numeri constituerentur, ibid. ad VII. & VIII. dub.

Clericus per saltum ad Exorcistarum, & Acolytorum ordines promotus, quique ex bona fide, vel ex ignorantia inculpabili in susceptis ordinibus ministraverat, absolutus, & respective dispensatus fuit ad Cauthelam, etiam ad alios maiores ordines arbitrio Archiepiscopi, in Florentina ordinum 5. Decemb. 1744. pag. 146.

Communitatem Campi Rotundi Camerinen. Diœcesis non posse libere, & ad libitum disponere de fructibus superextantibus ex hæreditate Piersanctis Fanti, sed docto de superextantia redditruum jussit Sac. Cong. esse supplicandum in casibus particularibus, necnon interea scribendum Episcopo juxta instructionem, in Camerinen. 29. Febr. 1744. p. 33.

Commutationem voluntatis quondam Canonici Martini de Dominis non concessit Sac. Cong. imo

D

Villa, & Ecclesia S. Viti ab Episcopo Aquilano expleta, ob defectus solemnium Judicii, nec non legitimæ causæ irrita, & inanis declarata fuit, addito tamen quod in præd. Ecclesia S. Viti deputaretur ab Episcopo Cappellanus Coadjutor sumptibus Parochi, in Aquilana dismembrationis 8. Febr. 1744. p. 24. ad I. dub.

Fructus autem, & proventus usque adhuc a novo Parocho perceptos non esse restituendos rescriptum fuit, ibid. ad II. dub.

Dispensatione ex irregularitate ob homicidium impictum non amplius indiget Sacerdos, qui per Congregationem A. C. in Criminalibus ex capite Innocentiæ fuit absolutus, in Bisacciarum irregularitatis 18. April. 1744. pag. 75. cum seqq.

Dissolutionem unionis Ecclesiarum S. Andreæ Pagi Altini, & Divi Bartholomæi Pagi Fucis, & respective pensionem reservatam super Parrochiali S. Mariæ de Casalichio pro reparandis alterius Parochi S. Andreæ ex simili separatione egestatibus, non sustineri voluit Sacr. Cong. dato etiam Episcopo onere ut provideret ne cura animarum negligeretur, in Montis Alti dissolutionis unionis Ecclesiarum 5. Dec. 1744. p. 149. cum seq. ad duo primæva dubb. ideoque restituendos esse omnes fructus ab Oeconomo S. Bartholomæi perceptos deductis expensis, & mercede Oeconomi, ibid. ad III. dub.

Distributiones quotidianæ, uti fructus suo Canonicatui spectantes prætensæ a Josepho Coletto Canonico Cathedralis Ecclesiæ Anagninæ, qui ex propria culpa carceratus, & exinde relaxatus fuerat cum clausulis ex gratia, ex quo satis, & viatica cedant loco pœnæ denegatæ fuerunt, in Anagnina distributionum quotidianarum 29. Febr. & 28. Mart. 1744. p. 34. & 67.

Divisionem, seu distributionem portionum Canonicalium faciendam esse per Canonicos juniores juxta Constitutiones: Extractionem vero illarum statim per sortes, & ad triennium quacumque etiam prætensa consuetudine non obstante respondit Sac. Cong. in Verulana portionum Canonicalium, & electionis Cellerarii 25. Jan. & 19. Dec. 1744. p. 12. & 152. ad duo prima dubb.

Dotale subsidium semel, ac rite a puella adeptum ad effectum ingrediendi Monasterium, & demum ex impropria, & insufficienti incapacitate eidem controversum benigne indulsit Sac. Cong. in Prænestina subsidii dotalis 11. Jan. pag. 6. cum aliis seqq.

E

Electio sepulturæ veluti non speciatim significata a Defuncto, & respective exhumatio Cadaveris una cum transportatione ejusdem ab Ecclesia Parochiali, ad aliam denegata fuit, in Viglevanen. funerum 18. Maii 1743. pag. 98. illius tomi, & iterum die 27. Jun. 1744. pag. 99.

Episcopo Niciensi accedenti ad Cathedralem Ecclesiam pro Sacris peragendis functionibus jussit Sac. Cong. ut subministrarentur a Capitulo de redditibus Ecclesiæ Candelæ juxta ejusdem Episcopi decretum, in Nicien. decretorum 14. Mart. & 13. Jun. 1744. p. 55., & 90. ad IX. dub.

Erectio quinti loci in Ecclesia receptitia S. Georgii Pagi Petrellæ Bojanen. Diœcesis, & respective ejusdem collatio indebite, atque irrite ab Ordinario facta, reprobata fuit, in Bojanen. erectionis, & electionis 9. Maii 1744. pag. 85. & seq. ad tria dub.

Sicuti etiam invalidata fuit alia collatio quarti loci ibid ad IV. dub. Et demum reproposita hæc causa in Cong. die 27. Jun. Sac. Congr. respondit in decisis in omnibus.

Expensas pro erectione Archipresbyteratus ordinati a Petro Francisco Nardi in Ecclesia Cathedrali Tolentina faciendas esse sumptibus hæreditatis compræhenso etiam sedili, & pro ejusdem constructione erogandos esse fructus prædiorum adsignatorum post obitum usufructuariæ usque ad diem petitionis judicialis, reliquos vero spectare ad Archipresbyterum statuit Sac. Cong. in Tolentina erectionis Archipresbyteratus 5. Dec. 1744. p. 144. ad duo primæva dub.

Quoad vero Ahenum, sive Caldarium infixum muro domus ejusdem Testatoris, & ab illo adsignatæ præd. Archipresbytero jussit spectare ad dignitatem Archipresbyteratus, ibid. ad III. dub.

F

Fundatio Beneficii facta ab Episcopo Balneoregiensi in Altari SSmi Crucifixi Ecclesiæ Collegiatæ Castillionis reprobata fuit, dictique Beneficii Possessor, seu Cappellanus ad restitutionem omnium fructuum perceptorum detractis expensis eleemosynæ Sacrorum fuit condemnatus, in Balneoregien. Beneficii 21. Nov. 1744. p. 138. ad bina dub.

I

Juspatronatus Ecclesiæ Cathedralis Savonen. quod ex titulo expresso dotis, & constructionis prætendebat illius Communitas exprobavit Sac. Congr. in Savonen. 29. Febr. 1744. pag. 33. ad I. dub.

Edictum vero illius Episcopi, quo sublata erat Massariis præd. Cathedralis unaquæque frustra ab eis oppugnata facultas, sustinuit, ibid. ad II. dub.

Indultum Pontificium concessum Theodoro Grech Canonico Cathedralis Melevitanæ causa vacandi studiis in publico Seminario ipsius Diœcesis, suffragari etiam ad effectum prosequendi ea studia alibi in Conventu Fratrum Carmelitarum Discalceatorum loci Burmulæ definitum fuit, in Melevitana Indulti 27. Jun. 1744. pag. 99. ad I. dub.

quo

nes habere ad populum de licentia Eminentiss. Abbatis, etiam invito Parocho, ibid. ad IV. dub. quoad autem retinentiam Sedium Confessionalium in præd. Oratorio pro Confessionibus audiendis negative rescripsit S. C. nisi de licentia Emi Abbatis, ibid. ad VI. dub.

Prohibuit etiam ejusdem Cappellano Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum &c. explere, necnon mulieres ad purificationem post partum admittere, & retinere Tabernaculum in Altari pro asservando SS. Eucharistiæ Sacramentum, ibid. ad V. & VIII. dub.

Secus vero indulsit Administrationi SS. Eucharistiæ faciendæ in præd Oratorio inter Missarum celebrationem excepta die Paschatis, & Communione Paschali, ibid. ad VII. dub.

Sicuti etiam de licentia Ordinarii permisit retineri posse Capsulam in parietibus Oratorii pro eleemosynis recipiendis, quæstuasve peragi per ipsum Cappellanum, aliosque, ibid. ad IX. dub.

Oblationes autem, eleemosynasque quæ fierent in d. Oratorio erogandas esse in Beneficium ejusdem Oratorii arbitrio prænotati Cappellani reddita per ipsum ratione Ordinario, ibid. ad XII. Dub.

Ordines conferri posse Clerico extero, qui sit Coadjutor Beneficii residentialis cum futura successione si habeat congruam a Coadjuto, vel aliunde, eo quia fuit subditus loci residentiæ, vel præstitit Juramentum requisitum in Constitutione Speculatores Innocentii XII. annuit Sac. Congr., in Tarraconen. Ordinationis 18. Apr. pag. 75.

P

PArochis Civitatis Firmi occasione tumulationis Cadaverum in Ecclesia Patrum de Observantia, ex loci consuetudine exigere possunt Cereum, seu Intortitium tam in die funeris, quam in duobus seqq.: quoad vero ad Anniversarium jussit Sac. Congr., ut talis vigentis consuetudinis coadjuventur probationes, in Firmana funerum 18. Julii 1744. p. 103. cum duabus seq.

Pecuniarum subministrationem, ex Justinianeo Legato expetitam, & semel denegatam, in Romana, seu Januen. Legati 2. Dec. 1741. non concessit Sac. Cong., die 19. Dec. 1744. pag. 151.

Presbyteri adscripti servitio Parochialis Ecclesiæ S. Jacobi Terræ Lauræ, & participantes de decimis, & aliis emolumentis Parrochialibus juxta facultates singulorum, imo & servata dispositione decreti Synodalis anni 1632. tenentur coadjuvare Parochum in cura animarum sub pœna amissionis partis decimarum, eaque accrescat sedulo id munus agentibus, in Policastren. 14. Martii, & 9. Maii 1744. pag. 55. & 84. ad I. dub.

In casu autem infirmitatis curabilis, & temporalis ipsius Parochi, potest ipsemet in Vicarium temporalem sibi constituere unum ex Confessariis approbatis de gremio tamen participantium absque licentia, & alia speciali Episcopi approbatione, ibid. ad II. dub.

Præposito Cathedralis Ecclesiæ Eugubinæ exclusive quoad Vicarium Capituli spectat præsidere in Choro, & ordinare ea quæ concernunt divinum cultum; quoad vero exequutionem Constitutionum Capitularium ut in Capitulo nono negative respondit Sac. Congr. in Eugubina 8. Aug. 1744. p. 111.

Præposito Collegiatæ Parrochialis Ecclesiæ Sancti Laurentii Viglevanen. Civitatis accedenti tam cum Clero, quam sine Clero pro associatione Cadaverum ad Ecclesiam S. Bernardini occasione electionis sepulturæ in eadem Ecclesia debentur omnia emolumenta excepto illo Pluvialis, in Viglevanen. funerum 27. Jun 1744. p. 99. ad I. dub.

Et in associatione d. Cadaverum ad d. Ecclesiam S. Bernardini licitum est præd. Præposito accedenti ut supra ingredi ejusdem Ecclesiæ januam cum Stola, Pluviali, & Cruce elevata, ibid. ad III. dub.

Prior Societatis S^{mi} Sacramenti, quæ est in Parrochiali Ecclesia S. Michaelis Archangeli Suburbii Reatis intervenire debet, & advocari in omnibus Congregationibus concernentibus interesse Montis Frumentarii erecti ab eadem Societate, in Nullius, seu Farfen. Montis Frumentarii 19. Sept. 1744. pag. 125. ad I. dub.

Prædictique Montis Cancellarius eligendus est quolibet anno salva facultate illum confirmandi, eademque electio facienda est arbitrio Numeratiorum, & per suffragia secreta; & in locum familiarum extinctarum, quæ inter numerantes ejusdem Montis adscriptæ reperiebantur, nequeunt subrogari totidem ex Confratribus d. Societatis, ibid. ad II. & III. dub.

Constitutionesque ab initio factas pro bono regimine d. Montis uti legitime factas hodie etiam esse servandas voluit Sac. Congr., ibid. ad IV. dub.

In quas autem pœnas inciderint earumdem transgressores remissum fuit ad Eminent. Ordinarium juxta Constitutiones ibid. ad V. dub.

Professionis vota sollemnia emissa a Moribunda in manibus Abbatissæ cum speciali Episcopi facultate, cæteris adstantibus Monialibus, sed non completo sui Novitiatus statuto tempore invalida recensita fuerunt, in Romana seu Narnien. professionis 25. Jan. 1744 p. 13.

Prohibitio excipiendi Confessiones Sacramentales facta ab Episcopo Ferentino Archipresbytero Mecolo ob plures in eo causas quæsiti coloris, & consecutive deputatio Coadjutoris in exercitio curæ animarum eidem adsignati cum anno stipendio scutorum 24 irrita, & invalida existimata fuit, in Ferentina Coadjutoriæ 29. Febr. 1744. pag. 33. ad I. II. & III. dub.

Quoad similiter præceptum d. Archipresbytero injunctum ad comparendum sub pęna suspensionis ipso facto incurrendæ non esse attendendum, rescriptum fuit, ibid. ad IV. dub.

Re-

R

S

V

FINIS.